
37
1 C
29

R. P. TOBIÆ LOHNER
BIBLIOTHECA
MANUALIS CONCIONATORIA
ORDINE ALPHABETICO DIGESTA.

EDITIO NOVISSIMA

Ad commodiorem uſum in ſeptem Tomos diſtributa, cui nunc primum accedit

OPUSCULUM

INSTRUCTIO PRACTICA
DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI, CATECHIZANDI.

TOMUS SEPTIMUS.

CONTINENS

Appendicem hiſtoricam, Catalogum hiſtoricorum celebriorum, Indicem Concionatorium in Evangelia Feſtorum & Dominicarum, Indicem Generalem, & Opuſculum de munere Concionandi &c.




BASSANI MDCCLXXXVII.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

JESU CHRISTO,
VERBO DEI FILIO,
INCREATÆ PATRIS CÆLESTIS SAPIENTIÆ,
ÆTERNO DEI VERBO,
OMNIUM SCIENTIARUM FONTI UBERRIMO,
LIBRO VITÆ OMNIA PRÆDESTINATORUM NOMINA EXPRIMENTI,
BIBLIOTHECÆ OMNI SCIENTIARUM GENERE INSTRUCTISSIMÆ,
Ex qua S. Bonaventura omnem suam doctrinam se hausisse confessus est,
cujus verba singula, apicesque spiritus & vita sunt,
In qua Originales S. SCRIPTURÆ & SS. PATRUM atque DOCTORUM Sententia,
Omnium Virtutum EXEMPLA perfectissima,
PARABOLÆ ET SIMILITUDINES,
Sine quibus non loquebatur ad Intellectum convincendum aptissimæ;
MOTIVA AC MEDIA AD OMNES VIRTUTES ASSEQUENDAS EFFICACISSIMA,
Brevissimum & solidissimum totius Sacræ ASCESEOS seu doctrinarum ad
perfectionem pertinentium Compendium:
CONCEPTUS PRÆDICABILES,
Quales nullus hominum unquam locutus est,
MISCELLANEÆ AC FONTALES
Omnium sapientum doctrinæ,
Et AXIOMATA denique non tam mellifluo ore eructata, quam efficacissimis exemplis confirmata
Uberrime velut in Fonte continentur.
Hanc spem Bibliothecam Manualem plurimum adauctam, & Septimo Typo
feliciter expressam,
VELUT AUTHORI PRIMARIO
In æternam Beneficiorum acceptorum memoriam,
In perpetuam Debitoris obligatissimi Syngrapham,
In Amoris ardentissimi tenue argumentum,
In Desiderii obsequiosissimi constantissimum pignus,
In æternum, semperque memorem summi sui Benefactoris titulum,
Quamvis non sine verecundia
OB MUNERIS ET OFFERENTIS VILITATEM,
Nec sine timore
OB TANTAM ACCIPIENTIS CELSITUDINEM AC MAJESTATEM;
Magnam tamen fiduciam
OB NOTAM IPSIUS CLEMENTIAM ET BENIGNITATEM,
Nec minus prompta voluntate
OB DEBITORUM EX IMMERITA MUNIFICENTIA CONTRACTORUM MULTITUDINEM,
EJUSDEM
Humillimus Servus, Indignissimus Discipulus, Obstrictissimus Debitor,
Offert ex animo, dicat ex Debito, Dedicat ex amore,
Atque ut optatam Operi huic Benedictionem,
Ad illustrandum legentium Intellectum,
Ad promovendam lustrantium voluntatem,
Ad solidam utentium Delectationem
Largissime, clementissimeque impertiri dignetur,
Humillime rogat, impense obsecrat, & suppliciter obtestatur. N. N.



BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ.

APPENDIX, SIVE TITULUS PECULIARIS,

Varias memoratu dignas complectens HISTORIAS.

PROŒMIUM.



UM magnam partem hujus Bibliothecæ Historiarum narratio sibi vendicet, earumque fructum, & utilitatem ipsa experientia testetur; visum est operæ pretium fore, si pauca quædam de hac ipsa utilitate præmittantur, ad majorem huic Titulo æstimationem conciliandam. Deinde, cum passim variæ, eæque satis memorabiles Historiæ, ab Authoribus referantur, quæ vel ad reliquos Alphabeti Titulos commode referri non possunt, vel si potuissent, tardius obviam factæ sunt, eum interim libro huic coronis imponeretur a typographo, etiam ista appendicis loco breviter hic recensere operæ pretium duxi, ita tamen, ut, quo facilior sit earum usus, accurata illarum in Indice libri hujus universalis fiat mentio. Denique vero, ut de ipsarum etiam authoritate, & qualitate constet, brevis indiculus notiorum Authorum cum eorum Elogio adjicietur.

§. I. DE ESSENTIA, UTILITATE, ET DIGNITATE HISTORIÆ.

I. PRIMO itaque faciendum est, historiam in genere recte definiri: veram rerum gestarum expositionem. Unde & imago veritatis dicitur, ut significetur, primariam Historiæ proprietatem esse ipsam veritatem, sine qua historiæ nomen obtinere non potest.

II. Dividitur autem communiter in Historiam simplicem, qua unum tantum factum enumeratur; & multiplicem, quæ plura eodem libro facta enumerat; &, si quidem annorum ordinem observet, Annalium nomen, sortitur; si vero dierum ordinem observet, Diarium, seu Ephæmeris appellatur. Alii historiam in communi in quatuor species dividunt. Vel enim de varietate locorum agit, eorumque originem, situm, prærogativas explanat, & hæc Geographia vocatur; vel tempora, quibus res qualibet gestæ fuerunt, enarrat, & hæc Chronologia appellatur; vel generationem, & successionem integrarum familiarum proponit, & hæc Genealogia nominatur; vel denique nuda facta absque respectu speciali locorum, temporum, familiarum, enarrat, & hæc nomen historiæ velut proprium sibi retinet.

III. Porro ad utilitatem historiæ quod attinet, ut semper maxima Auctoribus est visa, utpote continens sequentes fructus: Et primo quidem conducit ad Deum glorificandum, quem in finem Christus dixit Matth. 5. Apostolis: *Vos estis lux mundi; sic ergo luceat lux vestra* (& exempla bona) *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

IV. Secundo, conducit ad sanctos optimo cultu honorandos; nam, teste S. Augustino a summa religio est imitari, quod colimus. Cui etiam

S. Ildeph. ser. 2. de Assumpt.

etiam S. Ildephonsus adstipulatos, dicens: *Imitamini Matrem Virginem, & Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantum illis prodest nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus: tamen vera laudatio cordis imitatio est operis.* Et S. Hieronymus: *Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis: colite, quam amatis; quia tunc vere colitis, & amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis.*

S. Hieron. serm. de Assumpt.

Erasm. in præfat. in Senec.

V. Tertio, conducit ad virtutes exercendas, & vitia declinanda, uti sapienter advertit Erasmus dicens: Nullis ex libris plus utilitatis capi potest, quam ex eorum monumentis, qui res publice privatimque gestas bona fide posteris prodiderunt. Ex bonæ enim fidei Scriptoribus super alias innumeras hæc præcipue capitur utilitas, quod bonorum regum animos ad res cum laude gerendas accendit: vel Tyrannorum cupiditates cohibet, ac refrænat, dum utrique cernunt horum litteris suam vitam omnem, mox in totius orbis, imo sæculorum omnium theatrum producendam; Et quicquid in abdito nunc vel celant, vel ascito foco prætexunt, vel metu dissimulari cogunt, verius quam ignorari; paulo post clarissima in luce sub oculis omnium traducendum, quam jam metu pariter, ac spe libera posteritas, ex illo corrupta studio, magno consensu recte factis applaudet, parique libertate his diversa explodet, exsibilabitque.

Diod. Sicul. in proœm. Vir. Phil. Alex.

VI. Quarto, conducit ad prudentiam acquirendam; uti recte Diodorus Siculus indicavit dicens: Nihil utilius, jocundiusque cogitari potest, quam in humanæ vitæ theatro, quod historiam partibus omnibus mire instructam habet, sedentem, periculis avorum, sine suo periculo cautum, sapientemque fieri: Exempla capere omnigena, quæ ad usum tuum utiliter qualibet in re traducas. Cumque maximorum hominum de summis rebus maximis consiliis interfueris, id quod cupidissime homines avemus, eorumdem etiam eventibus interesse, & quod per angustiam vitæ hominum impossibile sit alioqui, sæcula tota memoriæ conjungere: maximorum imperiorum auspicia, progressus, & finem videre: malorum seu privatorum, seu publicorum causas liquide cognoscere: in omni ardua, magnaque re, qui ante te periclitatur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec usquam experimento certo destitui, ac ut in summam e retroactis (quod proprium sapientis viri officium est) futura scienter in omnes eventus perspicere, præsentia judicare. Et consentit Plinius dicens: Historiæ utilitas est magna. Hæc enim felicitatem nobis participat, & citra ullum documentum prodest homini. Quid enim pulchrius, quam, non, quod alii egerint, quærere, sed quid optime actum sit, nobis proponere ad imitandum? Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur a junioribus: at hos tanto antecellit historia, quanto plura exempla complectitur diuturnitatis temporis, quam hominis ætas. Præterea juniores historica lectio antiquioribus æquat prudentia. Adde quod natu majoribus rerum experimenta subministrat, privatos viros imperio dignos efficit. Imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit: &, ut in summa dicam, omnium rerum series, quibus hominis felicitas paratur, tribuit historiæ debet; est enim custos eorum, quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactis præbens.

Pl. l. 8. de Lateran.

S. Greg. l. 1. Dial. in proœm.

VII. Quinto, conducit ad humilitatem exercendam, uti S. Gregorius sapienter notavit dicens: *Fit plerumque in audientis animo duplex adjutorium in exemplis Patrum, puta amore venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accenditur, & si se aliquid esse existimat, dum meliora de aliis cognoverit, humiliatur.* Hinc S. Antonius a S. Paulo revertens dixit. Heu me miserum peccatorem, qui nonnisi umbra sum Monachi, & falso Religiosi nomine glorior. Vidi Eliam, vidi Jo. Baptistam in deserto, cum vidi Paulum in Paradiso.

S. Hieron. in vita S. Pauli Erem.

S. Chrys. hom. 21. ad pop.

VIII. Sexto, conducit ad animos efficacius movendos; nam teste S. Chrys. *Multo fidelior, & certior est doctrina operum, quam sermonum. Nam qui talis est, etiam sileas, & cum non videtur, docere potest; & alios quidem, qui illum vident; alios vero qui de illo audiunt, & multa fruetur, Dei gratia, non tantum propter se, sed etiam propter alios; qui illum vident, & incitantur, ut glorificent Dominum. Talis per mille linguas, & multo plures, gratias fers; & laudes Deo.* Hinc S. Laurent. Just. dicit: *Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, tibi prius persuasisse cognoscaris; validior operis, quam oris vox est, fac, ut loqueris.* Unde Petrus Faber verba dividebat verborum, verba cogitationum, & verba factorum, ac per hæc, exempla intelligebat, quæ cæteris essent multo efficaciora ad persuadendum.

S. Laur. Justin. de confl. int. Laur. opusc. 18. n. 104.

S. Greg. hom. 14. mor.

IX. Septimo, conducit ad proximum in odorem virtutis trahendum; uti S. Gregorius insinuavit, dicens: *Volantia animalia se vicissim feriunt alis, quia sanctorum mentes in eo, quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus, excitantur; ala enim sua me percussit, qui exemplo ad sanctitatem me melius accendit, & ala mea viciaum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum; quod imitetur, ostendo.* Et confirmans id ipsum S. Bern. qui super illa verba: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum &c.* pulchre sic discurrit. *O pulchra, O felix, O beata, edissere nobis hujus distinctionis rationem. Trahe me, ais, quare me,* & non nos? *an hoc bonum invides nobis? Absit; Neque enim protinus dixisses, adolescentulas esse tecum cursuras, si sola post sponsum ire voluisses. Cur ergo pluraliter mox subjunctura curremus, trahi te singulariter postulasti? Non curram ego sola, & si solam me trahi petierim, current & adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo, & hortatu.*

S. Bern. s. 21. in Cant.

S. Greg. p. 2. past. l. 3.

X. Octavo, conducit ad virtutis studium facilitandum, cujus rationem S. Greg. assignat, dicens: *Illa vox Auditorum corda libentius penetrat, quam dicentis vita commendat, quia, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. Non enim difficile æstimatur, quod*

jam

jam factum conspicitur. Propterea, ut vult S. Chrysostomus, *Sanctorum vitas, & conversationem in divinis Scripturis præscriptam Spiritus Sancti gratia reliquit, ut discentes, quod licet ejusdem fuerint naturæ, virtutibus tamen studuerint, ne simus nos ignavi, & desides in iisdem exercitiis*. Hinc S. Augustinus de se ipso fassus est: Exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congestas in sinum cogitationis nostræ urebant, & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos valde. Ut adeo merito dixerit Thomas Kempensis: Etsi onerosa sit præsens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria, atque exemplo tuo, & Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior, & charior.

S. Chrys. ho. 11 sup. Gen. — *S. Aug. l. 9. Conf. c. 2.* — *Thom. Kemp. l. 3. c. 18. §. 2.*

XI. Nono, conducit ad animum, & corpus recreandum; nam, ut S. Ambrosius recte advertit: *est insitum nobis, ut castum pudicus, sapientem prudens, misericors liberalem affectu pio diligat, & virtutes suas in aliis amet. In plerisque justi aspectus admonitio correctionis est, perfectionibus lætitia est*. Et de Alphonso Rege Aragoniæ scribitur, quod Capuæ laborans adversa valetudine, Medici multa medicamenta adhibentibus, in gravissimo morbo, Quinti Curtii historias de Alexandri Magni rebus gestis descriptas legere cœperit, cujus lectione delectatus, cum omnem morbi improbitatem superasset, sanitati restitutus: Valeat, inquit, Avicenna, valeat Hypocrates, & alii Medici, & vivat Christus restitutor sanitatis meæ.

S. Ambr. sup. Psal. Beati immacul. — *Æneas Sylv. de dictis Alphon.*

XII. Decimo, conducit ad fideles monitores procurandos; uti Demetrius Valasius indicavit, qui Ptolomæum adhortari solebat, ut sibi pararet libros de regno, deque militari imperio gerendo tractantes, eosque evolveret: Propterea quod ea, da quibus amici non audent admonere Reges, in libris scripta habeantur.

Laer. lib. 5. l. 9.

§. II. MEMORABILES HISTORIÆ.

In communibus titulis non contentæ; tumultuarie exhibitæ, Damnum voti non servati.

I. QUidam S. Benedicti Monachus, cum multis precibus impetrasset, ut discedere ex Monasterio posset, vix Monasterium egressus, Draconem aperto sibi ore insidiantem conspexit. Quare magnis clamoribus Fratrum auxilium invocans, ab iisdem accurrentibus, sed nihil videntibus, tremens, ac palpitans ad Monasterium reductus est.

S. Greg. l. 2. dial. c. 25.

Utilitas voti.

II. Cum Christus aliquando Sancto Francisco apparuisset, atque, ut trinam ipse oblationem faceret, præcepisset: Franciscus autem, se nihil amplius habere respondisset, jussus est manum in unum inferre, & quod ibi inventurus esset, offerre. Quod cum ille fecisset, prima, secunda, & tertia vica nummum aureum bene grandem qualem numquam vidisse se meminerat, invenit, quibus tria religiosa vota significari intelligebat; quæ ipse fatebatur tam perfecte se obtulisse, ut nihil circa eorum observationem propria ipsum conscientia redarguerit.

Rodr. p. 3. tr. 3. c. 2.

Votum servatum.

III. Rex Asa, cujus cor erat perfectum, teste Scriptura, cunctis diebus ejus, ea quæ voverat pater suus, & ipsa intulit in domum Domini, argentum, & aurum, vasorumque diversam suppellectilem.

2. Paral. 15. v. 18.

IV. Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, & votum vovit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.

1. Reg. 1. v. 10.

Observantia filialis.

V. Franciscus Calendonius jam vir, & Jurisprudentiæ fama, ac celebritate in patria princeps, & conjuge, ac prole auctus, nullam tamen sibi abire diem voluit, quin ad Honestæ Barulliæ parentis genua accedens eam sibi bene precari postularet, ac si materna quadam senectute illa moras necteret, nihilominus modestissime perseveraret. Quod si quacumque demum de causa id domi sub vesperam asequi non potuisset, ubicumque sequenti die matrem obviam habuisset, vel in ipso foro officium raponebat. Quod enim erubesceret naturæ jura sarta tecta exemplo tueri, qui Cæsarii juris celerrimus esset interpres: nulla interpretandi nobilior est ratio, quam facto exequi.

Fr. Rob. var. hist. l. 4. c. 4. n. 28.

Angelus per tres nuntios de morte monens.

VI. Prænobilis Adolascens supra mortales curas se attollens, humana paulatim contemnera, seriisque studiis ad æterna tandare accœpit: scilicet angebat hic animum matus, ne mori quondam, siqua improvise sapesetur, imparatus, inermisque occurreret. Eam ob ram assiduas preces, vel certe suspiria crabra funditabat, quibus unum hunc favorem a superis eblandiretur, ut divinitus moneretur, & insidiantem a tergo mortem tempestive exspectare posset. Hæc tam pia postulata a Deo impetravit, & genium suum tutelarem in conspectum habuit, qui asseveravit e vita prius non abiturum, quam nuntiis a se præmissis monitus, accingi supremo itineri plus triduo posset. Hoc nuntio accepto, non opprimendum incautum, cæpit sa ludicrisque dare, ubique relinquens signa lætitiæ: ac tandam per abrupta vitiorum præceps, in deterrimum repente evasit; nac jam parentes, non propinqui, non Magistratus valuerunt a vitæ licantia revocare, quibus hoc unum ut clypeum objiciebat: prius ago, quam mors occupet, resipiscam. Evenit, ut iter illi in vicinum oppidum esset, in quo itinera e saltu latrones in hominem involant, per quorum micantes gladios, subditis equo calcaribus non sine vulnere in tutum anhelans æstuansque se subducit. En primum mortis nuntium quem in hac tanta mortis vicinia nec respexit innuentem, nac audivit increpantem. Sed condono hunc tibi stuporem. Mox alterum (quæ facili-

S Aure. min. p. 2. summa tit. 9.

cili-

cilitas) monitorem habebis. Vix dum vulnus in cicatricem coierat, cum efferatæ mentis adolescens navi conscensa, more suo, sudo, liquidoque cælo ingreditur; in altum provectos tempestas excipit: alii clamare, manus tendere, scelerum veniam rogare, vitæque mutationem spondere. Solus hic noster, quamvis palleret vultu, animo tamen obstinato, nec salutis anxius, nec scelerum memor perstabat. Interea desævit tempestas, sic tamen ut hæc maris rabies, monentis satis vices egerit. His periculis perfunctus, non multo temporis intervallo post acutos capitis viscerumque cruciatus, febris hominem adorta, quæ paucis diebus ita confecit, ut pro deposito conclamaretur: Medici, parentes, propinqui, Confessarius de præsenti discrimine commonere; urgere lacrymis, precibus, consiliis maturæ curam salutis suscipiat. Durat, & perstat adolescens stolidus nuntium exspectare, qui mortem jamdudum in visceribus grassantem nuntiaret. Cum ecce tibi adest tutelaris genius, ut errorem animo excuteret, quasi nullum monitorem habuisset. Quem ut æger agnovit, audiitque, vis breve momentum superesse, perturbatus cœpit expostulare, ut qui præmissis triduo ante nuntiis monitum iri se crederet: cui tranquille Angelus, quam fideliter pactis steterit, quam tempestive monuerit, quos nuntios submiserit, exponit: cum nuperrime per latronum sicas, & paulo post in mari per naufragia, ac tandem per morbum suo judicio, ac judicio Medicorum lethalem moneri feci, an non hoc triduum est? præterea Medicos instigavi, qui mortem indicarent, contempsisti: parentes subordinavi, qui monerent, rejecisti: Curionem legavi, qui suaderet, exclusisti: & tamen nuntios ad te meos venisse negas: & adhuc fidem, quam fregerim incusas? Secundum hæc verba ex oculis evanuit, & adolescens cum quod acciderat, circumstantibus ægre recensuisset, infelix animam exhalavit.

Sponsus ipso nuptiarum die occisus.

Engelgr. p. 3. Luc. Evang. Dominic. Quinq. §. 3. VII. Accipit, ut moris est, perhilaria ante cineralia Parisiis, ab hinc annis duodecim, regali luxu nuptias celebrari, in æde viri prænobilis, qui puellam duxerat, quam plures proci deperierant. Hi indignati sibi prædam ereptam, funestam plane tragædiam adornant, mensis remotis, omnes larvati histrionum in morem subintrant: sponsum astu, in vicinum cubiculum sevocatum strangulant, ac vestibus continuo exutum, aliisque mortuariis indutum, ac larva personatum, in convivantium cætum, humeris suis inferunt: saltumque funebrem exorsi, mire omnes oblectant, dum tandem signo dato, avolant, & se euro ocius ex ædibus proripiunt, relicto super pavimento, ut putabatur, socio larvato, qui mortui partes egerat. Hunc, jam cæteris dilapsis, convivæ trudunt, vellunt, ut assurgeret; ad hæc omnia immoto, sponsa forte larvam detrahit: & o ludum insolentem! o ferales nuptias! ecce sponsus, verum funus exhibetur, compertumque, a invernionibus, ob sponsam sibi præreptam, morte crudelissima profocatum, & omnibus ostentui, ac ludibrio expositum fuisse.

Mira puella lasciva Metamorphosis.

VIII. Romæ puella fuit Catharina nomine, a formæ venustate Pulchra cognomine, sed famæ prostitutæ, ad quam omnis juventus confluebat: dum vespere quodam speciosum præ cæteris ad se juvenem divertentem conspexit, quem, dum cœna (ut conditio postulare videbatur) satis dapsili exciperet, mirum ecce ostentum: quodvis ut mensæ inferebatur ferculum, sanguine largo aspersum apparuit. Quo prodigio adeo illa non perculsa, ut mensis remotis, eum in penitius cubile deductum, ad flagitium pellicere ausa fuerit: non invitus successit; at istic loci, derepente (o inauditam metamorphosim) *speciosus forma præ filiis hominum*, toto corpore vulneribus saucium, & plagis lividum sponsum sanguinis se exhibere totque ora, quot vulnera visus pandere, quibus illa hujus tam diræ lanienæ causam arguere, benignissime tamen ad veniam invitare non destitit. Erubuit ad hæc Catharina, & scelus exosa, singularem postbac vitæ sanctitatem exorsa est. *Exempl. ad ann. 1321. n. 10.*

Rara Dei erga Peregrinum providentia.

IX. Peregrinus quidam, Chariton nomine, cum Jerosolymam tenderet, latronum insidiis interceptus, in spelæum locum tractus, & catenis alligatus est. Latronibus alio ad prædam dilapsis, Chariton hoc unum agere, Deum divinamque potentiam maximis laudibus extollere, inopinatam illam permissionem secum expendere, ob eamque Patri amantissimo gratias agere, eidemque se impensissime commendare, nec aliud velle, quam divinam in se voluntatem perfici. Dum hæc animo volvit, serpens e latebra prorepit ad scutellam lactis plenam; bibit hinc largius non vocatus hospes; sed pro symbola, quod ingrati solent, venenum refudit. Ubi latrones in notum cubile redierunt, primum erat, ardentem sitim lactea promulside propitiare: biberunt liberalius quam serpens, sed ita ut nil biberent amplius. Nam paulo post concepto intra venas veneno, extincti sunt omnes. Ergo jam Chariton latronum ex asse hæres, & solus infamis latibuli dominus, divinæ providentiæ ardentius quam unquam se commendavit. Nec frustra: vinculis ope divina laxatis, pro miserabili ergastulo, habitaculum reperit opulentum, & pecuniam quidem illic inventam, partim sublevandis egenis, partim monasteriolo condendo adhibuit. Ipsam latrocinantium specum in templum mutavit; ubi tam Judæi, quam idololatræ Christianis sacris imbuti sunt.

Admiranda Usurarii pœnitentia.

X. Volco Sacerdos in Francia vir miræ sanctitatis, apud fœneratorem cum quibusdam e Clero pransurus, culinam ejus adiit, opercula a vasis removet, reperitque omnia fercula in bufones & serpentes abiisse. Movit *Exempl. ad ann. 1190. n. 22.*

ea

ea res hominem, ut Voconi supplex, omnia injusto lucro parta suis dominis restitueret. Superat inter hæc vas tritico oppletum, ultimum usuræ spolium: cujus forte non meminerat: istud Volco præsente Clericorum comitatu recludi jussit; & ecce novo portento inter bufones ingentem serpentum copiam offendunt. Mox Sacerdos sanctus divino imperio afflatus ad fœneratorem: Si verus tibi de peccatis dolor est, nudus istud vas ingredere: nec mora, usurarius insilit statimque Volco vase clauso, jussit socios crastina luce reverti. Tum autem remoto operculo nihil præter costas, tibias, calvariam, ac ossium congeriem repererunt: quæ causa fuit, ut Volco ossa tamquam veneranda vere pœnitentis asservari jusserit: *Ubi obsecro quid simile legisti, vidisti, audisti.*

Confessarius cum pœnitente in infernum præcipitatus.

Padacq. Christian. sin. confess. c. 11. XI. Degebat in Italia insignis usurarius, qui, cum turpem illum quæstum dimittere nollet, in pœnitentiæ foro ab urbis Parocho, & nostris Patribus rejectus, in Monachum tandem incidit, qui cæteros arctioris conscientiæ, & scrupulosæ insimulaos, hominem, toties prohibitum, absolvit: quo ita se usurarii hujus gratiam insinuavit, ut familiarissime se uteretur, & prope in dies mensæ adhiberetur. Accidit, ut liberalius una cœnassent, jamque sero vespere vir religiosus se ad claustrum contulerat; ipse vero vix cubitum se receperat, cum subita morte extinctus est. Atque illico duo ex orco genii, ephæbo ementiti, ad cenobium convolant, quantocius hunc monachum a tali viro acciri denuntiant. Ad nuncium hunc ille mirari, mox repentinum morbum forte exortum suspicatus, præeuntes cum socio subsequitur, jamque in forum devenerant, dum cernit olurarium hunc, lunæ beneficio, in talari tonica inambulantem: quem non sine stomacho, nomen ride at, percunctatur? Respondet alter alto cum gemitu, se vivis excessisse, æternis pœnis addictum ob usuras, & potissimum ob sacrilegum Sacramentorum usum; in quo cum ipse partem non minimam culpæ habeat, seque cum corripere debuisset, una secum æternis inferorum suppliciis cruciandum. Quo dicto immani terra hiatu panditur, & hos duos simul cum ephæbis illis tartarcis assumpsit, attonito & in mortuum simili socio relicto, qui Superiori omnem actæ rei tragædiam enarravit.

Ardens patiendi desiderium.

Pennaq. in ejusq. p. 1. c. 18. n. 6. XII. S. Catharina Bononiensis, cujus corpus etiamnum incorrutum Bononiæ visitur, dicere solebat: Deus scit, qui æstus illos amoris ipsemet in corde meo accendit: me sæpius cum lacrymis, & suspiriis, & firma, comparataque ad patiendum voluntate illi supplicasse, ut mihi hanc faceret gratiam, si per meam ad inferos relegationem, & condemnationem honori ejus gloriæque posset aliquid accidere, mihi ipse locum in profundissimo Inferorum recessu præpararet, in quem ego totius orbis peccatrix maxima, & abominabilissima recludar, & tamquam incus omnium carnificum malleis exposita, tormenta omnia, quæ fuerunt, sunt, & erunt, meo corpore excipiam: Ego ex cordis intimo affectu, & re consultata, verbisque ad trutinam libratis, offero me continuo ad has pœnas subeundas, plus inde capiens voluptatis, quod inferno exhausto nullæ amplius inde in Deum voces erumpent, & ex tot animarum redemptione, quæ Deum æternis laudibus efferentes, quam de mea unius salute.

Florum amœnitas utiliter considerata

XIII. Anno circiter 1180. duo viri nobiles, quorum alter Carolus, (qui postea Abbas Villariensis sanctitate celebris Padum istud illustravit) alter Gerardus vocabatur, ab equestri hastiludio, quod torneamentum vocant, Wormatia Moguntiam iter cum relegerent, & longo tractu prata vernaotia, variisque floribus inspersa occurrerent, convenerunt inter se de silentio servando toto illo tempore, quo amœnitates illæ oculis illuderent; ac deinde quibus interea temporis cogitationibus animum occupassent, utrimque se communicaturos spoponderunt. Alter ergo amœno illo itinere confecto, vidisse se dixit illis florentibus campis mundi fugientis imaginem, cujus dona deliciæque citius deflorescunt, quam cito omnis illa agrorum amœnitas evanescat: Alter idem sibi, dum illa conspiceret, in mentem venisse affirmat; neque hic hæserunt, sed mutuis ad amorem æternorum colloquiis accensi, votum de deferenda vita liberiore, amplectenda monastica emisere, in qua scilicet sine impedimento vacarent amori pulchritudinis numquam perituræ. Refloruit nimirum ex illo florum aspectu in eorum animis fides, & hæc fois flammis voluntatem accendit. Adeo verum est, pium silentium Dei cognitionem acuere, & ob excitatum amorem sanctum in animis nostris incrementa capere longe maxima. *Idem c. 1. n. 2.*

Lectio fructuosa.

XIV. S. Augustinus refert, quod, cum duo Aulici Theodosii Imperatoris in eremitorio quodam vitam S. Antonii legere cœpissent, unus illorum adeo immutatus sit, ut conjectis in amicum oculis eum ita compellaret. *Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? majorne spes nostra poterit esse in palatio, quam, ut amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenumque periculis? & quamdiu istud erit? amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio.* Dixit, & iisdem amoris, quo flagrabat, facibus, socii animum accendit, amboque, abjecta rerum humanarum cura novæ vitæ in monastico secessu fundamenta jecere: habebant ambo sponsas, quæ hoc audito etiam ipsæ virginitatem Deo dedicarunt. *S. Aug. l. 8. Conf.*

Christus in sponsum electus.

XV. S. Aphra, S. Hilarii filia, quæ 15. Decembris inter Sanctos colligitur, petebatur in matrimonium a viro nobili, de quo pater certior factus rogavit, differret in reditum suum invenisse se sponsum longe præstantiorem, *Penneq. p. 1. c. 2. n. 6.*

qui

qui e cælo genus, & originem duceret, cujus pulchritudo rosas, & lilia vinceret, cujus ope, & sapientia cæteris anteiret: adducturum illum secum, cum ab exilio domum reverteretur; quam ob rem tantisper expectaret. Credidit Parentis denunciationi puella, & tam arridentibus illecta promissis, omnium procorum ambitioni nuntium remisit, aditumque præclusit. Redux pater, cum illi hunc Sponsum Jesum Christum esse aperuisset, & effusus in tanti Sponsi laudes, demum rogasset, an se illi vellet dedicare, annuit Virgo, tantaque animi propensione consensum dedit, ut Parentem rogaret, id quam primum, fieri posset, executioni mandaretur. Hinc excitatos S. Episcopus precibus apud Deum tamdiu institit, dum filiæ mortem dulcissimam ad instar somni sine morbo, aut alicujus doloris sensu ille impetraret, quo amantissimi Sponsi complexibus æternum in cælo frueretur; cumque idem beneficium rogasset filiæ mater, id etiam S. Episcopi precibus a Deo concessum fuit.

Tristitiam per orationem in gaudium conversa.

dem p. 3. v. n. 4. XVI. Anno 1585. Hispanus vir nobilis alicujus criminis reus, mandato Regis conjectus est in carcerem; ubi in mortis cogitatione timoreque defixus, dum septem menses differretur sententia, ita mœrore contabuit, ut, qui ejus curam gerebant, præ tristitiæ magnitudine moriturum crederent: Ubi tandem intellexit, se ad mortem condemnatum, sibique in carcere carnificis manu gulam esse frangendam, toto corpore inhorruit, & voce intercepta, suique præ angustia vix compos, post aliquod silentium tandem in suspiria, & singultus erumpens exclamavit: Ergone mihi carnificis manu moriendum? ergo laqueo fauces frangendas? o laqueum! o chordam! o quæ nuntia aures mentemque percelluot! o inferi! & sempiterna tormenta! Tres illi concessi erant dies, quibus se pararet ad mortem; hic sanctiori consilio, & cælestis gratiæ subsidio ad orationem velut ultimum asylum confugit; purgat se Sacramento pœnitentiæ, & cælesti pane se corroborat: res mira! in hominem alterum prorsus mutatur, timor mortis, horror carnificis, & laquei evanescunt; mille vitas optat, ut eas omnes Deo in sacrificium offerat; omnia Martyrum supplicia omnibus corporis membris excipere ardenter in votis habet: quin, & manibus oculisque erectis in cælum a Deo postulat, ut beneficil loco supplicium suum proroget, tortoris manum præ turbatione aberrare permittat, ac sæpius intercidere, ac prolabi, ut vel annum integrum imperfectis strangulationibus discrucietur, mortemque non inveniat; & qui paulo ante tortorem, & laqneum exhorruerat, nunc a centum lictoribus ligari, & per urbem cum ignominiosis proclamationibus circumduci impense desiderat: nocte integra ante diem supplicio destinatam voluit sibi manus, & gulam laqueo vinciri, ut tanto diutius hoc Dei, ut ajebat, beneficio frueretur: Denique qui prius ad solum inferorum oomen contremiscebat, jam tanta fiducia in Deum, & pace fruitur, ut dicat, videri sibi a Divina misericordia calce, & cæmento inferorum portas occlusas; & quem tristitiæ magnitudine moriturum credebant, tanta nunc exundat lætitia, ut dicat: Si, cum peccata mea defleo, tantis incesso gaudiis, quantis brevi, ubi Dei conspectu frui dabitur, perfundar? Ejus verba, & voces ita in Dei laudes, & gratiarum actiones ardebant, ut admirabiles in adstantibus excitaret motus animorum. Exauditus fuit a Deo in eo, quod tortorem attingebat: ille enim dum gulam frangere conatur, animo perturbatus, dum vix advertit, quid agat, quartam fere horæ partem in eo ultimo funestoque actu posuit; reo interim tam sereno vultu constantia omnem hanc carnificinam excipiente, ut nec pedem, nec manum, aut aliam partem corporis moveret, nec verbo querelam proferret, astantibus ad tantam patientiam, & tranquillitatem stupore defixis, & nominatim Patre Aria, qui spectabat, & morientem in hoc ultimo certamine juvabat, quique hæc omnia litteris ad posteritatis memoriam consignavit: ut, quantum habeant mortales in humili, & perseverante, ac fideli oratione subsidium, agnoscerent.

Mira Bonaventuræ Monialis conversio.

XVII. Maria Bonaventura sanctimonialis in turri speculorum ex Sanctæ Franciscæ Romanæ sequacibus virgo nobilis, uti cæteræ ex eodem contubernio, indolis generosæ, ad res spiritus utriusque studium accurandum parum propensa, dummodo culpas graves vitaret, reliqua hominum judiciis, honorisque existimatione metiri solita: ad secessum, exercendumque sacris commentationibus animum, ægre inducta fuit; qua tandem totam se ad spartam illam excolendam, Deo, & uni de Societate, a quo dirigeretur, meditandi alioquin insueta fortiter obtulit. Vix primas considerationes de fine hominis, & mediis ad illum finem absolverat, cum divino igne succensa Directori suo dixit: O Pater, non est ultra Deus irridendus. Video, quid a me exigat: volo ex integro ejus esse, totisque viribus incumbere, ut ad ejus majorem gloriam brevi non qualiscumque, sed magna sancta evadam: Deinde scripto manu propria exarato coram Deo protestata est, se nullum deinceps præter ipsum amare velle; nuntium omnibus rebus creatis mittere, tamque pura intentione ejus voluntati morem gerere, ut, si post vitam ejus obsequiis impensam ad inferos detrudere vellet, nihil contra obtineretur, hoc solum optans, ut in se divinum beneplacitum impleretur; quod scriptum manu sua signatum lateri Crucifixi inseruit, ac pari deinceps passu in reliquis progressa, omnibus divinis monitionibus etiam in rebus difficillimis paruit, linguæ sensuumque diligentissimæ custodiæ incubuit, cogitationum evagationes cohibuit, sui fere semper victrix, & minimorum lapsuum, quantum potest infirmitas humana, expers, ad cruces, quæ se offerebant, excipiendas animosa, numquam querula, nec levamentum quærens; de alienis erratis nec inquirens, nec

Pedag. Christ. tr. de Secessu consid. 8. n. 8.

fer-

fermones miſcens. Colloquia cum ſecularibus, quantum neceſſitas permiſit, omnia declinavit; de verbis mordacibus contemptuque inde proveniente parum ſolicita; omnibus reculis ſe ſpoliavit, etiam imaginibus, reliquiario, ac Crucifixo argenteo; ſacculo, & corio aliquas dumtaxat reliquias inferens, quas collo geſtaret; Seceſſu abſoluto, & exercitiis ſine impoſito, illum, quem jam deſcripſi, in actionibus ſuis, quas altiſſimo charitatis fine dirigebat, uſque ad mortem (quam anno poſt ſanctiſſime obiit) curſu tenuit: Aliorum verba contemptuſque, uni Deo placere ſtudens, ſemper flocci fecit, bis quotidie flagellis ſe verberavit, bis, dum ægrotis inſerviit, ad exemplum S. Catharinæ Senenſis aliorumque, ex ulcere manans ſorbuit, ita ſui domina, ut nihil cum anxietate expeteret, nihil cum animi perturbatione pertimeſceret; imo in rebus adverſis, injuriis, afflictionibus verbo vel facto irrogatis geſtiret præ lætitia, & majores optaret. In ultimo morbo diem illum benedixit, quo ad exercitia facienda ſeceſſerat, quod tum demum clarius perſpiceret, quantos inde fructus collegiſſet; addebat, ſi ſanitati redderetur, ſe menſibus ſingulis illa repetere, ac iterare velle. Obiit denique ſanctiſſime, & tum beneficiis in aliquas ſanctimoniales ex earum voto collatis, tum cæleſti revelatione Virgini Sanctiſſimæ facta cognitum eſt, quam eximia in cælis beatitate frueretur, ut merito de illa dici poſſit: Conſumata in brevi explevit tempora multa.

Admiranda peccatoris obſtinatio graviter caſtigata.

Idem diſſert. 2. n. 2. XVIII. Dum S. Franciſcus Borgia iter haberet per aliquod Hiſpaniæ oppidum, intellexit virum nobilem de vita periclitari, & tamen nolle confeſſione, & accuſatione peccatorum ſe ad mortem diſponere; poſitis Pater ante Crucifixi, quam ſecum ferebat, effigiem genibus, Chriſtum ſuppliciter rogat, vellet homini miſero ſuccurrere. Audivit Chriſtus ejus preces, dixitque, iret ad ægrum, ſe in habitu Medici compariturum; & dum ad confitendum peccata hominem inducere conaretur, ſimul opem ſe laturum; quod & præſtitit, quamdiu pater hominis pertinaciam frangere, & confeſſionem perſuadere niſus eſt. Quod dum fruſtra fit, diſparuit, & paulo poſt etiam Pater domum repetit, atque ibi ante Crucifixum proſtratus ardentius, quam ante, deprecatur, ſibique ſalutem animæ iſtius donari efflagitat. Tum ad illum Chriſtus: *Ut videas*, inquit, *quam miſeri iſtius hominis ſalus mihi cordi ſit, vade, & me in effigie ad illum defer*. Redit itaque ad ægrum Pater, & Crucifixi effigiem oſtendens, per immenſam, quam ejus cauſa Chriſtus in cruce moriens teſtatus eſt, charitatem, illum etiam atque etiam rogat, ut beneficio ſanguinis pro ſe effuſi uti velit; dumque ille non flectitur, ecce omnia Crucifixi vulnera ſanguine manare incipiunt, & Chriſtus ipſe voce intelligibili in medium adferens ea, quæ pro ejus ſalute paſſus eſt, monet, ut in bonum ſuum ea convertat: cumque hic in pervicacia perſeverat, tum avulſo a cruce brachio, ſanguinem e latere ſuo defluentem manu corripiens, illum in ejus faciem projicit dicens: *Quandoquidem in tui ſalutem hoc ſanguine uti non vis, ſit ille tibi in condemnationem*; tum miſer blaſphemans continuo expiravit.

Graviſſima tentatio fructuoſe tolerata.

XIX. Supra nominata Catharina Bononienſis uti ſanctitatis, & gratiarum miraculum fuit, ita pro Dei amore certaminum theatrum incomparabile, occaſionem præcipuam dedit levis culpa, & occulta præſumptio: Aggreſſus erat illam dæmon, & cogitationis cujuſdam importunitate perturbare ejus animum conabatur; cum illa id advertens, dæmonique inſultans dixit: Artes tuas novi, non poteris deinceps tam ſubtiliter tentationum tuarum telam contra me ordiri, quin ego illas deprehendam. Diſplicuit hæc animi præſidentia amantiſſimo ejus ſponſo Jeſu Chriſto, utque illam puniret, purgaretque, & ad profundam animi demiſſionem experientia infirmitatis propriæ adduceret; laxavit habenas dæmoni, permiſitque ut illam occultis machinis, & fallacibus viſis, dictiſque in fraudem adduceret, quod tanto fecit artificio, ut illa mœrore prope confectam de ſtatu mentis quodammodo dejiceret. Induit aliquando formam Deiparæ, & blande Catharinam compellans dixit: Abjice a te vitioſum amorem, & purum atque laudabilem cordi tuo inferam. Credidit illa vere eſſe Beatam Virginem, quia tum temporis ab ea ſupplici prece flagitabat, ſibi a Filio Dei amorem impetraret. Itaque ſtatuit apud ſe amori proprio ſtrenue bellum inferre, ac præſertim voluntati, proprioque judicio per obedientiam frænum injicere, ut ſe commovere non auderet ſuperiorum injuſſu: (erat ex Ordine S. Claræ) dæmon ex adverſo contra res a ſuperioribus injunctas ingentem cogitationum multitudinem continenter exſuſcitat, & vel exiguæ morulæ inducias non concedit. Illas a ſe abdicare Virgo dum conatur, operam ſe perdere videt, ſuperiorem adit, bellum inteſtinum aperit, veniam humi proſtrata humillime poſtulat: ſed fruſtra omnia: cogitationes, & judicia contra obedientiam dæmon exaggerat, inde perturbatio animi, anxietates, triſtitiæ, puſillanimitates, quæ nova apparitione dæmonis in formam Chriſti deformati incrementum ſumpſere. Increpabat illam acriter ſuppoſititius ille Jeſus, quod ſuum ſibi cor illa ſuffurata eſſet; & cum peteret, qui hoc fieri potuiſſet, cum eſſet egentiſſima, nihilque in hoc mundo poſſideret; addidit dæmon transformatus, non eſſe ita pauperem, ut ſe jactabat: dediſſe ſe illi tres facultates, intellectum, voluntatem, atque memoriam, & illam viciſſim per obedientiæ votum ſibi illas reſtituiſſe, nunc eas ipſam reſumpſiſſe, & in hoc ejus latrocinium conſiſtere. Illa vero arbitrata hoc a Chriſto dici propter multitudinem cogitationum obedientiam impugnantium, quibus continuo infeſtabatur, dixit: Domine, quid hac in parte fieri a me

Idem p. 1. c. 9. n. 1.

a me desideras, cum istæ cogitationes non videantur esse in mea potestate, & invitam occupent? Tum deceptorius ille Christus. Accipe, ait, intellectum, memoriam, & voluntatem, & ne permitte, ut alteri rei se occupent, quam Superiorum exequendæ voluntati. Qui id faciam, inquit illa, cum illis potentiis pro libitu imperitare non possim, & contra voluntatem intellectus judicet subito, & memoria etiam alicujus rei recordetur? Imo vero, inquit, laruatus dæmon, velle tuum Superiorum voluntati submitte: nihil aliud velis, & nolis, quam quod illi probaverint; res fugitivæ te non remorentur; omni promptitudine obedientiam exerce, & omni actioni punctum aliquod passionis meæ admisce. Atque his aliisque commemoratis evanuit. Interea classicum fortius canit, pugnamque cogitationum acrius renovat, tacitis murmurationibus, & alienationibus animi a superiore mentem ejus implet: Illa vero omnia superiori aperire, ad pedes ejus accidere, culpam deprecari, & lacrymis pavimentum spargere, idque tam abundanter, ut deficiente humore aqueo sanguinem oculis funderet: inde arido, & exsiccato cerebro labor oritur ingens in precibus horariis persolvendis; hinc mœror, & perturbatio, qua, quo se verteret, non videbat, adeo ut a desperatione, imo & insania longe non abesse videretur: cum ad sacram Synaxim accederet, horrore concutiebatur, & ne recederet, manibus prope astantium retinenda erat: Cimmeriis in animo tenebris obsepta videbatur. Durarunt hæc quinquennio, quo toto tempore annulum amoris Dei super omnia actum exercuisse putabimus? imo vero frequentissimos, & Heroicos: testantur id sanguineæ illæ lacrymæ, ad pedes Superioris abjectiones, & sui accusationes, illud continuum partis superioris cum inferioris in retundendis murmurationibus certamen, quas etsi persentiret, ferebat tamen invita, & pro virili abjicere conabatur: quod Ipsum deinde illi apparens significavit Christus, dicens, nullam ab illa inter tot Dæmonis insultus, & prælia culpam admissam; plus meruisse, dum ad sacram communionem cum lucta accessisset, quam si suavissimæ voluptatis sensu perfusa fuisset; quo tamen Deus illam deinceps donavit. Hoc lumine illa illustrata gratias egit Redemptori suo longe maximas, quod via tam admirabili per continua certamina, tenebrasque mentis horribiles, tanto fructu animam suam locupletasset.

Contemptus opus laudabilis.

Mem. p. 2. c. 37. n. 15. XX. Duo fratres rebus humanis abjectis se intra Cœnobium abdiderant, ibi triennio exacto cum facultate, Prælati in sylvam haud procul a Babylone secesserunt, specusque ibi societas non admodum inter se disjunctas ingressi illinc herbis, & glandibus victitare cœperunt: Festis tantum diebus simul conveniebant, aliis diebus, etiam dum herbas ad victum quærebant, seorsim uterque abibat in diversa, ut alter ab altero semper unum aut alterum milliare distaret: Comes illis, & consolator adesse solebat Angelus: Accidit vero, ut, dum seorsim ita incedunt, alter alterum uno a se stadio remotum videret subsistentem, ac deinde facto signo crucis locum illum ingenti saltu trajicientem, ac si laqueum transiliret: miratus alter saltum, & fugam fratris, lustrandi loci causa progressus, videre voluit, quid accidisset fratri: venit, & invenit ingentem auri acervum, fusisque ad Deum precibus, exutum pallium auro implevit, & vix oneri ferendo par, magno labore illud in speluncam suam intulit: Inde in urbem profectus, Monasterium, ac Hospitale erexit, dotavit, ac reliqua in pauperes distribuit, ne denariorum quidem in usum suum retinens: re, ut putabat, præclare gesta, gloriabundus, & fratrem nimiæ simplicitatis hominem apud se reputans, qui tali occasione ad Dei gloriam uti nescivisset, redibat ad cellulam, cum Angelum obvium habuit, qui atroci vultu illum intuens, dixit: Fratrem ejus plus, auri contemptu, fugaque, apud Deum collegisse, gratiæ, & præmii, quam ipse Hospitalis, & Monasterii molitione, cæterisque largitionibus esset consecutus: ac quia superciliose fratrem, ut simplicem despexerat, fratris deinceps conspectu, suoque privatum iri: exorato tandem multis precibus, & lacrymis Angeli post septem dies reditu, jussus est ab illo columnam prope Edessam ascendere, in qua post pœnitentiam quadraginta novem annis severissime exactam, & terribilia cum dæmonibus certamina, Angeli iterum conspectu recreatus, & de fratris in cælo beatitate certior factus, cui paulo post comes futurus erat, diem supremum, totius historiæ serie prius Episcopo patefacta, feliciter obiit.

Quies propria saluti aliorum post ponenda.

XXI. Alphonsus Roza, ubi plures Indicis laboribus annos dedit, Hispaniam religiosæ quietis ergo sibi repetendam duxit. Jam enim volebat post navatam diu aliis operam, etiam suæ ad felicem hinc exitum præparationi vacare. Verum quoties se ad ferio meditanda divina componebat, toties præsentem sibi, & spirantem in cruce vulneratum Christum aspicere videbatur, & simul audire dicentem voce querula, quid demum esset causæ, cur se in cruce sic derelicto, suæ potius quieti studeret? Quæ illi visio, quia se repetitis toties vicibus objiciebat, ille ad cor primum, deinde in Indias ipsas rediit, & plures illic annos non sine singulari animarum fructu egit. Plat. l. 2. de bo. stat. Rel. c. 30.

Salutis alienæ cura a Christo commendata.

XXII. P. Didacus Martinez, Soc. Jesu, coram Crucifixo orans, ut sciret, quo in opere maxime vellet Deus se occupari, jussus est a Crucifixo retro flectere oculos. Flexit, & ecce Indus in medio conclavi flexus Deo supplicabat, ut sui curam Didaco mandaret, sufitque formata voce Crucifixus, missa ut studia taceret, seque daret Indorum procurandæ saluti totum. Nadas. in an. crucif. feb. 46.

Gan-

Gaudium ab martyrium.

Rho.l.1.c. 9. exempl. 8. ex nostr. XXIII. Recrudescente in Japonia bello adversus Christiani nominis cives pariter, ac peregrinos, atque in fidei Magistros sævientibus Tyrannis, duo in prima acie depugnarunt viri fortissimi ex duabus Ecclesiæ delectis cohortibus, Minorum observantium Ordine, ac Societate Jesu. Nomen primo Petrus ab Ascensione, Joannes Baptista Machiado erat secundo. Hi cum producerentur, quæ in vitæ cursu maxime læta computarent, amica sermocinatione invicem dixerunt; eodem enim carcere inclusi, instantis jam necis denunciationem, decantato solemnis lætitiæ carmine, *Te Deum laudamus*, sestis vocibus exceperunt. Mox Petrus sibi gratulabatur, quod tandem auditus esset a Deo, sa enim supremis illis diebus hoc unum inter sacrificandum a Deo postulasse, ut pro ejus nomine mori liceret. Machiadus tres sibi dies lætissimos illuxisse narrabat: qua olim Societati nomen dederat, qua captus, & in carcerem abductus, & illam ipsam, qua mortis sententiam exceperat. His animis instructi, cum progrederentur: admirationem barbaris attulere, haud satis intelligentibus, unde, hominibus carnificis manu morituris, gaudia suppeterent. Nimirum ignorant barbari, æternitatis jam vicinæ aura invitante verno cum risu florere lætitias.

Gaudium in martyrio.

XXIV. Ut rosis inter spinas ridere a natura datum est; sic Christianum gaudium inter cruciamenta exultare fatalis quædam gratiæ indulgentia videtur, quod Joanne in Œgilbœo maxime comprobatur. Aspice tu illum suæ necis privilegio (& agendus in furcas erat, totaque illi hæreseos exsaturanda crudelitas) pedes abluentem, atque hilaritata mira nostem piissime traducentem. Intuere oscula insigentem ferali trabi, carnificemque, a quo paulo post dejicendus, ac plusquam barbaro laniatu semivivus concidendus in frusta, exenterandus, elixandus erat, arctissime complectentem, atqua dulcissime suaviantem; quem illi animum, quam alienis ab hac nostra mortalitate tentatum gaudiis fuisse dices? Hæc vix opinor, intelligent, quibus in lubrico hujus ævi opes, & spes sitæ sunt, haud enim supra homines gaudent, qui nihil supra illos spirant.

Perfidiæ recusatio fructuosa.

ib. l. 4. c. 10. n. 12. XXV. S. Pius V. sancte etiam cum sicariis importunisque latronibus servandam esse amicitiam arbitrabatur, Marianus quidam erat Asculanus latronum ductor, magni per cædes, & scelera nominis, qui cum impune per agros volitaret, sparsoque lata metu Pontificiam ditionem sollicitam teneret, neo illa Urbani Prætoris diligentia, quamvis submissis militibus, homo cautus, & ferox comprehendi poterat. Sed amicorum unus se, si argentum daretur, proditurum pollicitus. Prætorem per internuncios convenit, facile hoc sibi esse, si sa uno familiarissime uteretur. Sed Pius violari qualem demumcumque amicitiam rem longe indignissimam ratus, perfidi hominis operam ut Prætorem vetuit, sperare si sine alicujus sceleræ, homini scelarato demum posse puniri. Rescivit hoc latro, & Principis raverantia captus, Pontificis ditionibus excedens, dimisso suorum globo voluntarium abiit in exilium, pacemque Provinciis reddidit; faciliorem, expertus Principis justissimam indignationem, cui caput crederet suum, quam perfidorum hominum amicitiam, qui illam commodo suo cultam vanalem haberent.

Mascula Matronæ constantia.

XXVI. Nova inter majestatis læsæ crimina, quæ ab hæreticorum injuria prodierunt, Sacerdotum Catholicorum hospitium, atque amicitia, ut prægrande scelus continetur. Hujus rea quum Margarita Mideltonia perageretur quamvis dirissimis vexata minis atque suppliciis; indicium tamen peragere, constantia plusquam matronali viriliter abnuit. Ergo ab Huntingtono Comite, quem hæresis efferebat, peracuto lapide genibus subdito, injectaque tabula mille pondo superimposito, dirum in modum, novo tormenti genere, tota eliditur, atque conteritur. Cum duceretor, augerentque minis atrocibus instantis jam necis acerbitatem, illud unum repetebat: *Sive hoc, sive alio mortis genere hinc abeundum sit, æque brevis ad cælum via.* *ib. l. 4. c. 13. n. 8.*

Fundatio monasteriorum plurium.

XXVII. Carolus Magnus fundavit tot Abbatias, & quidem largis redditibus, quot litteræ sunt in Alphabeto: Et harum abbatiarum singulis unam ex Alphabeti litteris nominis loco imposuit. *Tom. l. Ilian.*

Fidei Christianæ æstimatio.

XXVIII. In China latrones invasere, & expoliatos occidere viatores capitibus amputatis; erant latronum decem qui post turmam viatorum ita occisam, etenim erant omnes gentiles, tandem, & Christianum invasere, cui cum a manica, præter alia spolia, rosarium quoque axtraxissent, rogaverunt, quid illud esset? Christianus se Christianum esse, respondit, ac rosario se Deum cæli colere, ac invocara. Ubi audierunt, aum esse Christianum, omnes in eum conversi, proptus eum considerabundi accedebant, ac ei bene precabantur, invidentes illi, ut dicebant, innocentem vitam, cujus ducendæ gratiam a Cælo accepisset; quod si haberenr, unda vitam tolerarent, statim se, deserto latrocinio, Christianos fora. Eum igitur humanissima, ac blande habuare, ut rem sacram, rogaveruntque pro pignore sui desiderii, vellet sibi rosarium relinquere. Atqua ei, cæteris omnibus occisis comitibus, vitam servarunt. *Refert in Chinæ ... sæc.*

Baptismi virtus in corpore.

XXIX. In quodam pago regni Junquinensis, Keccoy dicto, gentilis aliquis admodum superstitiosus, graviter ægrotabat, quo in morbo a dæmona dire fuit excruciatus: modo enim manus ejus retro ligavit; modo capite *In Relat. Miss. Jap. 1640.*

deor-

deorsum demisso, eum e trabe cubilis a pedibus suspendebat: alias eum extra domum violenter foras raptabat, & multis modis dire affligebat, ut tamen ipse dæmon nulli videretur. Accurrentes aliquando ad ipsum Christiani, Deum pro illo orabant: inter quorum preces, & lacrymas æger mirabile ostentum vidit. Matronam spectabat plenam majestate, quæ lectulo vicina, manus pectori ejus imponebat, ubi præcipua doloris sedes fuit, & restituit. Tum in throno considens elegantem librum manu tenebat, quem eum jubebat capere, ac legere. Accepit ille, & intellexit, librum esse fidem Christianam. Ita visio illa desiit. Ipse statim baptizari petiit, & præmissa brevi Catechesi, celeriter, ut ægritudo videbatur postulare, baptizatus est; uti, & uxor ejus ante obstinatissima. Æger accepto baptismo, statim totus convaluit: qui palam facturus, quam serio Christianus esset, magicos omnes libros, ut putabat quidem, exussit; sed quadam die, cum omnium minime cogitaret, stabant ante ipsum duo viri horrido, ac nigro vultu, qui furore pleni dicebant, se ab ejus domo prius non abscessuros, quam desineret magicum librum domi asservare. Hoc dicto stetere immoti. Neophytus tremens, domi angulos excutit, reperit tandem in recessu quodam involucrum chartæ magicas artes continentis, easque confestim exurit. Tunc duo illi Æthiopes illico evanuere, terrorem maximum in Neophyti animo relinquentes.

Fervor in Christiana fide amplectenda.

Ibid. XXX. Paulus Mandarinus in Regno Juoquinensi columna fidei in eo regno, cum esset juvenis, erat Regi senioris percharus, & hodierno etiam nunc Regi, cujus in ludis, & exercitiis comes fuit, & socius. Eo jam adulto, & conjugato, cum P. Alexander Rhodes in quadam Aulæ regiæ domo prædicaret, filiola Pauli a Deo mota caso in concionantem incidit, quo audito, baptismum petit, & accipit, Agatha vocata. Et quia erat accensa siti rerum divinarum, ceu altera Thecla, cœpit P. Alexandrum sequi, toto enim die extra paternam domum erat. Reversa in domum, si rogaretur a Patre, ubi fuisset, respondit, se cuidam Reginæ de se bene meritæ inservisse, & intelligebat fidem Christianam, quam audiendo conciones perdiscebat. Tandem Pater voluit puellæ piam fraudem detegere; quare die quodam eam clam insecuturus, ubi P. Alexander prædicare solebat, a tergo illi fuit, & male verberibus exceptam acriter increpuit, illa patienter tulit utrumque; sed ubi a Patre se vidit liberam, elapsa domum penetrat; sequitur Pater. Sed quia concio cœpta, noluit tumultum excitare, quare, & ipse auditor initio invitus adstat, sed singula verba in eo fulmina erant, & jam totus ardebat, & primum signum permoti animi fuit erumpens cum lacrymis planctus. Ad finem concionis alta voce baptismum postulavit. Sed P. Rhodes afferens, præcedere debere instructionem, filiam el pro magistra tribuit. Pater magna modestia audivit filiam magistram non minori ardore docentem: quo exemplo utriusque tota familia baptismum expetiit. Neque post multos dies magna solemnitate, & gaudio Christianorum, Pater, & filia baptismo luit donata. Erat ante Paulus admodum Bagodibus addictus, quibus templa struxit, magnam partem suis sumptibus; sed nunc Zachæi instar in Christum fuit liber alios, proxime aulam struxit Christo templum, quod ceu aliorum mater ob magnitudinem, & majestatem partes habet primas: Ad quod festis diebus ad tria, & quatuor millia confluunt, & tunc mensam habebat omnibus acceptam. Addidit campum non procul a templo sepulturæ pauperum Christianorum destinatum. In domo ejus & multa sacella eleganter ornata, & depicta, plena libris piis, quorum lectioni præsertim junior fuit valde addictus. Mira fuit ejus constantia in adversis, quos quidam e suis male moratis filiis ei crearunt; nec minori exemplo fuit in supremo morbo: quem ubi vidit sibi plane esse supremum, magno pietatis exemplo voluit se in lecto ad templum a se structum deportari. Cujus facti tres rationes afferebat. Primo, quia templum propius esset cælo. Secundo, quod ibi mori vellet, ubi toties adorasset Deum, & in cibum Creatorem suum sumpsisset. Tertio, ut minori incommodo Christianorum posset visitari, majori vero suo commodo, cum ipse locus invitaret ad Deum pro se orandum, & pia colloquia. Versabatur inibi totum diem in exercitio actuum pulcherrimorum, virtutum variarum: nunc orabat, nunc legebat, aut legenti attendebat, nunc filiam suam varie hortando. Quotidie prope inibi Missam audiebat, confitebatur, communicabat sæpius. Rogatus a Patre superiore, num timeret mori; respondit, se omnes cum Deo rationes composuisse, nec aliud quam mortem desiderare. Duobus mensibus tenuit eum morbus ille: Tandem 2. Octobris sancte obiit, natus annos 74. a Baptismo anno 22.

Neophytorum Japonensium fervor.

XXXI. Cum P. Hieronymus Majorica, Neapolitanus in Regno Tunquiœnsi aliquam ejus Provinciam visitaret, venit ad pagum, qoo tempore celebris magos eodem appulit, cujus maleficio etsi aquæ pluviæ ita deciderent, ut viderentur omnia aquis mergenda, fuit tamen tantus fervor Christianorum, post plurium dierum continuam pluviam, ut, etsi aqua in foro ad jugulum usque incedentibus assurgeret, viri tamen, & fœminæ, & harum multæ cum infantibus brachio sustentatis, summa hilaritate, & fervore advenirent ad templum, quod etsi capax, vix tamen advenientes caperet. *Ibid.*

S. Augustinus per mortuum ad pœnitentiam monet.

XXXII. Neapoli accepimus 1649. quemdam animo enecandi exploso sclopeto, tantum perstrinxisse Principem de Avellino, sicario ab ejusdem famulis tribus globis interfecto; is sepultus est in templo Sancti Augustini, fossa *Schirmbeck in notat. p. 2. fol. 471.*

fæ impofitus altiori, & ponderis majoris fuperimpofito marmore. Noctu hic vocem audiit, quæ nomen ipfius inclamarat, jubebatque prodire. Ad quod confidens, & plura contrectans cadavera, fenem venerandum viderat adhortantem, ut exiret: fed cum alter vulnera caofaret, brachiis præfertim inflicta, inftitit fenex, fanitatem pollicitus, & opem. Igitur fanus furgit, & amoto lapide prodit. Tum alter fe effe S. Auguftinum, cui dicatum effet templum, profeffus, mandavit, Principem de Avellino adiret, diceretque, ni vivendi rationem mutaret, defereretque pravas confoetudines, brevi vindicem Dei iram fenfurum: quibus dictis evanoit. Alter pulfata fæpius Sacriftiæ janua Sacriftanum tandem excitavit: fed ad illius confpectum, quem heri tumolaverat, territus fugit; dum ad alterius preces redux, rem omnem ordine intelligit, fummo mane monitos Princeps, vitæ rationem emendavit, vivo ifto e mortuis monitore in ejufdem deinceps palatio commorante.

Concordiæ amor.

Lyraeus de imit. Ch. l. 7. c. 1. doll. 28.

XXXIII. Saoctos Francifcus Salefius adhuc adolefcens Patavii æger a Medicis defperabatur, Œconomus igitur eum rogat, fi mori contingat, quid fieri de fuo corpore velit? cui Francifcus: *Omnia charitati tuæ relinquo*, hoc folum expeto, ot, cum expiravero, corpus hoc diffecandum Medicis, Chirurgis, & Anatomices ftudiofis tradas. Hoc enim mihi folatio erit, me etiam poft mortem aliis prodeffe poffe; nam impediam tonc faltem tot rixas, tot diffidia, & cædes, quæ inter defunctorum parentes, aut confanguineos, ac Medicinæ Candidatos eveniunt. Tactus enim aliquando non mediocri dolore fuit, cum ejufmodi altercationes ipfe inibi vidiffet, obi deficiente, quem quotannis Magiftratus dare folitus erat, alicujus Rex cadavere, Academici defunctorum qoorumlibet corpora fepulchris extrahere conabaotur; hi vero, ad quos fpectabant mortui, armati fe opponerent: unde jurgia, cædes, aut læthaiia vulnera.

Spinæ in rofas converfæ.

Idem l. 3. c. 6.

XXXIV. S. Francifcus Seraphicus, ubi loci fanctitate pellectus Sublacum venit, obi fe olim S. Beoedictus in fpinis volutabat, vifis veprium & fpioarum frutetis, infolito pietatis ardore foccenfus, exclamavit: *Iftæ non fpinæ, fed rofæ funt*; exinde dumeta attrectans, & exofculans, facto figno crucis, in rofarium pulcherrimum convertit divina virtute. Inde vepretum illud miræ virtutis rofas produxit, ægris falutares.

Reliquiæ mirabiliter exceptæ.

Jos. Ferding. Reliq. l. 2. c. 1. ar. 1.

XXXV. Refert Paolus Morigius, S. Dionyfii Mediolanenfis Epifcopi, quem Conftantius Imperator Ariaous in Cappadociam ablegarat in exilium, facras Reliquias Mediolanum reportatas, D. Ambrofium obviam illis procdeuntem, atque adeo relerata capfula eas humiliter complecti molientem peramanter falutaffe, ac dixiffe: *Ave frater Ambrofi*: & a ripa fluminis Adæ ad Bafilicam, in qua erant facra lipfana religiofe componenda, ftupente populo, multa cum S. Ambr. de fide Catholica, & Chrifti divinitate collocutos.

Reliquiæ Sancti Martialis captivos liberant.

In Bene. Signing de Relig. c. 34.

XXXVI. Cum Reliquiæ S. Martialis Lemovicenfis Pontificis ad templum deferrentur, a S. Eligio illi ftructum: poterant illæ quidem alia via rectius & compendiofius portari: voluit tamen fanctus Eligius, ut alia irent, futuri miraculi caufa. In via enim illa carcer occurrit, ubi feptem captivi tenebantur. Cum igitur S. Eligius, com facris Reliquiis illac præteriret, repente bajulus S. Reliquiarium gravi onere depreffus, folo affixus reftitit, neque progredi potuit. Interea captivi lenis tonitrui vocem audire: & ftatim vis quædam cum magno impetu adveniens, totum ab imo carcerem concuffit, & affractis omnibus feris, ac nexibus diffipatis, carcer patuit. Tunc mox iterum SS. pignora jam leviora portari fe alio paffa funt.

Corpora Catholicorum miraculofe cognita.

Jo. Fer. loc. cit.

XXXVII. Cum Mediolani ob gravem inter hæreticos & Catholicos conflictum corpora occiforum ita inter fe effent permixta, mutuoque in fanguine natantia, ut Catholici ab hæreticis fecerni non poffent; S. Ambr. Deum oravit, ut fecernendi facultatem præberet, ac indicium. Vix oravit, cum ecce repente omniom Catholicorum corpora divina vi mota fefe obvertunt, & fupina cælos afpiciunt. Arianorum contra cadavera verfis in terram vultibus prona jacuerunt. Ad hæc Catholicorum fanguis miraculo coagulatus, & in rotam globumque divina vi rotundatus circumvolvi cœpit, ac per totam urbem mirabiliter actus ad S. Stephani Protomartyris templum ufque perrexit: ubi a tellure altiffima abfortus eft.

Fraus circa Reliquias detecta.

Idem l. 3. c. 10. d. 1.

XXXVIII. Vir nobilis, genere Senenfis, Reliquias de S. Auguftino pietatis caufa habere volens, Turinum abiit, & a Sancti corporis cuftode multa pecunia voluit impetrare, qui veritus faoctum corpus violare, e cadavere paucis ante diebus defuncti pollicem abfciffum illi pro S. Auguftini dedit; eum vir ille honorifice habuit. At nocte quadam non plene dormienti Sanctus Auguftinus apparet multa luce clarus, eumque fraudis, & erroris admonet, oftenditque fe digitos omnes habere: hunc autem, quem pro fuo acceperit, non effe fuum: *Sed ne vana*, inquit, *fit fides tua, accipe digitum hunc meum*; ftatimque ademptum dextræ fuæ poilicem ei bono dedit, ac evanuit. Multa enim vir ille digito ifto miracula fecit. Quod audiens Longobardorum Rex Sancti corporis cuftodem in carcerem conjici juffit, voluitque rem penitus cognofcere. Cuftode vero affirmante, fe alterius cadaveris pollicem abfciffum Patritio viro dediffe, Rex, ubi Sancti Auguftini corpus

alter-

asservabatur, locum patefieri jussit; sanctoque corpori dextræ pollicem, præterea nihil, deesse cognovit.

Varia nonnulla Sanctorum.

XXXIX. S. Euphrosyna nomquam sedere visa est. Isidorus nil unquam vestis lineæ gestavit. Or. Abbas, & Macarius a baptismo numquam in terram exspuit. Theonas annis triginta numquam locutus est. Joannes Abbas annis quadraginta oumquam mulierem, numquam pecuniam vidit, nec ipse comedens, aut bibens visus est. Possidonius numquam ad dimidium diem injuriæ recordatus est. Paphnutius annis octoginta numquam duabus tunicis usus. Gadilana toto vitæ tempore numquam sub tecto fuit. Abban numquam cubare, sed vel stare, vel genua flectere consuevit. Acepsimas annis sexaginta neminem unquam vidit, nemini locutus est. S. Joan. Chrysostomos numquam ulli maledixit.

Dionelius P. Aur. lib. 6. 7.

Gentilis cum Christianis vicit.

XL. In Insula Cuba Indiæ occidentalis Regulus quidam victorias multas est consecutus adversus finitimos populos, non alia ratione, quam quod usus est Christiano quodam Duce copiarum suarum. Is autem pergebat in hostes, gestans in pectore Imaginem B. Virginis, ac protinus illos in fugam versos superabat. Cumque dissensio esset inter Indos, orat præstantiorne foret imago B. Virginis, quam Indicorum Deorum, & idcirco ad arma veniretur, convenere, ut in lata quadam planitie duo juvenes hinc inde brachiis ad terga ligarentur arctissime, & duo quidem nomine Mariæ ab adversaria parte vinculis constringeretur; duo Indicorum Deorum nomine similiter ab alia parte; quorum vero manus sponte solverentur, ii victores essent, ac pro veritate crederentur pugnare. Res ita acta est; & continuo, innumeris videntibus inclamante Regulo; *Ave Maria*, astitit Matrona mirabili Majestate, quæ ad foos appropinquans, & virgâ manus tanges, illos exsolvit, solutique ad alios duos ex adverso positos devinciendos continuo contulerunt. Quo peracto, visum est idem certamen renovari; ac rursus idem mirabiliter evenit. Hoc passim divulgatum plurimos ad Christum adduxit.

Euseb. Nieremb. in Troph. Mar. l. 2. c. 40.

Providentiæ Divinæ mirum specimen.

XLI. Dum P. Stephanus Fabris in China percurrit misionem Jamphien, vidit in flumine hominem stomacho aquis eminentem immotum. Pater a comite quærit, quid hoc sibi velit, & num quispiam submersioni proximus sit, qui sua ope indigeat, ne mergatur. Sed alter respondit, hunc esse hominem ob gravissima scelera ad hoc damnatum, ut in medio flumine esset, dum moriatur. Contrita esse illi, & comminuta pedum, & crurium ossa, & ipsum insidere saxo. Si quis pietate commotus ei frustillum panis objiciat, inde vitam illi prorogari: prope jam per mensem eum hoc tormento cruciari. Motus Pater commiseratione oculos in cælum levat, & a Deo donari sibi hanc animam postulat adhuc idololatriam. Tum aquam ingressus, loqui de æterna salute, ac fide cœpit, & quantum necesse est, & tempus fert, hominem edit. Miser ille tandem annuit, & magna signa credentis, & dolentis dat. Tandem Pater hominem in ipso, & ex ipso flumine baptizat; & Patre digresso, alter mox feliciter expirat.

Bartol. in China l. 4. col. 1129.

Mira conversio.

XLII. Quidam litterarum in Sinis Professor (quæ est honoratissima inter eos conditio) adeo fuit ferocis ingenii, ut omnes ab eo, ceu rabiosa bestia sibi caverent. Hic subito præter omnium expectationem ad P. Julium Aleuum in Provincia Foceu animarum saluti intentum venit, animo Christiana sacra suscipiendi, adeo modestus, ac mitis, ut alius ab ipso videretur. Sed quia fides ei nondum habebatur, ter repulsam, & eam patienti animo tulit. Post paucos dies iterum adest, eadem submissione, adhibitis etiam Christianis amicis fidejussoribus: qui tam serio causam suam peroravit, ut Patri videretur, credi ei posse, ac eum erudiendum sumpserit cum tota ejus familia, jam ante ab ipsomet supplice fidei conciliata. Ipso die baptismi, Pater in amplo conclavi ad id ornato cum ejus cognatis eum operiebatur; qui insolito apparatu ad baptismum accipiendum comparuit. Dextera facem accensam tulit, & sub sinistro brachio vestem, quam sibi detraxit, & alia insignia litterati Xuzai, hoc est, Baccalurei, cujus gradum tenebat. Ita stans coram Patre. *Hic habitus*, inquit, *licet non sit mearum culparum reus: nihil minus mecum eousque deliquit, quia in eo habitu liberum habui accessum ad Mandarinos, & tribunalia, & dicendi arte abusus, millies injustas causas propugnavi, fecique ex innocentibus reos, ereis innocentes, justitia et vendita, qui pluris emeret. Nunc autem in omnem vitam, quam modò suscipere paro, hac veste me expolio, ac cum ea gradu litterati, & sponte me abdico illo privilegio, quo auditus in tribunalibus fui, nullamque posthac causam suscipiam: Idque tam serio, ac bona fide, ut in omni vita numquam velim ad hoc studii genus redire, uti numquam sum hanc vestem deinceps induturus.* Quo dicto, vestes in ignem conjecit. Inde genibus supplex baptismum accepit, Paulus dictus. Post pauculos dies, post exactum in vitæ præteritæ errata examen, majoribus litteris in folio grandi majora sua peccata conscripsit, & e muro ejusdem Aulæ suspendit, ut omnium, qui intrarent, oculis paterent: ut, qui lecturi essent, ac pessimum ejus vitæ statum cum præsenti ab illo tam dispare compararent, intelligerent legis nostræ Sanctimoniam, quæ ita suos sectatores posset immutare. Retinuit autem primum suum munus erudiendæ juventutis, cujus saluti potius, quam doctrinæ intentus, intra paucos menses 30. juvenes ad fidem adduxit. Supra portam quoque suæ domus chartam affixit, in qua majoribus litteris profitebatur, se pauperes gratis docere: quo vix lecto, scholam habuit ita plenam, ut locus discipulos vix caperet. Prima doctrina fuit de fide: Altera lectio exemplum fuit, quo eis præluxit, neque parentes gentiles ægre ferebant filios ab eo erudiri: quod schola Pauli ad honestatem, modestiam, assiduitatem in studiis erudiret: Domi, & in urbe passim pro miraculo habebatur, eam juventutem videre; & beatum se credidit, qui filium in ejus disciplina habuit.

Idem l. c. fol. 802.

Pulli in manu exclusi.

XLIII. S. Kœnginus aliquando in quadragesima

Nierem-berg. de mirac. l. 2. c. 6. ma in sollitudinem secessit: ubi dum more suo manum per fenestram ad cælum levaret, ei forte merula insedit, & quasi nidum nacta, ova excludit, cui prædictus Sanctus tanta mansuetudine, & patientia indulsit, ut nec manum clauderet, nec retraheret; sed usque ad plenam pullorum exclusionem eam extensam teneret. In hujus rei memoriam Imagines S. Kangini per Hiberniam in manu extenta merulam habent.

Fidei ardor.

Philipp. de Marin in Miss. Iap. l. 3. XLIV. Sancta anus in Japonia septuaginta octo annos Christianæ fidei retinens parvulam crucem capillis clam invexit, & ut lateret, omni crinium comptura, & lotione abstinuit, neque ab alia se pecti tolerabat, senectutem causata, quæ eas elegantias negligeret. Sed aliquando ejus cognatæ vi eam pectinarunt, & inventa in crinibus cruce, illam ut ream ad Judicem detulere, veritæ ultima supplicia, si reticerent, & res aliunde innotesceret; vocata ad judices vetula constanter retinuit, & pro eo longis est suppliciis enecta.

Martyrii desiderium.

Ibid. XLV. Incendium, quod in regia urbe Japoniæ Yendo triduum duravit, anno 1658. Christianis fuit attributum. Et cum Nangasachi inquireretur, num illic essent Christiani, ac multi reperti essent, volebant Judices in eos ut incendii auctores animadvertere. Citati, rogatique, fassi sunt cordate, se Christianos esse, nec ulla tormenta formidare; Christianum vero neminem esse auctorem incendii; Christi enim legem esse, bona se pro malis reddere: se tamen etiam sic mori paratos: neque secum extinctum iri Christianos, quorum in regnis Omure, & Arimæ essent ad quadraginta millia. Ergo ad cavendos tumultus rem omnem dissimularunt tunc Judices, ac liberos dimiserunt. Venere tamen litteræ 1660. nuntiantes, Tyran. Christianos, ut incendii reos, ad decem millia occidisse. Fuit tunc tantus fervor omnium pro Christo moriendi, ut etiam parvuli carnificibus se ultro ad cædem offerrent, altaque voce faterentur, se Christianos esse.

Hilaris patientia.

Ibid. c. 9. XLVI. Fuit in Japonia senex Petrus nomine octoginta annorum bono zelo, & pietate in Deum plenus, & gratiose sanctus, scriba insignis, ob bonitatem etiam gentilibus charus. Is in persecutione bonis omnibus spoliatus, cum juberetur insuper monetam expoliatoribus suis largiri, illudens illorum procacitati dicebat: se monetam esse, si monetam vellent, expenderent se pro quacumque re vellent. Iterum rogatus, ut pro merenda vitulum illum illis daret, ait, se vitulum esse; lixarent se, aut afferent pro libitu, mortem intentantibus respondit, nihil aliud in votis sibi esse; sed tandem, postquam coram Judice etsi iniquo panegyrin de fidei laudibus habuit, liber dimissus est.

XLVII. Eulalia virgo Hispana, e Merita urbe orta omnibus cruciatibus gravius quam ullus unquam pro Christi nomine torta, cum decimum tertium annum nondum impleret, mirum dictu! ne verbo quidem, aut ulla lacrymula, donec animam efflavit, mutati animi, aut doloris signa unquam ostendit. *B. Fulg. lib. 1.*

Scrupulus innocens Neophyti.

XLVIII. Ibidem senex quidam, ardente sua domo, omnium oblitus, cupiebat unam imaginem e charta salvam Christi in cruce inter latrones pendentis. It igitur per medias flammas; cum vero incendium cresceret, & videret, vix a se illæsam imaginem efferri e flamma posse, ingeniose pius, ac sui securus, convolutam imaginem in os sumpsit, & deglutivit. Dein Patri nostro anxius queritur, se id sibi religioni ducere; cumque Pater juberet eum securo ac læto animo esse, mox reversus, adhuc angi se dicebat: In imagine fuisse etiam latrones; quare timere se, ne cum eos quoque devorasset, malus, & sinister latro aliquid vitii sui sibi affricaret, & similis ei fieret: Pater risum non tenuit, & senem optimum amplexus, ait, omnem se illius culpam, si quæ esset, in se recipere: ipse vero bono animo esset. *Ibid.*

Miraculosa loci mundicies.

XLIX. Rogante S. Patricio adhuc puero pro nutrice olim sua ab emptore oppidi cujusdam domino in servitutem obrepta, quæ cogebatur scopis officinas omnes intra municipium expurgare, & e stabulis equorum fimum exportare: omnia habitacula illa absque humana manu mundata cernebantur, nec infra, seu juxta fimi alicujus vestigium cernebatur; mirantibus omnibus rem insolentem, nutrix tandem a servitute eximitur. Mansit etiam post ejus discessum miraculum, quod usque in præsens (ait Jocelinus) constat esse confirmatum; si enim infra dictæ munitionis ambitum tot jumenta, quot locus capere potest, ibi aggregentur, nulla ibi fimi particula reperitur. Est autem locus ille celebris in valle Clud. situs, lingua gentis illius Dumbreatam, id est mons Brotinum, dictus. *Nieremb. de nat. mir. in Eur. l. 2. c. 46.*

Passio Christi fructuose lecta.

L. Duo familiares amici, alter Clericus, & doctus, alter laicus illiteratus, Anachoretæ simul facti sunt. Clericus cœpit ejus vitæ rigore fatigari, ac reditum meditari; alter contra semper hilaris erat; cum aliquando convenirent, Clericus alter fidenter mœrorem suum, & ejus causam exponit; cui laicus differte e mysteriis Passionis Christi mœrorem abstersit, ut omnino eum in alium hominem mutarit. Rogat eumdem Clericus; unde hanc scientiam hauserit; cui alter: Liber meus, ait, est Dominicæ Passionis, & mortis; in eo triplices quotidie litteras lego, aureas, rubras, & nigras; simulque ad imaginem Crucifixi hominem adducens: Aureæ, inquit, litteræ sunt Christi virtutes, & opera, rubræ sunt ejus vulnera, & passio, nigræ, justa, & occulta Dei judicia. *Lyræus de imitat. Christi pat. l. 4. c. 10.*

Matrimonium a Christo Virgini imperatum.

Idem l. 6. c. 12.

LI. B. Lucia Narricensis a Christo amantis specie adhuc septennis puella desponsa fuit, anulo aureo in digitum inserto. Cum ecce idem Virginis Filius eidem Imperat, ut illustri ex Comitum genere adolescenti nubat, mansura virgo. Ita inaudito exemplo virgo voto virginitatis obstricta, a Christo jubetur matrimonium inire: in eo sui, & auxilii divini secura ligneum Crucifixum medio semper in thalamo posuit: Conjugem, si forte carnis illecebras sentiret, emicans e vultu ejus splendor absterruit, & omnem libidinem extinxit, aut aliis modis eam castigavit, donec Lucia magnis ad Deum precibus Comitem induxit, ut ipse Seraphico Ordini nomen daret. Ipsa vero Prædicatorum Ordini adscripta est.

Tunquinensis Ecclesiæ laus, & fervor.

Philip. de Mar. l. 1. de Miss. t. 1. de 1663.

LII. Non vidit oriens, & quævis alia plaga Indiæ Orientalis, quam nostri a centum, & viginti annis excolendam suscepere, Ecclesiam magis florentem, & fructu copiosiorem: neque sanctitatem magis radicatam, populum sanctiorem, labores magis benedictos, quam quos in Regno Tunquinensi exantlavimus. Abundantior est inibi fructus, quam fuit jactura in Japonia. In Japonia quidem primis quadraginta annis Patres nostri erant centum, & triginta, habebant duos Episcopos, multa Collegia, inter quæ erant, ubi docebantur artes liberales; Seminaria non pauca, ubi educebantur Catechistæ: & tanta cultura toto eo tempore facti Christiani ter centies milleni. Erecta dein templa ducenta. In Tunquinensi Regno, spatio triginta annorum, sine Collegiis, Seminariis, Episcopis, ad summum denique a decem sociis; sæpe paucioribus, linguæ illius gnaris, tot ad Christum adducti sunt, ut Japonum numerum superarent.

Securitas de rebus ad vitam servandam necessariis.

Vita p. 2. §. 3.

LIII. Joannes Avila Sacerdos, dum aliquando Cordubensibus Ecclesiasticis ostendit exiguum Bibliorum volumen, quod ei semper erat ad manus, incidensque in eam Christi sententiam Matt. 6. *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & cætera* (utique temporalia) *adjicientur vobis*; asseruit, se ei sententiæ lineolam subdixisse, atque ejus veritatis securum, fidentemque Christo promisso, numquam caruisse necessariis subsidiis. Et mihi aliquando dixit, ait Author, si Genuensis mercator aliquis opulentus idem illi polliceretur, fidemque Chirographo firmatam traderet in manus, se omnibus ejus necessitatibus provisurum, securum sine dubio fore, neque de re ulla solicitum; quanto potiori jure, ajebat, sibi fidendum verbis, & promissis Christi, quæ fallere, & transire non possunt.

Patientia cum doloribus petenda.

Ibid. §. 1.

LIV. Idem in morbis dicere solebat: *Domine auge dolorem, sed, & auge patientiam.* Graviter aliquando valetudine afflictus, cum ejus ministri obdormissent, & candelæ quoque lumen extingueretur, cresceretque doloris acerbitas, noluit illos excitare. Victus tandem doloris vehementia, Deum rogavit, ut se liberaret: paulo post obdormiit nonnihil, & cum evigilasset a doloribus liber, cuidam adstanti discipulo dixit: *O qualem hac nocte alapam mihi inflixit Deus!* quod scilicet a Deo exauditus, plura tolerandi occasionem, & merita amisisset.

Defensio famæ Deo commissa.

Ibid. p. 2. §. 6.

LV. Ejusdem Avilæ doctrinam in concionibus carpentes apud Inquisitores eum accusarunt, quasi seminaret errores, cælo divites excluderet, damnaret inconsulte mortales, & sedocaret: Unde jussus est publico abstinere, donec eas criminationes diluisset. Parraga, Dominicanus, vir magnæ doctrinæ, & auctoritatis, ei suasit quidem, ut accusatores injustos recriminaret; hoc enim licere, quemadmodum cogitantem auferre vitam licet occidendo prævenire. At ille nihil omnino pro sua causa egit, Deo, & innocentia sua confisus. Absolutus igitur, & ab Inquisitoribus jussus est, festo die in eadem, qua prius dixit Ecclesia principe S. Salvatoris Hispali verba facere. Ubi in Cathedra apparuit, illico turbarum sonitus magnis plausibus, & totius urbis cogratulatione exceptus est; sed ille memor consilii a Christo dati, sui sermonis exordium fecit e precum postulatione, rogans Auditores, ut una secum eorum, a quibus fuisset calumnia petitus, Deo enixe salutem commendarent.

Memorabilis in morbo patientia.

In Relat. novæ Franc. 1650.

LV. In nova Francia anno 1650. quidam Michael E Kovaendal dictus, juvenis viginti duorum annorum, magnæ virtutis, cum æger multa toleraret a Chirurgho, morbo inexigente; Dei causa libenter omnia perferebat, & seipsum animans: Si dæmones, inquit, aut Hiroquenses (jurati eorum hostes) infideles meum corpus suppliciis excruciarent, consolarem me ipsum, cogitans, Deum delectari patientia mea, etsi eorum crudelitatem, & peccata detestarer. Nunc autem, dum is qui me affligit, facit hoc Dei amore, cui placet, quod agat id, quod mecum agit, causam habeo patienter omnia ferendi, ut Deus voluptatem capiat, quando me videt ita pati, ut ipse nulla ex parte offendatur.

Venter omnium membrorum sumptuosissimum.

Idiota in aul. miss. c. 10. n. 3.

LVII. In mensa cujusdam Prælati mota fuit quæstio, quodnam membrum sit sumptuosius in corpore humano? responsum fuit ab omnibus, ventrem esse. Interrogatus postremo Philosophus, qui aderat, asseruit oculos plures facere sumptus, quam corporis quodvis membrum. Quia sex sunt, quæ sumptus faciunt nimios, vestes pretiosæ, equi, ædificia, libri, cibaria, vasa argentea, & aurea. Superfluitas autem ista non est ob aliud inventa, nisi ut pascat oculos proprios, & quod miserabilius est, alienos.

Ec-

Ecclesiæ mutatio.

LVIII. Cum Petrus Senonum Archiepiscopus Abbatiam Clarevallensem aliquando adiisset, ut quemdam Conversum illic visitaret, qui frequenter rapiebatur in extasin, postulavit ab eo sibi aliquam visionem enarrare. Cui alter: *Vidi*, inquit, *Dominam quamdam speciosissimam, auro, & gemmis ornatam; Ea mihi stupenti dixit: quænam sum? respondi videri mihi esse B. Virginem; tum illa, respice me a tergo, cumque a tergo viderem, vidi eam putridam, & vermibus featurientem. Nunc, inquit illa, potes videre me B. Virginem non esse; sed sum Ecclesia, quæ in primo statu, quasi in anteriori parte, scilicet in Apostolis, in Martyribus, & Confessoribus fui pulcherrima, & decenter ornata, sed a parte posteriori, id est, postremo tempore, ut in modernis Prælatis sum putrida, sordium, & ignominia plena*.

Ib. c. 32. instruct. 4. n. 18.

Doctrina potior armis.

LIX. Calistus III. qui Nicolao V. successit, & omnes bonas artes restituit, ac fovit, cum intellexit periculum, quod Ecclesiæ imminebat a Jacobo Picinino belli Duce, intrepidus respondit, habere se tria millia doctissimorum Virorum, quorum consiliis sapientiaque omnes omnium simul Europæ Ducum conatus facile reprimi, contundique possent.

Inglaviteveris. 10. §. 11.

Clericos malus a Poeta reprehensus.

LX. Poeta quidam Christianus ita olim malos Clericos sugillabat:

Adam. Schirmbek p. 3. mor. fac. fol. 430.

Curant non aras, sed haras, non vera sed æra:
Non aquum, sed equos, non inopes, sed opes.
Libras, non libros relegunt, parentque monetæ,
Non monitis, pretio non prece quemque juvant.
Non alleluja recitare; sed alia norunt.
Plus in Salmone, quam Salomone legunt.

Conceptio Immaculata B. Virginis mirabiliter illustrata.

LXI. In Hispania quodam vespere orta immani tempestate, inter varia fulmina, & grandines cælum lapidem dejecit ita micantem, ut plures alliceret ad videndum, & explorandum, ac repertæ sunt incisæ litteræ hoc sensu: *Salve Maria Virgo, & Mater Dei, concepta sine peccato originali*.

In Relat. Hispan. 1663.

Eadem fortiter defendenda.

LXII. Est Matriti domicilium quoddam Dominicanorum, cui nomen vulgo Collegii de Athoca, ubi inclyta miraculis imago B. Virginis, quam Dominam nostram de Atocha, publica religione colitur. Contigit autem mense Augusto proxime superiore, ut oborto incendio, quo & templum Atochanum & Cænobium deflagravit, subducta flammis sacra imago ad Monasterium Sanctissimæ Trinitatis exportaretur. Sed brevi reædificatam eodem loco, ubi templum Atochanum erat, ædicula non incommoda, placuit Patribus Dominicanis, venerandum Statuæ pignus in antiquam sedem restituere, ejusque translationem, seu relationem magnifico apparatu honestare. Factum id splendide & honorifice maximo populi concursu, & more gentis per octonos dies, adhibiti quoque Reges, ignes artificiosi, missilia e sulphurato pulvere, symphoniaca, nec defuere per noctem festivæ sagittarum jaculationes, varia volantium flammarum spectacula. Sed felicem totius Festi decursum, octavo die vesperascente, turbulentus exitus excepit. Sacros enim concentus terminaturi musici Regii, consueta causa, qua laudes SS. Sacramenti & sine labe conceptæ Virginis canere modulate solent, finem facere parabant. Declamabant illico Dominicani: Cantores contra graviter dedignantur, & in proposito perstant. Neque loci reverentia deteriti nudant gladios. Denique cohibitis refragatoribus usitatum carmen numerose pertexunt. Unde postmodum regressi, ut injuriam pietati suæ factam ulciscerentur, ac Patribus Atochanis ægre facerent, ea ipsa nocte chartam nigro tinctam, cui albis characteribus hæc verba inscripserant Hispano idiomate: *Maria Santissima concepta sine peccato originali*: templi foribus affigunt. Illuxerat posterus dies 23. Novembris miras tragædias daturus. Hærebat valvis epigraphe musicorum: prope adstabat quidam e Dominicanis subtristis, & tacita cogitatione defixus; quem de via conspicatus puer duodecim circiter annos natus, illac transiens, & amphoram vinariam manu gestans accedit, atque hominis mœrorem conjectans e vultu: *Quid*, inquit, *animo versas Pater? haud dubie sine peccato originali concepta est*. Cui Dominicanus: Perge inceptum iter, atque abi, vilis mendicule. Tum puer convitio nil turbatus: *Ita est*, ait, *Pater tametsi tibi doleat, sine peccato originali concepta est*. Lacessitus illa confidentia Pater erumpit in jurgium & contumelias. Puer strenue respondet, fit clamor & ingens concursus. Fremunt omnes contra Dominicanum, & pueri causam tuentur. Ille impatiens in Sacellum se recipit, aliquid quæsiturus, quo musicorum epigraphem e foribus revelleret. Tandem nodosam cannam nactus redit. Forte in ædicula tunc orabat miles, qui in Dominicani exeuntis ore ac gestu aliquid intemperiei suspicatus, insequitur; & arundine titulum illum radere, refigere, ac concerpere molientem dehortatur. Renuente monacho miles arma expedit, & stricto gladio vim parat, & ulturum se B. Virginis injuriam clamat. Dominicanus suorum opem implorat: illi erumpunt & militem quidem a vi cohibent, sed non illius & turbæ voces. Clamant omnes: ignem Monasterio injiciendum; Jam illud cum templo nuper arsisse, claro irati Numinis argumento. Nunc demum monachos ipsos, qui non resipuissent, simul exurendos. Interea Virginis Antochanæ effigiem ab indignis, & Dei nitorem infamantibus, confestim auferendam. Interim multi e primaria nobilitate vel fortuito, vel rumore exciti adsunt, & causam tumultus inquirunt. Qua intellecta fæviunt ipsi longe atrocius cæteris, queruntur tantum Hispaniæ dedecus,

Ex eodem.

ut cui probrosum sit, Deiparæ majestatem imminui, gloriamque deformari ab illis, ut ajebant, canibus, quorum conditor Hispanus fuisset. Si quid simile alii Religiosi tentassent, continuo ab his ipsis de hæresi accusandos. Supervenere quatuor Religiosi, e Sancti Francisci familia casu prætereuntes pedites, & duo mulis advecti, Benedictinus unus, alter Hieronymianus. Hi omnes populi furorem animarunt verbis. Post multum fremitum decernunt omnes, rem ad inquisitionem deferendam. Interea titulum in librarii proxima officina restaurant optimates prægrandibus litteris in nova tabula & Sacelli foribus affigunt, educti gladiis minati, si quis manum auderet admovere. Quod si quispiam Deo invisus monachus id audeat, effecturos se, ut sentiant, quantum ipsos Virginis sanctissimæ contemptio pupugerit. Hæc autem per quintam, & sextam vespertinam gesta cum essent, adii ego ipse locum certaminis circiter octavam. Necdum relanguit tumultus, oppleverat publicam viam confertissima multitudo, Cardinalem Toletanum opperiens, quod advenire dicebatur. Plurimi autem e turba, Religiosum, qui mane musicorum titulum refixerat, ad supplicium deposcebant, atque in cœnobium irrumpere nitebantur. Responsum est a cæteris Dominicanis, eum esse æditurm, hominem laicum, rudem & illiteratum, biennio non amplius religiosum; jam domi non esse, alio migrare jussum. Quare ne fores effringerent, ab octava serotina usque ad secundum matutinam stetere pervigiles prope omnes præ foribus Dominicani, ut sui reverentia vim arcerent. Subinde autem valvæ postes ac superum limen convestita erant epigramatis, sententiis, emblematis, ut nil vacui superesset. Certabant ingenio, B. Virginem conceptam sine labe celebrantes. Nec vocandi fuere, qui legerent. Simul orta lux vigesimo quarto Novembris, confluxere tota ex urbe spectatores, qui vario illo ingeniorum partu oculos animumque pascebant. Ego quoque omnia perlegi, ac præ cæteris placuit Poema supremo officio magnis & venustis characteribus scriptum. Ecce autem ex alio aliud malum Dominicanis. Die sequenti decernitur quadam potestate superiori, ut sine mora adimatur eis sacra imago B. Virginis de Atocha, & ad Sanctimoniales, quas vocant Descalas de la Princessa, deferretur. Tum demum fulminati eo nuntio, nec minora pericula veriti, festo B. Virginis conceptæ brevi celebrando cedendum plane censuerunt, & publicæ pietati obsequendum. Invitant ergo musicos e templo Discalceatorum, rogantes impense, ut in Sacello suo Atochano hymnos vernacula lingua de immaculata Mariæ conceptione populo audiente concinerent. Venere musici, & cum illis e civico Magistratu nonnulli, quorum postulatu & prope coactu ipsi etiam Dominicani hinc e psallentium subsellis alternis clare, ac sæpius decantarunt: *Laudetur sanctissimum, Sacramentum, & purissima Virgo concepta sine labe peccati originalis.* Colliquescebant gaudio, quicumque hoc dulci spectaculo intra ædem fruebantur; sed quia longe arcebantur loci angustia, P. Prior vir authoritate & meritis gravis magnæque in urbe existimationis, prodit e Sacello, dat se in luctantes cuneos, & ad mediam plateam parvam it: ibi denique omnibus ad eum rei exspectatione conversis, magna voce illud idem clamat: *Laudetur SS. Sacramentum, nec non purissimam Virginem conceptam sine labe originali*; succlamavit universa multitudo: *Victoria! victoria*: Idque tam sonora & immani voce, ut nemo potuisset tonitrua, si quæ fuissent, exaudire. Prior inter hilaris turbæ plausus egrediens, sua ipse manu, spectante populo, e superliminari ædis tabulam appendit longitudine septem pedum, latitudine unius, cujus in area cærulea litteris aureis inustum erat hoc lemma: *Maria sanctissima concepta sine macula peccati originalis*; eoque testimonio suum, suorumque suffragium luculenter testatus abscessit. Præterea jussi sunt posthac, qui ad introitum templi stipem a populo rogant, in sumptus cereorum, his verbis constanter uti: *Date pro cereo SS. Sacramenti, & B.Virginis de Rosario Mariæ sanctissimæ conceptæ sine macula peccati originalis.* Placuit autem ad rei perennitatem eam tabulam, quam Prior Atochanus ostio appenderat, tenacius firmari. Condicitur in matutinam diei seq. 26. Nov. Rursus confluunt cives indigenæ, advenæ. Tum vero applicatis scalis duo e Fratribus, seu Laicis Dominicanis tabulam firmant clavis ingentibus, ferreisque fibulis tam valida malleorum impactione, ut non nisi magna vi revelli posse videatur tubis interim, ac tympanis personantibus. Ita tempestas resedit, permissumque Dominicanis, ut sequenti nocte per tenebras alia programmata tolerent uno excepto, quod erat ei inscriptioni simile, quam affixerant, & æedituus sustulerat. Cui tamen hæc verba sunt addita: *Ne me hinc auferant, uti socio meo factum est.*

Eadem in redivivo asserta.

LXIII. Anno 1424. VI. Idibus Septem. Festo Nativ. B. Virg. Minoressæ, quod est oppidum Barcinonensis agri, Franciscus Muletus, Baccalaureus Ecclesiæ ibidem Collegiatæ Canonicus, a quodam Francisco Pianes, diabolo sub hominis forma instigante, ac Muleto calumniam affingente, ipso in templo principe pugione confossus, & interfectus est; sed vix per aliquot horas exanimis jacuit; cum denuo B. Virginis ope revocatus est ad vitam, ac multis audientibus, quorum testificationes publica auctoritate exceptæ sunt, distincta voce asseruit, se, dum viveret, tenuisse opinionem, B. Virginem fuisse cum macula conceptam, & pertinacius propugnasse, & propagasse. Hinc permittente Deo, violenta se morte sublatum sicarii manu, cui nulla offensionis causam dedisset; seque ad Dei tribunal, inque maximum salutis discrimen adductum fuisse ob eam pertinaciam, quam non sine multorum scandalo præsetulerat. Sed B. Virginis favore, quam alias singulariter colebat, ad vitam rediisse; brevi tamen intra novem videlicet horas denuo se moriturum, accitoque Sacerdote, qui ei olim a confessionibus erat, confessus, & absolutus est. Exin omnes ad piam sententiam tenendam hortatus est. Jusculum a piis fœminis oblatum respuit; paulo post iterum se moriturum: eo tantum fine vitam recepisse, ut publica, eaque præsente confessione *Authores cit.*

præ-

præteritæ contumaciæ fcelus elueret, & inaudito haćtenus teftimonio piæ fententiæ veritatem confirmaret. Dićta a fe hora obiit: corpus folemni ritu in fublimi tumulo collocatum eft. Sicarius furca cædem luit: feries miraculi in tabulis depićta. Hæc hiftoria a contrariæ fententiæ affertoribus fæpe in dubium vocata, publica auctoritate ftabilita eft, idque Anno Chrifti 1484. 1525. 1653. & paffim extat. Habet eam Tortes, lib. 2. cap. 4. Tenas Epifc. Tortofæ in Conc. de Concept. B. Virginis Sebaftianus Abrea in s. 2. tr. 5. dif. 6. fećt. 4. n. 36. Hift. Longobardica edita Argentinæ. Serranus lib. a. de Conc. c. 3. Vega in Theol. Mor. num. 39a. Bafilius Pontius. Cæterum hoc unum affirmo (ait P. Honoratus Faber, qui fub nomine Hugonis Siffilini latet) nullam haćtenus, exceptis iis, quæ in facris Codicibus continentur, hiftoriam a me lećtam fuiffe, quæ majorem auctoritatem, & fidem præferat. Dićtus Hugo Siffilinus in libello, feu opufculo exquifite doćto, quo infcripfit: *Corolla Virginea*, io conclufione.

Ordo S. Francifci miraculofe defenfus.

Biblioth. paup. lit. C de conſil. malis.

LXIV. Anno 1376. quidam Prælati volebant Ordinem S. Francifci abolere, habito aliquo Epifcoporum conciliabulo. Erant autem ea in Urbe in Ecclefiæ præcipuæ feneftris depićtæ duæ imagines S. Pauli, & S. Francifci. Nocte edituus vifus fibi audire S. Paulum dicentem: *Quid agis, Francifce? cur tuum non defendis filiam? Cui ille: Quid faciam? nihil habeo præter crucem: hæc ipfa patientiæ me admonet*. Tum S. Paulus hortatus, ne tantam ferret injuriam, ei gladium fuum offert. Territus æditus, fimul ac illuxit, accurrit in templum, certoque vidit, utramque imaginem infignia inter fe commutaffe, In dextra S. Pauli crucem effe, & in manu S. Francifci gladium, tunc cruore ftillantem. Interim increbuit rumor, Epifcopum illum, qui ejus confilii Auctor fuit repertum effe mortuum, præcifa cervice. Tunc, & ipfum narravit, & imagines oftendit.

Pudicitia præmiata.

Nicius. Erith. Exempl. 156.

LXV. Nubilis virgo viduæ matris filiæ, urgente neceffitate ultima, monebatur a matre, ut ad cavendam famem, & inopiam fe proftitueret: ait illa diem fibi unum de re deliberaturum; interea precifos fibi elegantiffimos capillos matri vendendos tradit, qui vænum expofiti cum a nobili juvene confpicerentur, ac ille quæreret, num alicujus puellæ effent, quæ monafterium effet ingreffa: ubi intellexit rem omnem, virtute, & mifericordia commotus, jubet mulierem bono animo effe. Clam interim in puellæ mores, & vitam Inquirit, & cum omnia huic facinori paria reperiffet, eam indotatam fumma patris voluntate uxorem duxit.

Concionatoris dos præcipua.

Vita p. 1. c. 2. §. 1.

LXVI. Rogatus Joannes Avila a quodam probo Theologo, quodnam fibi documentum daret, quo fe utiliter ipenderet prædicationi, paucis refpondit: Vehementer Deum amaret.

Providentia Dei in victu fubminiftrando.

Biblioth. paup. S. Bonav. lit. C de Converfat.

LXVII. Fratri Guidoni Ordinis S. Francifci jam grandævo Deus lautiores cibos providit: Dedit enim felem, quæ quotidie e filva volucrem aliquam afferret Fr. Francifco montis Ilcini, ejus focio ut præpararet: Ipfo vero die, quo vir fanctus obiit, ad ejus pedes felis expiravit.

Eadem in filio ad Catholicamfidem reducendo.

Hiftor. Societ. p. 2. l. 1.

LXVIII. Fuit juvenis viginti quinque circiter annorum: qui primus cum matre, & fratre a piratis e Corfica Infula abreptus Algerium primo, inde Conftantinopolim ducitur. Matre, ac Fratre redemptis inter Mahometanos, infans rerum ignarus in Mahometis cultu adolefcit. Grandior aggregatus piratis, cum quibus ad Iberium mare prædaturus navigans præda fit. Quatuor annis, & amplius in Hifpaniæ portu captivus fervivit. Quo tempore nulla ratione adduci ad Chriftianam fidem potuit, fed fugam ad fuos, ut putabat, parabat. Demum precibus, & induftria id egerat, ut redemptionis pretio iter pararet a Calpe mox enavigaturus, cum incidit in mulierem natu grandiorem. Ea ut hominem vidit, nefcio quid ejus figuræ, quam filiolus olim ei imprefferat, agnofcens; percuIfa fubfiftit. Cumque hærens io obtutu, cujus effet, rogaffet, illeque fe Turcam Conftantinopolitanum effe refpondiffet; contra mulier plus plufque faciem filii nofcitans, ac deprehendens, fpeque repentina, ac materno fenfu commota: *Non ita eft*, inquit, *Chriftianus es*, & *filius meus*. Delirare vifa eft illi anus, fæpiufque affirmantem modo cum rifu, modo cum ftomacho abigit. At illa conftanter Prætorem adit, rem aperit, fe non dubitare, hunc effe filium fuum. Ita olim una captos, ita fe redemptam, ita eo loci veniffe. Confentire in juvene lineamenta, & oris figuram confentire, & ætatem; fi hæc haud fatis argumento effent, nudarent, incerta parte corporis geminos repertum iri nævos. Prætor haud negligendum judicium ratus, fpoliari juvenem jubet; & ecce nævi, quos mulier dixerat, palam cernuntur ab omnibus. Hic gratulatio & plaufus, tamquam in exitu comico. Juvenis ftupens hæfit. Tandem matre alia fuper alia figna congerente, cum ipfe quoque haud fe pro filio habitum unquam recordaretur, nec parentes nominare poffet, tandem fe Chrifto adjudicavit, & matri. Dein frequenti confeffione peccatorum, & cætera pietate, miraque divini panis fame noftris adeffe cæpit.

Literæ Chrifti Urbem defendunt.

Joann. Baptift. Signius c. 14. de Relig.

LXIX. Quamdiu Edeffæ in Syriæ litteræ Chrifti ad Abagarum Regem miffæ, fervatæ funt, tamdiu Urbs illa ab hofte occupari non potuit, ut refert Damafc. l.4. nec in ea habitare Tyrannus, aut hæreticus, aut paganus potuit; quod fi exercitus eam cingeret, infans fupra portam eas legendo ftatim vel hoftem profligabat, vel ad pacem petendam eo ipfo die cogebat.

Singularis gratia Reliquias eruendi.

LXX. Francifcus Hortulanus S. J. Coadjutor in Sardinnia habuit fingularem conceffam fibi

Joan. Fer. Disquis. Reliqu. l. 2. p. 1. c. 2. ar. 2. ſibi gratiam detegendi defoſſas SS. Reliquias. Ante mortem ducenta SS. Corpora detexit, ac indicavit. Poſt mortem, digeſtus repertus eſt index pluriom veterum templorum, quæ ubinam extarent ipſe numquam audierat, & SS. Reliquias, quæ ubinam locorum extarent ſingulis in templis indicavit.

Juſtitia Judiciorum Dei illuſtri exemplo comprobata.

Henricus in Diota ec. LXXI. Dominus quidam per ſylvam equo vectus crumenam in via amiſit. Ubi ad flumen ventum, herus pecuniam & ſacculum deſiderat; quærit ex ſervo, num ipſe reperit: negantem iratus ſtricto ferro petit, ac pede truncat, ita relicto ſervo herus viam relegit, argento quærendo. Ad ejulantis vocem excitus Anachoreta, hominem reperit male mulctatum. Solatur, ac dolorem lenit, ut poteſt, Et ratus morti proximum monet, ut confiteri ac ignoſcere hero velit. Paratum ad omnia in cellam ſuam portat, ac magna cura ei invigilat. Subinde miratus, Innocentem ita a Deo affligi tolerari, ab Angelo monetur, non ſiniſtre de juſtis Dei Judiciis judicare. Hanc pœnam eum promeruiſſe, quod hoc ipſo jam olim pede juvenis ſuam matrem una vectus ex curru indignis modis deturbarit, neque unqoam, ut par erat, doluiſſet. Herum amiſſa pecunia male fuiſſe uſurum. Qui vero ſacculum reperit, fuiſſe tenuis fortunæ hominem, ſed integræ vitæ ac numeroſæ familiæ, quod argentum repertum mox ad Curionem ſuum attulerit pro concione proclamandum. Parochus autem divinitus edoctus de repertoris inopia, cum nemo reperieret, partem unam repertori dedit; reliquam in reliquos egenos diſtribuit.

Cor ubi figendum.

Idiota in oculo myſt. l. 15. n. 12. LXXII. B. Arſenius, ut ex vitis Patrum, cum moreretur rogatus a Fratribus, pro valedictione, ut pio eos documento muniret, dixit: *Ibi, ubi*, quo dicto emiſit ſpiritum. Inde de verborum illorum ſenſu ſoliciti Fratres, ſenem quemdam per litteras conſuluere, qui reſcripſit eis: *Hæc eſt, ut puto, verborum intelligentia: ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaugia.*

Catholicorum fervor.

In furor. Gallic. LXXIII. In Gallia ad decem millia Catholicorum contra Hugonotas ivere, qui zelo divino iſtructi prædia ampla, uxores, & liberos reliquerunt: Chriſtoque ſe devoventes, propriis militiarum ſtipendiis, ſolo victu contenti, de reliquo nudi nudum Chriſtum ſecuti, cum hac inſcriptione: Eamus & nos, ut moriamur cum Chriſto.

Catena Chriſti ſervis Dei ſuadenda.

Igraut de Imit. Chr. l. 2. c. 7. LXXIV. Juvenis qoidam, Martios nomine, cum in montem Marſicom ſolitariæ vitæ amore abiiſſet, pedem ibi catenæ ferreæ innexuit, hanc vero ad rupem affixit, ne longius poſſet vagari, quam catenæ longitudo permitteret. Ad eum explorandum miſit S. Benedictus unum ex ſuis, qui diceret illi: *Si Servus Dei es, non te teneat catena ferrea, ſed catena Chriſti.* His auditis illico Martius catenam ſolvit; ſolutus tamen longius non proceſſit quam ante ſe catena extenderat.

Flagellatio cæli muſica.

LXXV. B. Mechtildis, dum oraret, concentum audivit muſicum e flagrorum ictibus reſonantem, quo moniales exprimebant. ad cælos uſque pertingentem: unde lætari Angeli, fugere dæmones, animæ in purgatorio mire viſæ ſunt recreari. *Idem l. 3. c. 4.*

Angeli juſta funebria perſolvunt ſupplicio affectis.

LXXVI. B. Jacobus de la Marcha, dum verſus carnificinam inter orandum oculos reflecteret, admirabili viſo Deus illi oculos aperuit: Proſpiciebat iſthuc per feneſtram cubiculi ſui Jacobus, & ecce Angelorum cohors præfulgida luce micabat, auditaque vox; ideo advenifſe quia plurimi ex eis qui plectuntur, inibi, cæleſti gloria potiebantur; quibus cum juſta funebria pro more hominum non fuiſſent perſoluta, voluiſſe Deum, ut ab Angelis perſolverentur. *Idem l. 7. c. 1. Sat. 6.*

Eleemoſyna ſingularis.

LXXVII. Quidam cum rogatus amore Dei omnia egenis dediſſet, nec petentibus quidqoam poſſet largiri, projecit ſe in illorum manus dicens: Cum jam nihil dandum remanſerit, ſumite me ipſum exemplo Chriſti, qui cum omnia nobis donaverit, tandem in cruce diductis brachiis pro nobis ſemeptipſum obtulit. *S. Bern. Sent. p. 3. ſ. 7. ar. 2. c. 2.*

Præco Hæreticus Sacerdotem irridens obmutuit.

LXXVIII. Palatinus Miezislavienſis Polonus, Podoliæ Sacerdotem ſimplicem & indoctum ad prandium invitavit, ut a Prædicante ludibrio haberetur, (erat enim hæreticus ille Palatinus) Is, cum ſacerdotem variis quæſtionibus orgeret, ac multa contra caput & mores Eccleſiæ diceret, ille ad omnia tacuit, & ad Palatinum converſus: *Ad prandium*, inquit, *ſum invitatus, non ad diſputandum.* Ea res riſui præſentibus fuit. Addit Sacerdos, cum pranſus fuero, tum forte illi reſpondebo. Sublatis menſis, Sacerdos ita loquitur: Hodie ſacrum faciens, ita ſum precatus: *Diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*: Spero me auditum. Facto dein ſigno crucis, Prædicantem ita alloquitur: *In nomine Patris, & Filii & Spiritus S. per Dei, cujus ego indignus ſervus, & ſacerdos ſum, auctoritatem, & poteſtatem, mando tibi, maligne Spiritus, ut obmuteſcas, nec per os illius hominis loquaris.* Vix hæc dixit, cum Præco obmutuit. Sacerdos jubet illum loqui ſe reſponſurum; ſe ante noluiſſe cum dæmone, qui per ipſum loquebatur, diſputare. At ille verbum loqui nequiit, & demiſſo capite, pudore perfuſus, inde ſe proripuit. Ea res effecit, ut Palatinus ille Catholicus cum tota familia fieret. *Engelgr. in feſt. S. Catharinæ p. 2. §. 4.*

Juvenis ſeducti infelix exitus.

LXXIX. In urbe quadam Belgii celeberrima, *Ibidem.*

mæ, quidam e nostris mane fuit evocatus ad carcerem, ut adolescenti viginti quatuor annos nato capitis reo & condemnato, adesset. Adest Pater; at reus attonitus post multa lamenta & suspiria aperit se eidem, & ait, se ipsius olim discipulum fuisse, agnovit Pater discipulum, & ingemuit, filium unicum florentissimæ & locupletissimæ familiæ 15000. florenorum quotannis hæredem, olim a probitate, ingenio, & moribus tam commendatum, nunc prava societate corruptum, a se ad mortem animandum tam infamem. Reus rite expiatus & animatus est, prius a Patre probe edoctus, & in omnibus religiosis domicilliis precibus commendatus. Peracta confessione noluit reus quis & quorum esset filius, Magistratui aperire, aut de sua liberatione agi. Interea carnifex ingreditur, de more veniam a reo poscit; eo viso, reus exclamat & inter Sacerdotis brachia corruit, dein fomentis restauratur; & carnificem rogat, num se nosset: & Patrem, num nosset carnificem? negat uterque, alterutrum se nosse. Tum reus, Pater ait, & hic tuus olim discipulus, meus autem condiscipulus fuit; agnovit reum carnifex, & suam simul ac illius miseriam. Fuit is quidem inferioris altero conditionis, ut tamen census annuos duodecim millium florenorum numerare potuisset, ingenio æque ac alter prompto. Fassus est, se B. Virginis a teneris amantem, ubi ad pravos socios deflexit, tandem in vincula conjectum. Sed cum lictor desideraretur, ut vitam servaret, ait, se ad id munus obtulisse. Dolere nunc, se munus debere in charissimo capite exercere. Duæ ultra consuetum horæ effluxerant, & ideo Magistratus indignatus, jubet negotium accelerari. Reus carnificem amplexus, rogat hoc sibi & supremum officium præstari, ut scelerum reus pœnas det. Tandem eductus suspenditur: quo pendente Confessarius tandem palam rem omnem detegit.

Quidam per librum conglutinatum elusus.

S. Greg. Nyssen. in vita S. Ephrem.

LXXX. Cum S. Ephrem intellexisset, feminam quamdam Apollinaris, cui esse in deliciis dicebatur, libros habere sibi in custodiam traditos; Ipse Sanctus vir fœminam cedit, apetit, cujusnam sit, scripta illa petit, simulans se ejusdem opinionis esse, cupereque se inde ea discere, quibus adversariis obsistat. Mulier credula libros ei tradit, simulque celeriter sibi reddi postulat. At S. Ephrem piscis glutino (nos diceremus *mit einer heusenbletter*) folium folio ita conglutinat, ut cum una pars ab altera præ vehementi vinculo sejungi non posset, in unicam tabulam singuli libri redacti viderentur, atque ita mulieri restituit: quæ imperita cum speciem eorum externam salvam aspiceret, quid intus esset, intueri neglexit. Post paucos dies accusatur apud Orthodoxos divus senex, quod Apollinarem accivisset, & cum illo sermones contulisset. Itaque in Judicium vocatus impiis illis fretus libris ad statutum diem venit, ac dicere quidem pro se, jam senio confectus recusavit, patiitque, ut ipsi libri proferrentur, ut ex illis respondere posset, & contradicere. Cum igitur delatores socii frementes in medium libros attulissent, inveteratus ille dierum malorum injustitiæ Judex unum ex illis in manus sumens, explicare conabatur, sed cum glutino vinctus non cederet, ad mediam ejus partem aperiendam aggressus est, quam tamen eodem modo conglutinatam reperit; quare ad alterum librum accessit, quem totum adeo connexum reperiens, ut aperiri non posset, tanto rubore perfusus est, ac ita perturbatus, ut ex illo consessu discedens, consilii inopia hærens, & exanimatus, in morbum inciderit.

Insolitum mortis pro Christo obeundæ desiderium.

Lobellius in via vitæ l. 3. c. 5. §. 10.

LXXXI. Nicolaus Trigantius S. J. ex India redux narravit, e pulpito, privatim, quod sequitur. Indus adolescens, Paulus dictus, viri nobilis servus, male fuit ab hero gentili ob fidem habitus. Gestabat is longos pro more gentis capillos; quos aliquando herus impotens stringens gladium ejus jugulo intentat. Cum juvenis *absit*, inquit, *ut tam subita morte pro Christo defungar; jube me vicatim & oppidatim per totum regnum raptum, minutim, & per ottum concidi: ab extremis membris & articulis facto initio.* Eo sermone herus emollitus invito pepercit, & posthac indulsit, libere Christianum esse.

Mors mirabiliter prænunciata.

Georg. Stengel. in ovis Pasc. Emblem. 74.

LXXXII. Vir nobilis in Alsatia P. Georgio Stengelio familiaris hæc habet, in grabato meridiari solebat dives, & qui uno intuitu novem vicos suos ex arce poterat videre, in pauperes & Religiosos beneficus. Is cum aliquando pro more a meridie quietem capere vellet, jussit in mensa chrystallinum calicem rubro vino plenum locari, quo postea somnum dilueret, quod erat illi quotidianum. Decubit igitur valens ac sanus, cum cœpit illi cogitatio de æternitate illabi, videtque vitrum sua sponte velut ictum cum fragore dissilire. Deterritus tintinnabulo, ut solebat, signum dedit. Famuli audita re, herum solari, & vitri hoc vitium fuisse dicentes, aliud adferunt multa cogitanti, ac pro omine mortis habenti. Post dimidium horæ etiam istud frangitur, vocat famulos & uxorem, jubet e nostris Sacerdotem Bruntruto vocari. Interea & tertium vitrum allatum rumpitur. At uxor rata, inanem esse metum, omittit Confessarium postulare. Maritus iterum urget eum sibi advocari, sed nihil efficit. Inde sub occasum diei cœpit pallere, ac in momenta deficere. Tunc igitur uxor citatis equis Confessarium evocat. At servi in media & parva silva tota nocte errabundi vagantur, dum media intetim nocte herus moritur. Confessarius mane tandem adductus mortuum reperit.

Origenis lapsus ab amore castitatis.

Niceph. l. 5. hæres. 64.

LXXXIII. Nicephorus narrat, cum Idololatriæ Alexandriæ Originem cogerent, vel thus idolo offerre, aut per scortum libidini exponendum, ut castitatem servaret, fidem perdidit, ac thus Idolo adolevit. Christianis inde exosus, odio & ludibrio habitus abiit in Palæstinam, ut ibi mortem animæ suæ plangeret. At ut venit Jerusalem, tota Urbs & maxime

Clerus, ob viri famam, obviam processere, & obnixe rogarunt, ut e suggestu pauca ad populum diceret; non permissuros se talem Oratorem elinguem abire. Ascendit Cathedram, tota Jerosolyma confluente. Promit Biblia, aperit, sive consilio, sive casu in illud Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras &c.* Ad hæc subito obmutuit, & clauso Codice, nihil præter suspiria, & lacrymas fundebat. Unde & Auditores attoniti, eo silentio & fletu in lacrimas solvebantur. Expectabant interim, dum digesto dolore loqui inciperet. Sed cum e lacrymis in singultus prorueret, finem non dicendi, sed flendi fecit.

Veritas odium parit.

Engelgr. Dom. Pass. §. 2. LXXXIV. Castroverdo Augustinus, equo ad valvas templi expedito, cathedram creatus conscendit, & provide id egit; ubi enim veritatem viro potenti enunciavit, illico in exilium missus est. Idem indicavit, monachus quidam desiderio martyrii in Durciam profectus, intrepide aulam Soldani ingressus est, rogatus, ad quid venisset, respondit: ut mortem inveniam, veritatem tibi prædicando. Cui Soldanus: Ito ad Principes tuos, prædica illis veritatem; & mortem cito invenies quam apud me quæris.

Somnus pie susceptus.

Vit. p. 2. n. 2. LXXXV. Serenissimus Leopoldus Archidux Austriæ nocte quavis, & in gravissimis negotiis numquam tam sero cubitum ivit, quin prius precibus consuetis, & examini conscientiæ vacaret. Quoties vero vesperi decumbebat, assimilatione pia adumbratam extremam unctionem adhibebat sibi cum aqua benedicta (ut olim fecit Pater Wolfangus Gravenegg) & dicebat: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Deus, quidquid in anima per cordis affectum & pasiones internas commisi; & quidquid in corpore per sensus externos contra rationem, & virtutem deliqui. Quibus subdebat commendationes animæ: Proficiscere, anima mea Christiana, de hoc mundo in Nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit; in Nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est; in Nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est; in nomine omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, Anima mea! sit in pace locus tuus, & habitatio tua sancta Sion.

Hypocrisis detecta.

Discip. J. 100. LXXXVI. Discipulus de Moniali scribit, quæ Confessario suo ream se multorum scelerum afferebat, ob quæ, & ipsa, & alii a Deo plectarentur. Confessarius ratus, latere hypocrisin, respondit: Sane credo, quod ais, nam hoc idem ab aliis audivi de te dici: tum illa excandescens: Mentiris, inquit, ut & hic, qui tibi hæc dixit.

Jactantia repressa.

Engelgr. serm. 2. Pasch. LXXXVII. Toparcha quidam dives, Gerardus a Kampis, amplas sibi ædes struxit magnificas, ad quas initiandas cum ad lautum convivium vicinam Nobilitatem invitasset, forte gloriabundus percontabatur ex convivis, an non putarent, se terrestrem aliquem Deum esse, ac unde quaque felicem, aliis assentantibus; unus sincerior: Unum tibi, ait foramen adhuc in domo tua obstruendum est, ut sis ex omni parte felix. Rogaoti hero, quodnam illud foramen esset, respondit: Ostium, per quod brevi ad cæmeterium afferreris, & hanc domum alteri relinques. Eo dicto perculsus herus, sæculo spreto, ad religionem se contulit.

Occultis pauperibus subveniendum.

LXXXVIII. P. Theodorus Van Minister Ordinis S. Francisci, qui Bruxellis triginta millibus pestiferorum extrema Sacramenta administravit, a viro nobili ad lautam mensam invitatus rogavit, ut vellet de tot ferculis unam alteramve lancem in pauperis tectum deferri curare. Annuit herus; at ille famulo lautam lancem tradit, & mappam imposuit, jubetque servum recta ad forum pergere, & ei domui lancem inferri, ad cujus januam mappa a vento deferretur: Servus obsecutus, ubi ad magnifici ædificii fores vidit mappam excidere, nihil inopiæ illic suspicatus, redit re infecta: jubetur a P. Theodoro redire, & facere, quod ante fuit jussus. Sed mappa eodem loco excussa est. Adit igitur, & intra ædes admittitur, & numerosam prolem reperit tunc siliquas porcorum comedentem. *Idem in festo S. Nicolai §. 1.*

Misericordiæ illustre specimen.

LXXXIX. Salmanticæ fuit mercator prædives, qui alea omnia perdidit, simul & Dei timorem, & amorem; hinc Deum summo odio prosecutus, omnia scelera excogitavit, & fecit: & ne quod præteriret, Navarri Casuum summam legit. In eo ubi venit ad Tractatum de Confessione, & pœnitentia, gavisus nova peccandi occasione, & sacrilege confitendi, statuit id agere, & ipsa agit. Sed Confessarius suspicatus e confitendi modo, hominem angi, & pudorem subesse, multa de Dei misericordia dixit, hortatus ad ingenuam confessionem. Tunc miser intus commotus, inter lacrymas, & suspiria Sacerdotem rogat, an tantis peccatis sit veniæ locus? Quod ubi abunde intellexit, omnem vitam illi exposuit, & animum ad religionem adjecit, totus jam alius; in ea triennio vixit, ac viribus deficiens, Crucifixum amplexus peroravit: *O quam pudet me vitæ præteritæ! Sed talis debebat esse Dominus, qui tantum peccatorem in gratiam reciperet.* Ita pie obiit. *Idem Dom. 2. post Pasch.*

Aliud ejusdem.

XC. Pater quidam filiam propriam adamavit; & corrupit; mater suspicata scelus (Agalma dicta, lectæ pietatis Matrona) filiam sceleſtam despexit. Filia indignata matrem veneno tollit. Pater domum reversus id in filiam quidem mitius castigavit, verbis tamen eam gravius, quam putabat, perstrinxit. Ipsa etiam se patri jam odiosam rata, nocte patrem stertentem securi obtruncat. Fugit inde, ablata præcipua supellectili, ac se dæmoni *ibid. §. 2.*

moni devovet, in omne fcelus projecta. Forte in templo concionatorem audit, misericordiam Dei laudantem: inde commota, post concionem Ecclesiastem adit, dicti veritatem exquirit, confitetur; pœnitentiæ loco jubetur denuo die proximo concioni adesse; ubi tanto cœpit dolore de peccatis suis obrui, ut illico sit mortua.

Vindicta laudabilis.

Frid. Spec. l. 3. c. 30. n. 27.

XCI. Godefridus ab Afehausen Episcopus Herbipolensis cum aliquando tempestas, & grando omnes pene in agro fruges perdidisset, dixit, se ulturum in Deo hanc jacturam, ac se plures modios frumenti, quam aliis annis, in pauperes erogaturum. Et paulo post factus est Imperii Princeps.

Vocatio mirabilis.

Discip. in Promp. lit. O ex. 2.

XCII. Quidam salutis studio solitarie vivens, ab aliis fuit laute habitus submissis cibis; ibi vocem audiit. *Ave pasle porce*: Advertens igitur ea voce suum otium & commoda reprehendi, peregre ivit. Iterum autem audiit; *Salve pecus errans*: Anxius igitur, quid faceret; cum nec solum nec peregrinum Deus eum velit esse, statuit se obedientiæ subdere. Cum igitur in eremo ad Abbatem iret, is ei dixit: Salve fili obedientiæ, implens voluntatem Dei.

Fidei Catholicæ æstimatio.

Nicol. Avanc. vit. p. 3. c. 2.

XCIII. Audivit Leopoldus aliquando ab Augustissimo Patre Ferdinando II. dici, suis se regnis renunciaturum potius, quam ullam amplificandæ fidei occasionem neglecturum, malle cum conjuge se ac liberis solo scipione instructum ire in exilium, ac solo pane & aqua vitam trahere: malle se in frusta concidi, quam injuriam Deo, & Ecclesiæ illatam tolerare: orare se demum Deum, ut si morte sua Catholicam Religionem promovere possit, toto mundo spectante ab infami carnifice capite plectatur.

Vocationis neglecta pœna.

Engelgr. Dom. 4. post Pasch. §. 6.

XCIV. P. Nicolaus Lancizius Romæ in convictu Romani seminarii anno 1602. juveni præstanti octodecim annorum exercitia tradit, quæ magna pietate obiit. Confessus generaliter ante absolutionem petiit, an peccatum esset; non exequi divinam vocationem. Pater ei respondit, cum sit consilium, non præceptum, posse sine peccato negligi: sed multos damnari, non ob eam neglectam, sed ob peccata mortalia, in quibus Deus tales in sæculo morituros præviderat. Ita huic juveni contigit. Profectus enim ad Academiam Maceratensem, ubi juri operam dedit, fœminæ amore captus a rivali jussus ab ea abstinere, cum redit noctu, lucente luna, ab eo pugione confoditur. Confossus Confessarium inclamat, sed antequam adesset, moritur.

Dei summus osor ope B. Virginis conversus.

Idem in fest. Assumpt. §. 4.

XCV. Fuit in Hispania homo sceleratæ vitæ, & flagrabat vehementi in Deum odio, certus numquam confiteri; vitavit omnes conciones, & privatas commonitiones, Aliquando noctu vigilanti adest B. Virgo, & benigne eum intuita, eum ita eo aspectu emollit, ut lacrymans fœditatem suorum peccatorum agnosceret. Unde æger summo mane ad se vocat e Societatis Collegio Sacerdotem. Mittitur P. Jo. Eusebius Nierembergius (qui hæc ipsa scribit in vita S. P. N. c. 33.) cui omnia vitæ acta detegit exactissime per tres horas. Tam feriæ, subitæque mutationis causam rogat P. Eusebius; cui alter ait: quod audisset, ad salutem conducere, B. Virginem salutare Angelica salutatione, se illa usum esse. Vovit dein, si convalesceret, religiosum se fore. Urget tamen Pater, ut a Deo felicem sibi a vita transitum impetraret: quod ultimum indulsit Deus, & ita pie mortuus est.

Dignitas in pœnam data.

Anastas. Nicænus in quæst. S. Script. quæst. 11.

XCVI. Cum Phocas Imperator horribili strage sæviret, quidam servus Dei humiliter cum Christo expostulabat Domine cur fecisti eum Imperatorem? cui responsum a Deo delapsa voce. Qua non inveni pejorem.

Veri servi Christi qui?

P. Caspar. Tausch. in matre dolor. l. 3. prædi 4. §. 3.

XCVII. Anno 1464. B. Margaritæ celsissimæ nobilissimæque stirpis fœminæ, cum ab aliis multa pateretur, B. Virgo dixit: *Ille solus meus & filii mei servus est, qui semper paratus est tantum pati, quantum bono moribundus*. Christus vero dans ei tria spicula in manibus addidit: *Elige unum horum*. In primo autem scriptum erat aureis litteris: *Meræ injuriæ*. In secundo: *Meræ infirmitates*. In tertio: *Mera verbera ab hostibus*. Cui illa a B. Virgine animata. *O Domine*, inquit, *si vis, concede omnia*. Tum Christus: *Accipe, & habebis vires, ut fortiter pugnes*.

Taurus in honore S. Marci cicuratus.

Ex litteris inde 1673. missis.

XCVIII. In pluribus Lusitaniæ locis, Festo S. Marci Parochus loci it cum multis suorum in silvam tauris ferocibus plenam, aspergensque unum de ferocissimis aqua lustrali, Marcum appellat, qui mox sequitur inclamantem feritate omni posita, ceu catellus, aut agnus. Ingreditur igitur templum per confertam plebem, assistitque ante principem aram rei divinæ & concioni, nunc erectus in pedes, nunc humi procumbens, tanta mansuetudine, ut liceat a pueris laeessitus, & varie evulsis etiam pilis vexatus, ne se moveat quidem, totus blandus. Sacris peractis eadem mansuetudine supplicabundus per Ecclesiam populum sequitur, donec a curione dimissus silvæ & feritati pristinæ restituitur.

Error de prædestinatione ingeniose detectus.

Idem Dom. 19. post Pent.

XCIX. Ludovicus Landgravius, ut habet Cæsarius l. 1. hist. c. 27. propter deploratam vitæ licentiam a viris religiosis non semel correptus, ut resipisceret, illud semper retorsit: Si prædestinatus sum, nulla peccata potuerunt mihi regnum cælorum auferre; si reprobus, nulla bona opera conferre. Subinde in lethalem morbum incidit, vocatur Medicus, qui, ut erat vir prudens, & guarus quid Ludo-

vicus

vicus dixiffet, ait ei, fruftra fe advocatum. Si enim venit dies mortis tuæ, inquit, non poterit te cura mea eripere; fi vero. moriturus non es, fuperflua erit medicina. Ad hæc æger: quomodo fic refpondes? Tunc Medicus ei mentis errorem detexit, & refponfum ad medicinam animæ tranftulit. Unde æger convictus, de cætero, ait, efto Medicus animæ meæ, quia per linguam tuam medicinalem Deus me liberavit a maximo errore.

Converfio admiranda.

Difc. lit. M. ex. 32. C. Juvenis inceftum cum forore commifit, monentem idcirco fratrem occidit: tum & patrem, qui eum exhæredatum, & urbe pulfum, in vita fervavit, clam regreffus in urbem peremit. Sed ubi pro concione audivit illud Ezech. 18. *In quacumque hora &c.* confeffus eft magno cum dolore. Sacerdos eum juffit accedere ad altare, in quo fuit imago B. Virginis habens Chriftum mortuum in finu fuo: Ubi Beatam Virginem enixe rogavit, ut fibi veniam a Chrifto impetraret. Inter has tam calentes preces cor ei ruptum eft, & mortuus jacuit ante altare. Sacerdos fuperveniens ratus eum vivere, & quiefcere, dum furgere jubet, mortuum reperit. Sequenti die juffit populum pro eo orare. Tum columba candida circumvolans in confpectu populi, fchedulam, quam roftro tenuit, ante Sacerdotem projecit, in qua fcriptum fuit, animam hujus fuiffe in cælum deductam, antequam calor naturalis a corpore ejus receffiffet. Eadem fchedula Sacerdos juffus eft infinitam Dei mifericordiam commendare, fiquidem fincere confiteantur.

Beneficiorum pluralitas caufa damnationis.

Stephan. Monach. p. 1. cont. 2. c. 22. CI. Anno 1238. Epifcopus Parifienfis cum omnibus ibidem Profefforibus Theologiæ in aula capituli Dominicanorum collectis ventilavit quæftionem illam: An liceret plura Beneficia poffidere. Decifum fuit, non licere duo beneficia tenere, fi unum annuas quindecim libras Parifienfis monetæ ferret. Tribus annis ante eadem quæftio fuit agitata ibidem, omnibus idem afferentibus, præter duos, quorum unus fuit Philippus Cancellarius Univerfitatis Parifienfis, & Arnoldus, poftea Epifcopus Ambianenfis. Cancellarius tandem æger lethaliter, monetur a Guilelmo Epifcopo, ut opinionem fuam defereret, & unum de duobus beneficiis fuis deponeret: Renuenti promifit, de fuo tantumdem ei daturum, quantum valeret alterum beneficium; fed nihil effecit. Cancellarius enim ait, experiri fe velle, utrum plurium beneficiorum poffeffio poffit effe caufa damnationis. Ita moritur. Poft paucos inde dies dicto matutino videt juxta fe nigram umbram & velut hominis. Epifcopus nihil territus, crucis fignum efformat, ac rogat, cum fit in ftatu falutis? *Ego*, ait umbra, *fum inimicus Dei, & ejus infelix creatura.* Juffa clarius eloqui, pergit: *Ego fum anima Philipi Cancellarii.* Rogante Epifcopo, unde effet tam mifer, in quo ftatu effet, refpondit, *fe æternum damnatum*, & fubjunxit tres caufas. Primo, quod ob avaritiam parum admodum de redditibus beneficiorum erogaffet in pauperes. Secundo, ob pertinaciam in defendenda contra tot Doctores pluralitate beneficiorum. Tertio, ob lubricitatem, & lafciviam, cui diu fuit fubjectus cum conf[c]iorum magno fcandalo. Tum damnatus quærit ex Epifcopo, an jam adeffet finis mundi? Cum autem Epifcopus miraretor, utpote Doctorem hæc rogare: an non videret fe vivere; omnes autem homines ante finem mundi mori debere: *Noli mirari*, ait umbra, *hanc quæftionem, quia nec fcientia, nec opus, nec ratio eft apud inferos.* His dictis evanuit. Epifcopus autem Clero fuo rem omnem expofuit.

Aliud fimile.

CII. Æger Sacerdos Thomam Cantipratanum (qui fuit Epifcopus Camberienfis, difcipulus S. Alberti Magni, & condifcipulus S. Thomæ) ad fe in fupremo morbo vocavit, ut morientis effe vellet folatio, & auxilio. Thomas hortatur, ut unum e fuis beneficiis rejiceret, fcire eum, utpote hominem doctum, id doctorum virorum fententia nefas effe. Idem rogat cum lacrymis præfens ejus confobrinus: fed fruftra; moriens, cum vocem perdidiffet, fignum dedit, nolle fe beneficium refignare. Moritur, damnatus ob hanc, ut ipfe cuidam Religiofo ex Ordine S. Dominici aperuit, caufam unicam. *Pauli Barri de morte Pauli & Alexandri c. 2. ep. 1.*

Vana fpes in hominibus.

CIII. In Belgio nuper vir infignis moribundus imploravit auxilium uxoris: at illa negante, id effe in fua poteftate, filium rogat primogenitum qui cum & ipfe gemens diceret, fe dolere, quod juvare patrem non poffet, vocat fecundum, tertium, & cæteros ordine filios, & filias, deinde famulos, & ancillas, quemquam fingulatim compellans: cum vero omnes dicerent: dolentes, fe opem ferre illi non poffe, ingemuit, & dixit, *O vanas hominum curas! tantum tibi, uxor, vobis filii, filiæ, fudavi, & nunc a vobis deferor! o quanto fatius Deo ferviffem &c.* *Engelg. de Affump. B. V. §. 4.*

Merces mundi vana præ Chrifto.

CIV. Lucæ civitate Italiæ agyrta quidam, fuis ædes fubfiftens, & lyram pulfans, ftipem emendicabat, extrufus undique, & illufum mæftus in templum fecefffit, & ante argenteam Chrifti imaginem confiftens quæftus eidem eft, fe totum diem ingrato mundo gratis lufiffe: ejus igitur honori nunc fe lufurum, & fimul lyra ludit. Et ecce imago argenteam crepidam, quam habuit in pedibus, in finum excuffit. *Engelg. in commend. fidel. §. 8.*

Rara converfio puellæ dæmoni defponfatæ.

CV. Puella, infignis, ac prædivitia, ut credebat, juvenis amore mutuo capta, cum eo matrimonium init; fed poftquam ab ara, ubi rite erant conjuncti, difceffum eft, in cubili reperit, fe dæmonem habere pro marito, qui eam mox juffit re omni facra, & amuleto abftinere, ardente vultu, protenfis unguibus interitum ei minatus. Dein per fpeciem pietatis fimulatæ jubet eam facram Communionem fumere, fed non abfumere, & domum fecum *In vita S. Petri de Alcantar.*

ad injurias ulteriores ferre. Ante omnia vetuit, ne Petro de Alcantara se in conspectum daret, ut loqueretur. Moris est in Hispania, ut Patribus Franciscanis obvii eorum vel manicas, vel funis, quo cinguntur, extremum osculentur. Et ut solemne est, fœminis præsertim, niti in vetitum, illa curiositate tacta Petrum videndi, cum duabus fœminis ad Monasterium ambulat. Obvio Petro duæ reverentiam exhibent, at diaboli uxor aufugit. Unde Petrus divinitus edoctus eam humaniter nomine compellat, & ad se evocat: habere se paucula, quæ illi dicat. Accedit ergo, fugam honoris colore excusans. S. Petrus denuo eam humaniter salutatam, jubet secum considere seorsim, & salutaria cum illa loquitur. Interea in obverso angulo ipse spectrum stygium videt, quod mariti specie, fœminæ minatur exitium, si Petro verbum respondeat. Quia igitur vir sanctus humanitate sua nil apud eam effecit, ultro ei, scelus & totam rei seriem exponit, & occasionem, qua fuerat seducta; ingentia flagitia, quæ cum dæmone patravit; & omnes ejus pravas cupiditates, consuetudines, & cogitationes. Ita commota, & fulmine icta, ingemuit, dolet, veniam petit, humi procumbit, petens peccatis, & stygio marito liberari. Igitur S. Petrus pro potestate dæmonem alloquitur, jubet eum a fœmina recta in orcum descendere, ubi ad diem judicii usque alligatus permaneat. Et illico dæmon evanuit. At illa jam libera, tota se S. Petro permisit, & confessa priora scelera, pie vixit, ac paucos annos sancte obiit. Quæ res dein vulgata multos ad pœnitentiam adduxit.

Imagines SS. Dominici, & Francisci ante ipsos pictæ.

Jacob. Lochet. de S. Dominico. §. 2.

CVI. Centum, & amplius annis in templo S. Sophiæ Constantinopoli visebantur duæ affixæ imagines: Una S. Pauli cum hac epigraphe: ἅγιος Παῦλος, Sanctus Paulus: Altera S. Dominici. καλὸς Δομινικός, Bonus Dominicus, & ne alium crederes, vestem gerebat, qualem dein S. Dominicus, & Ordo universus. Venetiis autem Joachim Abbas, qui septuaginta annis vivere ante desiit, quam vivere inciperet Dominicus, in æde S. Marci duas tabulas appendit, quarum una referebat S. Franciscum grisea veste, fune præcinctum, pedibus nudum, cicatricibus in manibus pedibusque, imo, & lateris vulnere: una manu crucem gestabat, altera librum. S Dominicus autem in veste, qualem hodie Dominicani gerunt, una manu librum habebat, altera gestum concionantis præ se ferebat sub hoc, & illo legebatur hæc Epigraphe. *Sanctus, Sanctus*. Prælusit iisdem Abbas vaticinio S. Zachariæ Prophetæ c. 11. *Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, alteram Funiculum: & pavi gregem*, Sancti Dominici virgam vocavit *Decorem*, ab habitu, & puritate, ac candore virgineo, qui S. Dominico, & Ordini datus est, & habet lilium pro insignibus. S. Francisci vocavit *Funiculum*, quo scilicet præcinctus erat, in signum pœnitentiæ, & vitæ austerioris. Et hac & illa virga Christus olim pavit gregem. Pavit etiam S. Dominicus, & S. Franciscus. De virga funiculi S. Francisci dictum est Isa. 3. *Erit pro Zona funiculus.*

Mirum de S. Dominico præsagium.

CVII. Cum die festo S. Dominicum mater adduxisset ad audiendam Missam, Sacerdos, qui tunc faciebat Sacrum, cum ad populum conversus pro more dicere vellet: *Dominus vobiscum:* ad puerum dixit: *Ecce reformator Ecclesiæ!* mox cognito errore ut putabat, denuo conversus dixit: *Ecce reformator Ecclesiæ!* cum dicere vellet, *Dominus vobiscum*. Ubi autem Sacerdos ad librum rediit, recurrente iterum, ut credebat, errore suo, ad medium Altaris jam tertio regrediens, enititur tandem dicere: *Dominus vobiscum*. Sed & tertio protulit illud, oculo, & voce ad puerum conversis: *Ecce reformator Ecclesiæ*. Matri dein sollicitæ, quid sibi id vellet, Episcopus rogatus dixit: Quot essent verba Sacerdotis tot esse de puero oracula. *Ibid. §. 1.*

Examinis pro Episcopatu subeundo metus exanimat.

CVIII. Cum Romæ quidam coram Clemente VIII. pro Episcopatu Genevensi esset examinandus, aderat, & Hispanus, vir doctus, eadem de causa examen subiturus, qui ubi vidit præter Pontificem, tot Cardinalium, Episcoporum, Generalium, Ordinum, ac Doctorum consessum, ita extimuit; ut deliquium passus debuerit efferri: Solari eum jussit Pontifex, expeditas jam esse litteras Episcopatus ei concessi, sed numquam se collegit. Itaque in hospitio suo, quo erat inde deportatus, moritur, metu exanimatus. *In vita S. Franc. Sal. l. 4.*

Judæi montibus mirabiliter coeuntibus conclusi.

CIX. Cum venisset Alexander M. ad montes Caspios, miserunt ad eum filii captivitatis decem tribuum (ex edicto enim tenebantur egredi non licere) postulantes egrediendi licentiam. Cumque quæsisset causam captivitatis, accepit, eos recessisse aperte a Deo Israel, vitulis aureis immolando, & per Prophetas Dei prædicatum esse, eos a captivitate non redituros. Tunc respondit, quod arctius eos includeret. Cumque angusta viarum obstrueret molibus bituminatis, videns laborem humanum non sufficere, oravit Deum Israel, ut opus illud compleret. Eo accesserunt ad se invicem prærupta montium, & factus est locus immeabilis: ex quo liquido apparet, non esse Dei voluntatem, ut exeant. Egredientur tamen circa finem mundi, magnam hominum stragem facturi. *S. Antonin p. 1. tit. 4. c. 2. §. 10.*

Miraculosa trium Fratrum e captivitate libertas.

CX. Tres Fratres Ordinis Equestris S. Joannis ex Picardia oriundi, in Gibellino præsidio, pecus ablatum recuperaturi, insidiis occupati, capti sunt ductique Ascalonem, donati sunt Soldano Cairi Præfecto Ægypti, a quo jussi severe, post mortis minas, fidem Mahometi sequi negantes, in carcerem tetrum, mittuntur, *Jac. Bosius l. 1. p. 1.*

tur, aqua & pane vivunt. Tentati ad sacrificia promissis, & argumentis, reprehensique a Soldano nihil cedunt. Ille mittit filiam Ismeniam, ut eos alliciat ad Mahometem; paret illa, illi perstant, de sua constantia, de Christo, & B. Virgine multa ei dicunt, abit illa dubia suæ religionis; illi interea traduntur in deteriorem carcerem, filiæ pater claves tradit. Mane affert illa, ut fuit jussa, aquam & panem, excusat victus tenuitatem, iterum disputat de fide, maxime de B. Virginis imagine, jubet illos eam conformare; promittit invicem libertatem, & lautiorem mensam, illi petunt instrumenta; Frater, qui ut alii duo, ignaros artis sculptoriæ, imaginem promisit, a duobus reprehenditur, ob levitatis puniendæ periculum, rogat Deum pro imagine, obdormiunt, per Angelos interim imago B. Virginis adest, cum luce, & grato odore & musica; veniente Ismenia manent immoti, donec ad se reversi imaginem ostendunt, artificem imaginis detegunt. Illa Mahometem ejurat, promittit baptismum se recepturam, donatur imagine, clam veneratur imaginem; patrem adit, fingit, illos paulatim flecti. Nocte sequenti apparet B. Virgo, baptismum, & suum ei Nomen spondet. Colligit sua, nocteque media ad carcerem sponte patente tendit, excitat. Ambulant securi per mediam urbem, portis urbis sponte apertis; aquam seu flumen obvium Angeli ope transmittunt. Cumque quatuor horas nocte progressi essent, illa fatigatur. Obdormiunt omnes; subinde ducuntur in Picardiam: manc pastorem ostendunt, a quo intelligunt, se in patria esse, Turcicæ linguæ ignaro pastore. Illa secuta, Frater imaginem ad arborem relinquit, redit, madidam a novo fonte reperit, promittunt templum imagini ad arborem: cum ob incommoda, duce pastore, locum mutant; domum redituris imago in horto gravior fit, deponunt; colligunt ex hoc ibi locandam imaginem. Post preces fit levior; domi ipsi læti excipiuntur. Illa baptizatur ab Episcopo Laudanensi; diciturque *Maria*. Illius concessione pro hospitali sacellum erigunt; nocte vero imago ad hortum redit, idque bis, ergo in horto templum ædificatur. Illa sancte vixit cum trium Fratrum matre.

Plato Christianus.

Boet. de disc. Schol. CXI. Boetius ait, quod in tumba Platonis reperta est lamina aurea, in qua scriptum erat: *Credo in Filium Dei nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, & die tertia resurrecturum.*

Pueri septennis admiranda vita.

Stelen. bibl. c. 10. CXII. Frater Thomas de Brabantia scribit, ut sequitur. Erat in Flandria quinquennis puer, tanta prudentia praditus, ut, cum aliquot Religiosos e S. Francisci familia vidisset, a suis parentibus serventer petierit, eo habitu vestiri, cui etiam vitam, & mores ita conformavit, ut nudipes incederet, pecuniam numquam attrectaret, utebatur singulari modestia, servabat stata precandi tempora, sobrius, serius, prudens, senes & juvenes hortabatur ad virtutis studium: septennis demum moritur. Priusquam moreretur, confessus est, communionem tamen etsi petierit, non accepit: parentes tam subito decessu suo mœstos consolatus. Eodem momento quo moritur, ejus religiosa vestis disparuit, numquam amplius visa. Cum efferretur, Religiosi dicti Ordinis incipiebant canere: *De profundis*; sed occulta vi impediebantur, ut pergere in illa lugubri oratione, & cantu non possent. Qui hæc scripsit, ipse hoc impedimentum præsens expertus est. Parentes exemplo filii incitati, sæculum deserunt; pater S. Dominici, mater Cisterciensium Ordinem ingreditur.

Martyrium Scenicum.

CXIII. Beatus Joannes a Cruce primus e viris, qui e Carmelitis reformationem S. Theresiæ secutus est, in omni vita erat martyrii avidus dictitans, id esse Ordinis sui, martyrium expectare; cujus sub reditum S. Eliæ multi sint futuri compotes. Sæpe exercitii causa cum cæteris suis Religiosis aliquod martyrii simulacrum repræsentabat: ibi unus agebat personam Tyranni, alter Judicis, alius accusatoris, alii carnificum, alii testium; & sæpe tam serio joco res agebatur, ut qui fuit accusatus Christianæ pietatis, quasi serio res ageretur, etiam sanguinem pugnis extusum profunderet. Ipse autem plerumque Martyris personam affectabat, atque ita Tyranno respondebat, velut ab eo reipsa captivus teneretur. *Paul. Barry in cent. ill. Domus Dei c. 2. n. 2.*

Debitum ob amorem Christi liberaliter remissum.

CXIV. Petrus Gironius, Urenæ Marchio, homini e domesticis, qui octo milia aureorum abstulerat, e fuga retracto, & in carcere maledictis furenti, præclare ignovit. Jussit feria sexta majori, reum in templum adduci, cumque humi crucem de more adoraret, vicinam in pelvim, stipis nomine, acceptas ab homine injurias omnes, ablatumque ab eo aurum, veluti jaceret, liberum jussit abire ac valere. *Rho. l. 1. c. 3. n. 6.*

Pietas in parentes a patre docta.

CXV. Multis ab hinc annis in quodam pago apud Samnites, juvenis quidam, cum vellet uxorem ducere, parentem annos ultra centum natum volebat rus ablegare velut exulem, & juventuti suæ, & conjugi invisum: eumque domo exegit, ac rus exulatum attraxit; quem cum ad ostium villæ produxisset, ac vellet discedere, senex lacrymans oravit, ne tam cito discederet, sed saltem ad mensam usque perduceret; eodem enim patrem suum a se fuisse olim adductum. Erat autem mensa, lapis in summo rupe sub patula quercu, ad prandia & compotationes expositus; hac re ille velut percussus, inquit: Mi pater eadem ne injuria a te illata est parenti, neque aliter mecum agetur? hæc ne merces, & grata filiorum mens in parentes? Igitur illico mente mutata patrem domum reduxit, in præcipua, & commodiori ædium parte locavit, ac in nuptiali cœna summum illi locum dedit, ac semper deinceps illum coluit. *Nicius Erneil. ex. 14.*

CXVI. Æneas, siquid eminentissimus Vates ad fidem scripsit, Anchisem patrem tam pie *Sabell. l. 1.*

co-

coluit, ut capto filio per medios hostes & flammas humeris impositum, in Idam usque montem tulerit magis inter eundem grato operi timens, quam sibi aut filio, aut Creusæ conjugi, quæ e vestigio sequebatur.

Venia hosti data.

Idem ex. 18. CXVII. Eques quidam ab inimicis suis circumventus grave vulnus accepit, & injuriam ulcisci constantissime voluit, ut placari non posset. Interim ab Capuccino egregio Concionatore illac transeunte invisitur, rogatus ab amicis, multaque de venia ille dicebat, ut tandem alter annueret, se eis ignoscere; quoties autem vulnus curabat, recrudescente dolore, iterum injuriæ succensebat, ac hostibus suis. Id ipse læsus cum animadvertisset, dæmonis astu agi, ut iterum odia illa redirent, vetuit sibi ante vulnus curari amplius, quam Tabellio acceitus in publicas tabulas retulisset, hostibus se ignovisse. Eo facto cum Medico vulnus aperiret, sanatum obductumque illud invenit, ut vix cicatrix vestigium ostenderet.

Fructus Catechesis.

Barry p. 3. c. 2. devot. praxi 3. CXVIII. P. Edmundus Augerius S. J. Confessarius Henrici III. Galliæ Regis, in articulo mortis utrinque ad latus vidit adstare ingentem numerum parvulorum, quos Christiana olim doctrina imbuebat, qui toti alacres aderant, eum ad cælum deducturi. Hic subiit pia curiositas Patris animum, ut rogaret Deum, num alium fructum in animarum salutem fecisset. Cui Deus respondit, eum insuper quadraginta millia hæreticorum convertisse.

Eadem miracula comprobata.

Ibidem. CXIX. P. Ignatius Martinez S. J. vir sanctus sexdecim ultimos annos, nihil, nisi Catechesin, parvulis tradebat, tanto solatio, ut rogaret moriturus Superiores, paterentur suum arundinem illam sepeliri, qua in Catechesi uti solebat. Semel promiscue in Catechesi rogabat, num adesset aliquis, qui vellet salutationem Angelicam recitare; cum rustica verecundia nemo vellet dicere; Infans sex mensium ab ubere matri pendens totam salutationem illam ad finem usque memoriter recitavit.

Hæreditas in pauperes distributa.

Idem p. 4. c. 9. praxi 4. CXX. Constantinopoli vir erat prædives, & pauperibus mire addictus; unde consentiente filio, quem habebat, omnia bona pauperibus erogavit: rogato prius filio, num paterna bona vero Deum curatorem malet. Cui filius dixit: *Divitiæ tuæ hodie sunt, & cras non erunt: Christus autem manet in æternum.* Igitur pater bona omnia Xenodochiis, egentibus, & ægris distribuit, nullis filio relictis. Qui tamen contentus, & Christi ope nixus videbat alacer. Interea mirata urbs tota est, & patris, & filii pietatem, pauperem tamen esse filium sinit, donec Deus illi caute prospexit. Erat Constantinopoli vir nobilis, cui unica erat filia, qui cum conjuge deliberans, num eam opulento, an pauperi sed morato marito traderet, suadent uxore, pauperem ei dare constituit. Statuunt ergo, ut bene mane uxor ad templum iret, & quem primum videret ingredi orandi causa, is maritus filiæ adlegeretur. Altero mane matre orante, juvenis hic ingreditur, quem illico mater per servum ad se accersit; a quo multa percontata, ubi intellexit, quid ejus pater se volente egisset, mater gavisa, *Tu es*, inquit, *quem hodie in templo quæsivi*; & mox domum adducto, annuente patre, volentem filiam despondet.

Præsagia mortis varia.

CXXI. In familia Priehoros Kiorum varia habent mortis præsagia. Si quis enim est moriturus venator, tunc canes, tibiæ, & voces venantium audiuntur; si quis equos amet, hinnitus; si quis musica delectatur, cantus personat. Hæc omnia aguntur in castro Skoezicz. In eadem familia habent, & hoc: est Pezestrieii in templo duobus Clatonia milliaribus in Altari e dextro latere statua S. Joannis Evangelistæ, quæ quoties ex illa familia aliquis est moriturus, in terra mane absque ulla læsione invenitur, cum tamen sit fere in summitate Altaris collocata. In familia Strogetik supra templum aut aliquod castellum eorum albus passer videbatur. In familia Genisseckı de Augezd hydria stannea sua sponte operculum cum strepitu claudit. In familia Dlavhoroskiorum ita cista magna clauditur. In familia Klenoroskiorum in templo Parochiali in arce eorum Polina ad Missæ sacrificium lumen extinguitur. In Klenoroskiorum ante mortem cujuslpiam fœmina lugubri habitu intrat per fenestras. In familia Steronbergiorum in templo Parochiali noctu lumina visuntur, quæ si sint in dextra parte, masculus morietur; si e parte sinistra fœmina. In arce, & familia Schwamberg alba fœmina familiaribus se infert, nulli noxia. In arce Kamen familiæ Maloweez tria lumina prodigiose accensa, & hortulum arcis obeuntia. In familia Kolowrat uno milliari a Luna civitate in monasterio Rozow lapis sepulchralis sudat, quo ad heros delato ad P. Priorem, qui est Ordinis S. Augustini, tota familia convenit, & post confessiones mortis arbitrium exspectant. Familia Lobkowiz habet pro signo mortis campanulam sponte impulsam. *P. Albert Konsck. c. 7. Notat.*

Gentiles alios ad fidem adducentes.

CXXII. Adolescens gentilis P. Petro Almeidæ nuntiavit, quosdam Mauros cupere Christianos fieri, suorum iras, & sannas timere; egitque ita eorum causam, ut Pater Provincialis ei litteras ad arcis Lusitanæ Præfectum daret, quibus rogabatur, iis Mauris præsidio esset, quare idem adolescens paulo post novem Mauros adducit baptizandos, ipse autem in suis erroribus adeo mansit obstinatus, ut ne verbum quidem de conversione sua audire vellet. Idem omnino egit Maurus grandævus, & Medicus peritissimus Goæ: is volentes ita duos filios, ac totidem famulos, ad P. Franciscum Barretum deduxit, rogavitque, ut eos vellet baptizare. At ipse in alterius salute officiosus suam neglexit, in gentilismo obstinatus. *Ex ep. Indiæ missis.*

Vo-

Vocationis desertæ pœna.

Sodalit. Parthen. l. 2. c. 9. CXXIII. Studiosus quidam anno 1609. a patrum Capuccinorum familia retardatus, ut amitteret illum animum, Mussipontum mittitur, ubi tertio post mense lethali vulnere saucius patri nunciatur: Filius parente superveniente tribus tantum horis supervixit, alieno quidem scelere læsus, pro authore ipse deprecatus a patre veniam est, tum in fine causam mortis exponens: *Vides*, inquit, *pater*, *mi Pater*, *quem nuper Christi cruce in Capuccinorum insignitum passus non es ad astra tutam viam appetere, eumdem alieno facinore crudeliter morientem videre cogeris.*

Excommunicationis virtus.

Rodevus, in Virid. P. 2. CXXIV. Anonymos quidam monachus in Scetana solitudine aliquamdiu sancte moratus, demum jugum deseruit, contumaciæ pœnas detrectans. Alexandriæ a gentilibus exceptus, cum fidem deserere nollet, capite mulctatur corpore canibus extra urbem projecto. Fidelium opera latum sacrario corpus, cum sub Missa diceretur; *Catecumeni egrediantur*, tumba secum tracta extra templum omnium stupore concessit. Cujus rei causam quidam cognovit divinitus, scilicet, quod monachus parere recusaret, anathemate percussum, non potuisse in templo manere. Illo soluto mox quievit eo loco, quo primum positus erat. Quanta res inobedientia, quam nec martyrium satis potest expiare, quod tamen operit multitudinem peccatorum.

Abstinentia a certo potu mirabiliter impetrata.

Kanowski in emacr. c. 6. CXXV. Anno 1640. civis quidam Suffitii adeo erat in haustum vini cremati propensus, ut diceret mori se malle, quam eo potu abstinere. Ei dormienti candidissimus puerulus ter adstitit, ab eo potus dehortatus: sed ille voces eas insuper habuit, donec pœnam sensit obstinationis. Graviter enim corpore, & animo laborare cœpit. Quare voto se obstrinxit, eum se potum non amplius hausturum. Tunc apparuit ei B. Virgo cum Infantulo, qui præ gaudio ex ulnis B. Virginis exilire videbatur. Exin facillime abstinuit, mirante tota civitate: quin fatetur, se, si totus sibi mundus offerretur, velle ne vel guttam sumere.

Litaniæ omnium Sanctorum salutares.

Calend. B. V. 15. Julii. CXXVI. Domicani olim gravibus malis, & persecutionibus pressi, in templo ad eas avertendas Litanias omnium Sanctorum instituerunt recitare, tam felici successu ut motibus compositis, seculares dein qui sciebant, ex quantis malis quo remedio fuissent erepti, dicere vulgo soliti sint: *Cavete a Litanis fratrum Prædicatorum: mira enim operantur.*

Aulicismus laudabilis.

Barryp. 1. prati 4. anni sancti. CXXVII. B. Frater Joannes Ordinis S. Francisci hortulanus mire studebat Dei gloriam promovere; qui, cum Salmanticæ esset, ubi tunc Rex Castellæ degebat, ac Regis palatium adiret, stipis petendæ causa, jussus est conclave regium intrare, ubi tunc Rex prandebat. Illic B. Frater advertit diligenter accurate mentem ad omnes ritus, quibus Regi inserviebatur ad honores, & reverentiam, quam Regi exhibebant, ad suavem Musicam, quæ accinebat accumbenti Regi, ad vasa aurea, & argentea, quæ in abaco erant, ad omnes denique motus, & apparatum regiæ mensæ. Inde domum reversus, statuit eadem obsequio Christo exhibere, quæ viderat Regi præstita: Adit igitur templum, & comportat omnes calices sacros, & patenas coram Venerabili, tum eos incipit complodere, ac velut instrumenta Musica ad edendum sonum compellere, quibus, & ipse suam vocem adjungit, modulatus, ut potuit; interim iteratis genuflexionibus, & reverentia Venerabili sæpius exhibita aulicorum more, cum admiranda pietate, quæ omnes adstantes ad studium divinæ gloriæ accendit: qui attoniti tam raro spectaculo, vix inde poterant avelli; dum ille diu suam pietatem continuaret, ac sæpius exclamaret: *Tuus est, tuus est hic honor, quem exhibeo, o Rex cæli & terræ, qui honore dignus es*: Ita diu perrexit, nulla habita adstantium ratione: donec bene fatigatus, lacrymis madente vultu, animo incenso, oculis in venerabile defixis, se humi toto, ac porrecto corpore prostravit, animi suspiriis debilitatem corporis supplens.

Mirum ad sanctitatem comparandam motivum.

CXXVIII. Columba Reatina audiit Concionatorem dicentem de ingenti numero Sanctorum: pro argumento, ajebat ille singulas urbes habere proprios, & indigetes Sanctos, quorum multos recensebat. Tum illa, cum nullum audiret a patria sua nominari, cum tribus aliis puellis statuit Concionatorem adire, & rogare, num nullus Reatinus esset sanctus. Ille negabat, ullum se scire, cupere autem, se ut illæ sint primæ, aut una saltem earum. Gavisæ hoc responso sortitæ sunt, penes quam ea dignitas esset futura. Sors Columbam attigit. Quare ad Sacerdotem reversæ, cupiunt eam sortitionem ab eo ratam haberi. Ita Columbæ sorte imposita est necessitas, ut sancta fieret, prout facta est. Idem p. 4. c. 1. prati 6.

Innocentia cum gaudio manifestata.

CXXIX. E Societate quidam nobili Matronæ conscientiæ præerat eximia forma præditæ, non minori pudicitia; hanc juvenis deperibat, qui, quod videret, Matronæ pudorem salvum fore, quamdiu a Patre defenderetur, Patrem ab illa per criminationem avertit; Superiorem enim adiit, ac fictis testibus probavit, eum diuturnam cum illa stupri consuetudinem habuisse. Ita Pater innocens accusatus, graviter luit; in vilibus enim muneribus occupatus fuit: quæ tamen fortiter obivit. Interim criminator lethali morbo oppressus, cum confiteretur, inter alia hoc aperuit, se Patri injuriam fecisse. Tum Sacerdos asserens, eum absolvi, nisi restituta fama, non posse, metum alteri incussit, qui Sacerdoti facultatem dedit faciendi, quod videretur. Nitsiat. ex. 21.

Tum

Tum ille rem ad superiorem detulit, qui Patrem gavisus & amplexus innocentem, eum antiquo loco restituit.

Pericula castitatis vitanda.

Idem ex. 31. CXXX. Respondit Nicio P. Franciscus Rocca S. J. ejus Confessarius, ut sequitur. Abbas erat, cujus Monachi ad res domesticas volebant opera cujusdam muliereulæ uti; ille vero conatus est, periculi vitandi causa, hoc Monachis dissuadere, quod tamen non potuit, quod crederent a sordida muliercula nihil imminere periculi. Abbas igitur, ut eis errorem dextre ostenderet, quodam die jussit coquum cibos omnes ultra solitum sale condire. Eo facto, finitaque mensa, studio Abbas foras egreditur, asportatis cellæ non tantum, sed etiam putei clavibus. Interim Monachi ob salsos cibos siti prope enecti, cum nec e cella possent, neque e puteo bibere, urgente siti in culina tandem eluviem (solam enim culinam in eum finem reliquit apertam) bibunt, ac reversum abbatem ideo objurgant. At ille prudenter occasione usus, eos edocuit, quantum etiam in sordida muliere tempore tentationis periculum immineat pudori.

Regum exigua potentia.

Idem ex. 74. CXXXI. Philippo II. Hispaniæ Rege cum filio adhuc puero Philippo III. venatum egresso, subitus imber ingruit; tum puer Patrem rogavit, vellet nubibus ac cælo imperare, ne plueret: Cui Rex respondit, se hoc non posse, esse hoc altioris potestatis: quibus intellectis puer, qui tam multa sæpe audiebat de Patris potentia jactari; *Quid audio*, inquit, *o Pater! tam parvam rem præstare non potes? quid, si quid majus postulassem? jam plane comperio, te nihil posse*. Tum Pater: *Deum igitur time, qui plus omnibus potest*.

Modestia a Crucifixo pensata.

Barry. p. 1. c. 1. de vot. 2. CXXXII. Post Completorium olim quidam ex Ordine S. Francisci eo loco, ubi Crucifixus erat positus, insolentius ridebat, tum imago Crucifixi grandem clamorem edidit: unde illi attoniti cum Crucifixum aspicerent, viderunt vultum ejus inflammatum, & oculos ira ardentes, veluti si Christus esset indignatus, ei loco, ubi ejus effigies esset, tam parum reverentiæ haberi; neque irritum fuit prodigium: illi enim deinceps ad omnem occursum imaginum Redemptoris erant mire modesti; ii vero, qui erant aliquanto insolentiores; paulo post contabuerunt, & intra paucos dies sunt mortui.

Nuditas membrorum in somno vitanda.

Idem p. 1. c. 2. præl. 2. CXXXIII. Carpentarius quidam religiosus, & ut vocant, Conversus Ordinis S. Benedicti, cum noctu quiesceret æstate in dormitorio, ubi erat pro more lampas accensa, cumque se ad somnum invitaret, apparuit vultus enormis qui prope jacentis lectum residebat, cujus funestæ avis adventu exterritus, videt insuper prope suum lectum adesse duos dæmones humana specie, qui versi ad vulturem, *Quid hic agis*, inquiunt, *nihil ab istis religiosis obtines? Nihil*, ait vultur, *sunt enim signo crucis muniti in fronte, & aliquid ante somnum ex psalmis mussarunt, & quia nihil proficio, huc me quietis causa contuli: sed unde vos estis? successit ne potior vester conatus, quam meus? Omnino*, respondent, *venimus Catalauno; ubi militem induximus, ut vim hospitæ suæ inferret, dein monasterium pretergressi, effecimus, ut illic ludi religiosus moderator juvenem discipulum corrumperet. At tu iners pecus nihil hic agis, cum assistas religioso huic, qui nos respicit; vides utique eum frigus captare, & indecenter jacere, nuda tibia extra lectum protensa: cur indecoram tibiam non verberas?* Vix hæc dixerant, cum alter dæmonum correptam asciam, quæ sub lecto jacebat, totis viribus in Religiosum vibrat, & successisset ictus, nisi his auditis pedem intra lectum retraxisset: unde ictus homini destinatus lecti latus ligneum offendit, quo facto illico disparuerunt, apparente tamen in ligno securis vestigio.

Puella mirabiliter ad Baptismum perducta.

CXXXIV. Alexandriæ in Ægypto quidam veritus ob debita perpetuos carceres, jam volebat se ex arbore suspendere: hunc miserata nobilis puella adhuc gentilis, omnia sua bona illi offert ad debita expungenda, quæ ille acceptavit; sed puella depauperata, ut se deinceps sustentaret, turpi quæstu se aluit, quem diu sectata, tandem ergo ægrotat. In extremo tamen prope agonem a Deo illustrata voluit Christiana fieri. Sed id eam angebat, quod infamis ob priorem vitam patrinum pro baptismo non esset repertura. Tum ecce juvenis adest ei persimilis, quem olim a laqueo suis fortunis eripuit, & intellecta mœroris causa eam consolatus, opem ei suam promittit, & abit. Mox reversus duos alios secum dignitate & specie Magistratui similes adducit, a quibus ad templum deducta, & vocato sacerdote, baptizata est, uno eorum patrini vicem subeunte. Vicini, uti & Episcopus, mirabantur, prostitutæ puellæ ausum fuisse quemquam baptismum conferre, & ejus patrinum esse: Episcopus præsertim, qui ad se Sacerdotem, qui ipsam baptizarat, evocatum rogat, cujus auctoritate id egisset? Is respondit, a duobus e Magistratu eo se fuisse adductum. Ergo Episcopus ipse puellam iterum decumbentem adit, & rogat, quid tandem boni egisset, cur a Deo baptismo esset donata) suspicabatur enim Episcopus, aliquid divinitus contigisse) Illa tandem, fassa se peccatricem, recensuit, quid cum desperato homine egisset. Idem p. 4. c. 1. præl. 2.

Muri Monasterii osculo honorati.

CXXXV. S. Maria Magdalena de Pazzis amore religiosæ vocationis sæpe visa est Monasterii muros exosculari; causam rogata dicebat: Ah! sorores, an non æquum est, ut id agam? hæc sunt saxa & muri, qui me ab infelici mundo separant, & securo loco thesaurum inæstimabilem meæ puritatis attinent. Hæc cogitatio me ad incredibilem dilectt mei amorem exstimulat. Idem Cent. 1. illust. c. 91. n. 1.

Ten-

Tentatio vehemens erga vetita.

Specul. exempl. dist. 6. ex. 46. CXXXVI. Miles sacerdoti confessus, hanc unam pœnitentiam subire jussus, ut stans sub sylvestri pomo, quæ acerbissima poma & esui ingratissima ferebat, nullum inde pomum comederet, cum antea sponte sua abhorreret a tam agresti cibo; ita tamen post datum imperium cœpit illis pomis tentari, ut dum secum confligatur, nec vinci se contra mandatum a gula tam importuna patitur, mori præ vehementia appetitus, quem repressit, debuerit.

Mira Reginæ in S. Martinum pietas.

Sulpit. Sev. in vit. l. 3. CXXXVII. S. Martino Episcopo uxor Maximi Imperatoris (viri cæterum a Sulpitio laudati, nisi quod impositum imperium vi, & bellum civile non vitavit, & qui sæpe pios cum Martino sermones habuit velut Magdalena Christi ad pedes assusa, omnem Regiam dignitatem posteriorem pedibus ejus habuit; ut denique Martinus a Rege & Regina compulsus fuerit pati, ut sibi omnibus remotis ministris a sola Regina serviretur. Ipsa igitur parat mensam, sellulam sternit, aquam manibus ministrat, cibum, quem ipsa coxit, adfert: demum eminus solo fixa immobilis & modestiam & humilitatem servientis exhibet, bibituro miscet, & proponit, finita cœna micas colligit, & velut catellus illis pascitur.

Dilectio ægrorum singularis.

Rho l. 1. c. 6. n. 25. CXXXVIII. Franciscus-Titelmannus Capuccinus, vir adomodum doctus, literarum posita cura, ægros curabat; rogatus ab amicis ejus rei causam, digito in ægros intento: Hi, ajebat, sunt mei Chrysostomi; hi mei Augustini: *quia supereminet*, juxta S. Paulum, *scientiæ Charitas Christi.*

Mundi turpido ostensa.

Discipul. Prompt. lit. M ex. 67. CXXXIX. Erat quidam nobilis in Austria totus mundo deditus, quadam nocte solus ante castrum suum in virgultum pulchrum floribus (ut melius de mundi pompa posset cogitare) descendit. Quædam igitur domina super humanam æstimationem formosa, & onorata se ei præsentavit, dicens: *Ecce adsum, quam tanto amore hactenus dilexisti, ad me accede.* Ille vero gaudens valde ipsam diligentius perspexit, se beatum reputans, quod aspectu & affatu talis dominæ perfrui dignatus fuit. Et illa: *Sicut me ante bene vidisti, ita me retro intuearis.* Vidit itaque in dorso eam plenam vermibus, putredine, immunditia & fœtore: itaque horror istorum omnem gloriam prius visam superabat. Ad quod nobilis in stuporem raptus, & nimis territus est. Ad quem illa. *Ego sum gloria mundi, & tales sunt fructus mei.* Ad verba hæc imago disparuit, & nobilis emendatus rediit, & mundo renunciavit Deo vivens.

Patientia probata & approbata.

Ibid. sit. ex. 9. CXL. Erant duo fratres Monachi pariter in cella commorantes, quorum humilitatem & patientiam etiam multi de Societatis Patribus collaudabant. Audiens quidam Sanctus vir, volens probare, si veram perfectamque charitatem haberent, ac humilitatem, venit ad visitandum eos. Cumque cum gaudio suscepissent eum, & ex more complessent orationes, & psalmodiam, egressus forte cellulam, vidit parvum hortum, ubi sibi olera faciebant, apprehensoque baculo cum toto impetu cœpit omnia olera cædendo confringere, ita ut nihil omnino remaneret. Videntes autem supradicti fratres, nihil penitus dixerunt; sed nec vultum tristem, nec turbatum habentes, rursus ingressi cellulam, vespertinas orationes compleodo, adorantes eum dixerunt: Si præcipis, Domine, ibimus, & eum, qui remansit, caulem coquentes gustabimus, quia jam hora est, ut cibum sumamus. Tunc senior adoravit eos dicens: Gratias ago Salvatori nostro Jesu Christo, quia video, Spiritum Sanctum requiescere in vobis. Etiam hortor, ac moneo vos, fratres charissimi, ut usque in finem custodiatis sanctæ humilitatis, & patientiæ virtutem, ut ipsa in regno cælesti vos sublimes, & magnos in conspectu Domini faciat apparere in sæcula sæculorum.

Pax quomodo servanda.

CXLI. Erant duo fratres secundum carnem germani: verumtamen utrique in spirituali proposito Monachi existentes. Insidiabatur autem eis malignus spiritus, ut quocumque modo separaret ab invicem. Quadam autem die ad vesperam secundum consuetudinem ille junior frater accedens lucernam posuit super candelabrum. Faciente autem malitia dæmonum, ruit candelabrum, & extincta est lucerna. Per hanc occasionem insidiabatur eis diabolus, ut eos in litem accenderet. Surgensque senior frater, cœpit percutere fratrem suum. Ille vero prostratus in terram deprecabatur fratrem suum dicens: *Magnanimus esto, domine, & ego rursus incendam lucernam.* Ergo quod non respondit ei turbulentum verbum, malignus spiritus confusus statim recessit ab eis. Et pergens eadem nocte nunciavit principi dæmoniorum dicens: Quemadmodum propter humilitatem illius, qui prostratus in terram veniam postulabat a fratre suo, non prævalui in eis; vidensque Deus humilitatem, & voluntatem hujus Monachi effudit super eum gratiam suam; & ego sentio me valde torqueri, atque cruciari, quemadmodum non prævalui eos separare ab invicem. Hæc ergo omnia verba cum audiret idolorum Sacerdos, qui ibi commanebat; compunctum est cor ejus in timore, & amore Domini nostri Jesu Christi. Considerans etiam, quam magna seductio, & perditio animarum est cultus idolorum, relinquens omnia statim festinanter ad sanctos Patres ad Monasterium perrexit, & retulit eis hæc omnia, quæ per malitiam Dæmones inter se loquebantur. Cumque monitis salutaribus instruxissent eum Sancti Patres de doctrina Domini Salvatoris, baptizatus est, & sancto proposito Monachorum vitam arripuit, & adjuvante, & cooperante gratia Domini factus est probatissimus Monachus. *Ibid. ex. 31. ex vit. P.P.*

Tan-

Tantumque veneratus eſt, & ſenuit humilitatis virtutem, ut omnes humilitatem ejus mirarentur. Dicebat enim, quod omnem virtutem adverſariorum noſtrorum Dæmonum humilitatis ſolvit intenſio. Denique & Dominus noſter Jeſus Chriſtus per humilitatem triumphavit, diabolum & omnem virtutem ejus contrivit. Addebat etiam dicens, quod frequenter audiſſet dæmones inter ſe loquentes: quia quando ad iracundiam accendimus corda hominum, ſi qui ſuſtinuerint patienter injuriarum convitia, & converſi magis rogaverint ea, quæ ad pacem ſunt, dicentes: quia ego peccavi; ſtatim ſentimus omnem noſtram virtutem marceſcere, & approximat eis gratia divinæ potentiæ.

Correctio omiſſa nocet.

Diſcipl. Prompt. 36, lit. H. CXLII. Erant duo fratres in monaſterio uno. Unus erat gratioſux Abbati, & cæteris fratribus, alter autem non erat gratioſus, & quidquid deliquit immediate ab Abbate punitum fuit, ſed alii frequenter pepercit ipſe Abbas in ſuis negligentiis, quia gratioſus erat omnibus. Contigit, ut illi ambo morerentur. Apparuit autem ille, qui gratioſus fuit Abbati, dicens, ſe eſſe in magnis pœnis. Et Abbas: Ubi eſt nunc ille infelix, qui plures negligentias, quam tu, commiſit. Et ille: O Pater, ipſe non eſt infelix, nec miſer, quia jam eſt in clara viſione Dei; quia quidquid hic cum negligentia deliquit, immediate hic punitum fuit, & ſic ſatisfecit: ſed mihi, Pater, ſæpius peperciſti in meis negligentiis, eo quod gratioſus fui tibi, & cæteris fratribus; ergo jam graviter torqueor in purgatorio. Sed, Pater ſancte, ora Deum pro me, & recommenda me cæteris fratribus meis in ſuis Miſſis, & orationibus, quia valde alfligor in purgatorio.

Diſpoſitio bonorum ante mortem facienda.

Diſcipl. Prompt. lit. E. ex. 8. CXLIII. Eremita quidam vidit in viſione multas animas in diverſis ſtatibus, inter quas vidit unum virum ſedentem, & ſtabat una menſa ante eum repleta omnibus bonis; alia menſa ſtabat retro eum vacua; quem quæſivit, quid hoc notaret: Reſpondit: Menſa illa, quæ ſtat ante me ſunt opera miſericordiæ, quæ feci ante mortem, & illis bonis modo utor; Menſa vero retro me poſita ſunt quæ diſpoſui, cum adhuc viverem, & mandavi uxori, & pueris meis, ut animæ meæ ſubvenirent eleemoſynis, & ſuffragiis, in teſtamentis. Et ecce adhuc vacua eſt; quia occupaverunt ſe temporalibus rebus dividendis, qui mei obliti ſunt. Unde dicit ſapiens: *Fac bene, dum vivis, poſt mortem vivere ſi vis.* Unde etiam Ambroſius: *Hoc tantum tuum reputa, quod pauperibus erogaſti.*

Eadem aliis non committenda.

Ibid. lit. F. ex. 21. CXLIV. Quidam dives in articulo mortis tres filios ſuos ad ſe vocavit, & ſeniori dixit: Noſce fili chariſſime, multas poſſeſſiones vobis reliqui, quas olim conſervavi, quas debuiſſem pauperibus erogare, & ideo fortaſſis ad purgatorium ibo. Dic, quid daturus es pro anima mea? Ac ille plurimarum celebrationes Miſſarum, & largas eleemoſynas ſe facturum promittebat. Similiter ſecundus promittebat. Hos duos pater laudavit, & hoc dicto riſit tertius. Quæſivit autem a minore, quid de eo deberet ſperare. At ille: Pater, nec unum denarium promitto pro te daturum. Et cum malediceret illi pater, filius ait: Dum vivis, pater, bona tua pro ſalute tua diſtribue; nec committas mihi, nec aliis fratribus meis, poſſeſſores enim rerum tuarum facti, quomodo te juvabimus, cum tu amore noſtri te juvare nolis? Utilitatem enim ſuam unuſquiſque noſtrum plus, quam te diliget: & de te amplius parum curabit, nec ſolicitus erit. Hunc oſculando fratribus præferebat, veritate audita; & divitias ſuas pauperibus erogabat pro ſalute propria.

Infidelitas hæredum.

CXLV. Obſeſſus quidam, dum duceretur ante domum cujuſdam civis, qui ædificabat in altum domum magnam, & ſumptuoſam, riſit. Quærentibus, cur riſiſſet? reſpondit: Iſte ædificat, quaſi ſemper vivere debeat, & ego ſcio, quod mala morte morietur ante noctem; quia interficietur. Hoc eo dicente, riſit ſecundario; & cum ab eo quæreretur, cur riſiſſet? reſpondit, quia iſte morietur, & relinquet divitias ſuas, quas cum labore acquiſivit, alienis. Cui cum diceretur, quod haberet hæredes, quibus deberentur divitiæ, reſpondit: Omnes ſui hæredes erunt ſibi ſatis infideles, quaſi alieni eſſent, quaſi eis numquam aliquid feciſſet; quia iſte morietur, & accipient hæredes pecuniam, & obliviſcentur animam ſuam. Et hoc dicto, riſit tertio, & cum iterum cauſa riſus quæreretur, reſpondit: Rideo de juſto Dei judicio, quia fiet iſti diviti, ſicut ipſe fecit; quia, quando pater ipſius moriebatur, promiſit pro patre ſuo ſoluturum debita ſua, quæ pater poſt ſe reliquit, & inſuper dare largas eleemoſynas, & ſibi comparare multas Miſſas; ſed mortuo patre modicum, vel nihil, fecit: ſimiliter fiet illi ab hæredibus ſuis. *Ib. ex. 24.*

Pater a filio ſalubriter correctus.

CXLVI. Cum quidam dives, & potens jam ſeneſceret, mortua uxore ſua, filio ſuo, quem multum diligebat, tradidit uxorem. Qui ait patri ſuo: Pater committe mihi omnia bona tua, ut ſic vivas ſine labore. Quo annuente fecit ei lectum in camera pulchra. Sed, cum uxor juvencula non poſſet eum pati proptee tuſſim de nocte, filius eii rogatu uxoris locabat eum ſub quodam gradu. Qui ſuſtinens paupertatem, & frigus in hyeme clamabat ad filium, ut daret ei veſtem. Tandem filius emit quatuor ulnas, & dedit patri duas, & ſibi duas ſervavit. Hoc videns filius parvulus, accipiens illas duas ulnas abſcondit in muro, & dum diu quærerent in domo, & non invenirent, dicit parvulus: Scio, ubi ſunt. Cui pater: Cur abſcondiſti? qui reſpondit: Ad hoc ſervabam, ut operirem te in ſenectute tua, ſicut tu patrem tuum. Et ait pater: Non amplius facies. Cui filius: Certe in tantum, aut minus. Quo audito, dixit intra ſe: In caput meum iſtud redundabit in ſenio, idem faciet mihi exemplo meo inductus. *Ib. ex. 25.*

Statim bonum pellicium misit patri per parvulum filium, & reassumpsit eum in domum suam, & exhibuit ei omnem honorem, & reverentiam; & eum amplius multum pie tractavit; ut in hoc exemplo parvulus disceret, quomodo ipsum in senio suo tractare deberet.

Filii a patre astute decepti.

Ib. ex. 97. CXLVII. Quidam prædives habuit pueros, quos nuptui tradens, ditavit eos divitiis suis. Tandem ille depauperatus est, & non curatur a pueris. Ille autem convocans pueros suos, singulis tradens claves pro scrinio, in quo posuit malleum gravem, quasi esset pecunia, retenta sibi una clave, ne ad scrinium venire possent. Dixitque pueris: Hæredes mei, & dilecti mei estis; post mortem meam aperiatis scrinium, & ibi invenietis litteram, per quam scietis, quantum unicuique legaverim. Ob hanc spem singuli certatim invitaverunt, & juverunt patrem; quia dicebat, quod nolebat diminuere de his, quæ erant in scrinio, ut singuli habeant ad plenum, quod eis ordinaverat. Post mortem suam aperto scrinio, invenerunt malleum, & litteram hoc continentem. Dignus est homo ille ad caput cum malleo percuti, qui tantum tribuit pueris suis, eisque confidit, ut distractis omnibus nihil sibi retineat.

Excommunicationis æstimatio a brutis docta.

Ib. f. 69. Nr. M. CXLVIII. S. Gregor. IX. aliquando divitem excommunicavit, qui cum contemneret excommunicationem Papæ, tunc miraculo Dei ciconiæ, quæ ædificaverant super domum ejus, a domo ejus recesserunt, & nidum transtulerunt ad domum alterius. Quod videns dictus contumax, & admonitus a cognatis suis, qui hoc idem consideraverunt in ciconiis, postea humiliavit cor suum, petens absolutionem. Et quia cito fuit absolutus, tunc dictæ ciconiæ redierunt, & nidum supra domum ipsius reportaverunt.

Injustitia celitus punita.

ex. 19 CXLIX. Bertoldus Palentinus de Guildispach Judex erat severissimus, ita ut furibus pro damno unius oboli vitam auferret. Unde quoties domum suam exivit, laqueos cingulo suo appendit, ne reorum pœna caperet dilationes. Die igitur quadam mane surgens, & laqueum cingulo suo solito more appendens, vocem in aere audivit: Bertolde, qui tibi primus in egressu tuo de castro occurrerit, hoc laqueo ipsum suspendas. Qui vocem pro homine accipiens cum procederet, ei quidam scultellus suus primo occurrit. Quo viso cum satis doleret, eo quod eum diligeret, dicebat illi: Doleo de occursu tuo. Quare ait? quia suspenderis. Quare suspendar? Respondente Palentino: Nescio, sed præpara te per confessionem, & ordina de rebus tuis, quia voci divinæ resistere non valeo. Ille videns aliter non esse, dixit: Justus est Dominus, & plures in domum meam declinantes insequens occidi: multis multa rapui: nec tibi domine unquam fidelis extiti; neque pauperibus peperci. Et mirati sunt omnes audientes ejus confessionem, & cognoverunt, in ejus morte peccati pœnam a Deo esse.

CL. Injustus Herodes Antipas, vel potius impius, qui privignæ gratificatus Joannem Zachariæ filium, quo post Christum nemo fuit sanctior interfecit, cum incesta conjuge extremo fuit afflictus supplicio, & per exquisitissimas uterque pœnas discruciatus.

Judices non facile mutandi.

CLI. A Tiberio Cæsare quæsitum fuit, quare præpositos populi non frequenter mutaret, sicut & alii Principes? Respondit, in hoc se parcere plebeculæ. Scientes enim Judices & Procuratores, se brevem habere procurationem, emungunt usque ad sanguinem. Et qui recentes veniunt, totum dissipant, quod inveniunt. Quod ostendit cujusdam vulnerati exemplo, qui cum jaceret in via, nec amoveret multitudinem muscarum, superveniens alter, æstimans, quia hoc faceret ex imbecillitate: abegit muscas, quæ operiebant vulnus. Ad quem ille: Male fecisti mihi, quia muscæ, quas abegisti mihi, jam plenæ erant. Unde & parcius molestabant me; quæ autem supervenient recentes, acrius pungent. Ib. ex. 49.

Cibi quomodo condiendi.

CLII. Quodam tempore milites quidam honesti, ac nominati, aliique plures tam Clerici quam Laici viri divites in eremo sunt conversi, atque in ordine confortati. Quidam igitur ex sæcularibus prædictorum militum notus, & amicus, victum eorum quotidianum, quo in communi conventu reficiebantur, considerans, ait beatæ memoriæ domino Gisilberto eorum Abbati: Non sufficio admirari, quod tales viri in sæculo tam delicati oleribus inconditis, ipsa & lente possunt uti. Cui ille respondit: Ego tria grana piperis appono, quibus eadem grossa pulmentaria condiuntur, ut pene nihil in suis scutellis comedentes relinquant. Mirante illo, & non intelligente, quæ audierat, Abbas subjunxit dicens: Primum granum piperis sunt longæ vigiliæ matutinarum; secundum labor manuum; tertium vero desperatio lautioris ferculi. Et ista sunt tria grana, quibus appositis, optimi saporis fiunt pulmentaria nostra. Et puto vehementer, quod monachus peccet magis, ipsam suam lenticulam propter torsiones, vel humores melancholicos vitando, quam nimis ex illis sumendo. Si enim apposita comedere noluerit, necesse est, ut lautiora, vel appetat, vel requirat. Si enim data fuerint ex consuetudine, pusillanimes scandalizat; si vero negata, ante tempus deficit. Monachus vacuo ventre non potest bene jejunare, vigilare, aus laborare. Hinc est, quod beatus in quodam sermone tales satis acriter reprehendit dicens: Cibaria nostra sunt multum confortantia; & ideo oportet nos ex eis sumere ad saturitatem. Ib. lib. d ex. 56.

Pœnitentia mirabilis.

CL. Quidam in Teutonia multis rapinis, & cædibus Provinciam deprædavit, qui captus, & ad decollandum expositus, petivit a Judice, & ob- Ib. lib. P ex. 61.

& obtinuit tempus prolixius pœnitendi; & mox astanti juveni consobrino ait: Si vere amicus es, cooperator esto mihi misero in salutem; affer, obsecro, instrumentum ferreum, quod denirlx dicitur, cum quo parant feminæ linum suum. Quod ut factum est, dixit juveni: recide mihi manus, ulnas, & brachia usque ad humeros. Pedes vero & tibias & crura usque ad nates; postea genitalia, aures, oculos, nasum, & caput ad ultimum amputabis. Juvene ergo sic ut cum dolore rogatus fuerat, exequente, pœnitens ipse unumquodque membrum, antequam truncaretur, instrumenti ferret dentibus, per inflixiones multiplices, & validas diutius affligebat, dicens: Hanc pœnam hic pro parte, vilissima membra percipite, quibus actu nefario scelera perpetravi, & Deum creatorem meum offendi. Extremo igitur post omnem pœnam trunco corporis cum capite suo superstite, hilari vultu dixit: Utinam tormentum illud, quod respectu scelerum meorum parvum sustinui, reiterare semel, iterum atque iterum valerem, si liceret miserrimo, & in eo diutius cruciari! Et hæc dicens cum lacrymis oravit populum circumstantem se, quatenus sibi miserrimo in eleemosynis pauperum, & orationibus subveniret. His dictis, extendit caput, & mox a juvene decollatur.

Pulchritudo miraculose adempta, & restituta.

ib. lit. P ex. 113. CLIV. In partibus Sueviæ, quas Alemania continet, sic a fratres Ordinis Prædicatorum, & Waltero audivi: Mulier quædam devotissima erat nobilis, & pulchra, etiam secundum carnem inter omnes fœminas panthera reputata. Ad hanc autem videndam cum multi proceres, nobiles, & potentes convenirent, & illa præ visitatione hujusmodi gravius turbaretur, ne scilicet curiose videntibus occasio scandali præberetur, oratorium suum sola semel intrans, fusis ad Deum lacrymis dixit: Video Christe Jesu, ex carne mea, qua induisti me, periculum mihi imminere; licet enim fortiter animum meum fixeris, ut nullius prorsus vanitate commovear, tamen non modicum pertimesco, dare me posse causam debilibus, ut in tentatione concupiscentiæ aliquatenus agitentur. Rogo ergo te, misericordissime Pater & Domine, ut sit carnis deformitas in horrore potior, quam pulchritudo fuerat in honore. Hoc dicto lepra statim immundissima contabuit vultus ejus, eruperunt pustulæ, & oculi tumuerunt, os & labia computruerunt, nasus quoque gibbosus, & cum omni deformitate contortus aliam penitus faciem demonstravit. Nec mora, egrediente illa, occurrit maritus, vixque eam per habitum cognoscens, quærit, si ipsa sit? At illa dixit: Ego sum. Mox ille totus inhorruit: & ut vidit familia, omnes simul clamabant in planctum, mirantes præcipue, quid tam subito suæ dominæ contigisset. Turbatis ergo parentibus illius, notis omnibus, & amicis consulitur Physicus. Respondit, incurabilem lepram, nihil aliud esse consilii, nisi quod extra habitationem hominum collocetur: quod & factum est. Et audivit Frater Ordinis Prædicatorum, qui ejus confessionem audire consuevit, venit ad illam, & mire gaudentem invenies, quærit causam inopinati & subiti morbi. Cui illa omnia per ordinem enarravit. Frater iste turbatus, & miratus non modicum, eam increpavit dicens: O misera, & stultissima mulier, quæ in contumeliam viri tui, & periculum ipsius, opus Dei in te imprudente instantia destruxisti, & parentes tuos, & amicos, qui Deum laudaverunt, & venerati sunt, in te ad blasphemandum nunc per tale infortunium coegisti. Age nunc, charissima, pœnitentiam, assiste precibus, & ad contrarium rei gestæ Divinam misericordiam interpelles. Hoc dicto recessit Frater. Illa autem totaliter resoluta in lacrymas, oravit ad Dominum dicens: Domine Pater, & Dominator vitæ meæ, ut liberiori mente, ut puriori spiritu tibi servirem, hoc flagellum lepræ a tua pietate fideliter precibus expetivi. Sed, quia audio a Patre meo spirituali, (cui me tota devotione commisi) contra salutem meam, & te olim Dominum petiisse; rogo te per tuam benignissimam charitatem, ut in me tuum plasma restituas, secundum quod tuæ placuerit optimæ voluntati. Mirum! vix verba complevit, & in tanta claritate cutis, & elegantia formæ subito fuit facies restituta, ut nec in ea unius rugæ vestigium, vel tenuissima saltem macula remaneret. Quo viso, gaudet miles, & uxorem reputat sibi quasi redditam redivivam, & exultat familia, lætantur amici, & exultat patria, & Christi pietas in ore omnium collaudatur; & vix dictus miles anno dimidio supervixit. Tunc inclyta mulier, non immemor bonitatis Christi, cum unica filia, quam habebat, & possessionibus universis ad Monasterium sororum Ordinis Prædicatorum transiit, quod de Lebental vocatur, & in eo auctore Deo religiosissime conversabatur.

Præbenda rite usurpanda.

CLV. Videbatur cuidam Canonico quadam nocte, quod Deus sederet in judicio, & ante eum totus mundus vocabatur, quilibet recepturus secundum merita sua. Vidit etiam, quod unusquisque adducebat aliquem Sanctorum, cui plus servierat, ut esset apud Christum Advocatus suus. Iste cogitabat, quod rogaret etiam Sanctum illum, cujus Canonicus fuerat, cui & servierat, cantando legendo, ut secum iret ad judicium ante Christum, & intercederet pro eo, monens eum de servitio suo. Ille Sanctus respondit: Libenter ibo tecum: Et assumpsit altum secum, quasi pro teste: devenerunt simul ad judicium. Cumque venissent ante Christum, dixit Sanctus: Domine conqueror tibi de isto vilissimo peccatore, qui viginti annis, & amplius comedit, & bibit præbendam in Ecclesia mea, & omne tempus suum expendit vivendo luxuriose, & turpiter; nec una die finivit horas suas, sicut debuit: Unde peto judicium fieri de ipso, huic rei est testis iste. Respondit Christus: Accipite eum ligatum manibus, pedibusque, projicite eum in infernum. Ille Clericus evigilans quasi de gravi somno, putabat jam se esse in infer- ib. ex. 136.

no, & dixit illi sancto: Domine, habete præbendam vestram, quia numquam plus comedam de ea; & conversus ex hoc religionem intravit, & salvavit animam suam.

Intentio pura singularis.

Ib. f. 11. CLVI. In vitis Patrum legitur, quod erant duo fratres, juvenis & antiquus; juvenis erat servus Dei; & Diabolus invidens ei, venit ad antiquum fratrem dicens: Ego sum Angelus Dei, & habeo tibi aliqua referre ex jussu Dei, de quibus maxime doleo. Scias, quod frater tuus junior est filius damnationis æternæ, & servitium suum, quod exhibet Deo, sibi non prodest ad vitam æternam. Et hoc dicto recessit; & antiquus post hoc, quandocumque vidit juvenem, semper ingemiscebat. Quo considerante tandem dixit: Frater mi, quare tristitiam habes ex aspectu meo? Respondit, & dixit ei, quod sibi relatum fuit ab Angelo malo. Qui respondit: Noli tristari: si enim debeo damnari, damnabor: si salvari, salvabor; sicut Deo placuerit, ita fiat. Non enim servio Deo propter Regnum cælorum, sed propter suam charitatem, & bonitatem, quam habet ad me: & propter suam passionem, quam sustinuit propter me: si vult mihi dare regnum cælorum, potest; si infernum, iterum potest; & sequenti nocte venit Angelus Dei, & manifestavit seni, quod alter Angelus fuisset diabolus: & dixit sibi, quia ille juvenis ex illa constantia magis meruisset, quam prius omnibus diebus vitæ suæ nnquam meruisset.

Superstitiones periculosæ.

Ib. lit. S. ex 10. CLVII. Ægrotavit quædam mulier usque ad mortem, & dixit ei filia sua: Mater, mitte pro Sacerdote, ut confitearis peccata tua. Cui Mater: Ad quid? Si modo sum infirma, cras vel post cras ero sana. Filia vero videns, eam deteriorari, adduxit plures vicinos, ut eam similiter admonerent, quibus illa. Quæ dicitis, vel quid timetis? ego non moriar ante duodecim annos; sic enim audivi cuculum, qui dixit mihi. Tandem in illo periculo obmutuit. Et tunc misit filia sua pro Sacerdote, qui venit, & attulit, quod debuit. Et ad eam veniens quærit, si aliquid velit confiteri. Illa solum dicebat: Kuckuc. Iterum Sacerdos offerens ei corpus Domini, quærit iterum, si credat, esse Salvatorem. Et illa revertente Sacerdote sic obiit.

Verbum Dei semper fructuosum.

Ib. lit. V ex. 1. CLVIII. Quidam frater dixit ad senem: Ecce Abbas, frequenter interrogo seniores Patres, ut dicant mihi admonitionem pro salute animæ meæ, & quicquid mihi dixerint, nihil retineo. Erant autem seni duo vasa vacua, & dixit ei senex: Vade & affer unum ex illis vasis, & mitte aquam, & lava id, & effunde, & pone illud madidum in locum suum. Fecitque frater ita semel & bis: Et dixit ei senex: Utraque vasa simul affer huc. Et cum attulisset, dixit senex: Quale ex utrisque est madidius? Respondit Frater: ubi aquam misi, & lavi. Tunc dixit ei senex; Sic est de anima, fili; qui frequenter audit verba Dei, quamvis nihil retineat ex his, quæ interrogat, tamen plus mundatur, quam ille, qui nunquam requirit.

Unctio extrema non negligenda.

CLIX. Miles quidam dives, & strenuus, in sæcularibus exercitiis, & torneamentis, & hastiludiis exercitatissimus, Religiosos, & Clericos in magna reverentia, & honore habebat, & eisdem in domo sua liberaliter ministrabat. Hic, cum in vehementem languorem incidisset, & post fidelem confessionem, & Dominici Corporis perceptionem, a Religiosis & Clericis, qui ibi aderant, requisitus fuisset, si oleum sanctum desideraret? respondit: Ita desidero, & ex toto corde requiro. Quod uxor ejus audiens, & nimis carnaliter eum diligens, fieri non permisit, donec intellectum perdidit, & agonizare cœpit. Cumque fuisset, & per sex horas jacuisset immobilis, ut putaretur esse mortuus, tandem resumpto spiritu vocavit uxorem dicens: Heu! heu! uxor mea dilecta, quid fecisti: quare decepisti me, & tu decepta es? si, cum intellectum habui, inunctus fuissem, proculdubio tricesima die a tormentis purgatorii exivissem, modo per septennium in pœnis manebo: & utique triginta annis ibi fuissem, nisi Religiosorum, & Clericorum, quos semper dilexi, devote intercessisset oratio. Tu vero, quæ hujus negligentiæ causa efficiens extitisti, impunita non transibis, sed usque in finem vitæ tuæ paralytica jacebis. His dictis miles in bona confessione discessit. Et uxor ejus incurabili paralysi percussa, post viginti quinque annos plena patientia migravit ad Dominum. Ib. ex. 10.

Voluntas pro facto reputata.

CLX. Quidam dominus castri habuit Sacerdotem sibi celebrantem solemnia Missarum, & ipsum vocari fecit, ut se præpararet ad Missam. Sacerdote autem veniente, vidit ipsum dominus castri cum quinque dæmonibus obsessum, & nullus alius videre potuit, nec ipse Sacerdos scivit; & Angelum suum a longe stantem: & cum appropinquaret Ecclesiæ, reliquerunt eum tres dæmones. Cum autem se omnino ad Missam confessione facta præparasset, dimiserunt eum alii duo, & omnes quinque stabant quasi lupi rapaces, insidiando, donec finem suo officio dedisset. Et Angelus Domini saltabat super humerum ejus. Sacerdote stante in canone, Dominus castri extracto gladio amputavit Sacerdoti caput suum. Interfectione facta, dominus cœpit contristari, & a Domino Papa pœnitentiam requirere, qui dixit: Vade, & fac, quod fatuus tuus jubet te facere. Dominus vero lætus ad propria pervenit, & fatuum suum bene fecit tractare. Quodam vero die vocavit fatuum suum, & dicit illi: Quid faciam, quod interfeci Sacerdotem? qui respondit: Si ipsum interfecisti; permitte, & te interfice. Cum vero sæpius hoc attentasset, & fatuus semper eadem verba responderet, cogitante domino, quod Ib. ex. 13.

ali-

aliquid significaret, rogavit servum, ut, quando veniam fecisset, caput suum sibi amputaret. Facta autem venia, & extracto gladio ad amputandum sibi caput, venit Sacerdos mortuus coram Altari, & dixit sibi: Surge, Dominus voluntatem habet pro facto; resigno autem tibi, quod mihi fecisti, quia in gloria Dei Patris sum. Surrexit dominus, & habitum assumpsit religiosum, & ex castro fecit fieri claustrum, in quo Domino nostro Jesu Christo servivit usque in finem vitæ suæ.

Pœnitentia dilata nociva.

Hartunc. Dom. Sexag. Conc. tuft. §. 3.

CLXI. Obiit ante annos non multos Canonicus quidam, homo ventri, & avaritiæ fordibus deditus, qui sibi adhuc vivens, cœnotaphium ex ære fuso erigi fecerat, in quo ipse coram Crucifixi imagine flectens, hæc verba pronuntiabat: *Miserere mei Deus.* Moritur Canonicus, tumulatur, & cœnotaphio pridem parato honoratur. Res mira, cum die postera nonnulli inscriptionem sepulchralem lecturi accederent, nihil ex versu illo Davidico: *Miserere mei Deus:* residuum invenere, præterquam primas quinque litteras; *Miser*; partem reliquam expunxerat, & oblitterarat manus incognita, ut constaret, Canonicum illum sine misericordia esse miserum, qui Psalmum *miserere* non nisi post mortem orare distulisset.

Vulnera Christi salutaria.

Ib. Dom. 2. Quadr. §. 5.

CLXII. Narrant Annales Eremitarum S. Augustini, B. Joannem de Incontris, juvenem tenerrimum, cum rigorem Ordinis in tyrocinio ferre non posset, reditum ad sæculum cogitasse. Cui aspectabilis Jesus latus suum detexerit, & dixit: *Fili, ubi tibi cibus aridior, lectus durior, molestiores fuerint vigiliæ, ingredere vulnus hoc, & intinge illa in sanguine lateris mei, & illico dulcescent omnia.* Paruit juvenis, & paradisum habuit in terris.

Tentatio diabolica morituri Sacerdotis.

Hartunc. Domin. 3. Quadrag. Conc. tuft. §. 5.

CLXIII. Compluti ad ægrum Sacerdotem accersitus Dominicus Russola, magna sanctitatis opinione celebratus, illum lætum reperit; nempe dæmon effigie Crucifixi personatus sese videndum prius ægro dederat, quam Russola adveniret. Sed ne Dominicus ægrum ab errore adduceret, ac pro more expiaret, adfuit illico ad latus lectuli alter infernalis genius Dominici paulo ante accili, & jam præsentis imaginem scite mentitus. Quid dicebat, quid iste vaferrimus dæmon dolose meam effigiem simulavit, & citius adfuit? Ego sum Domine, Russola, quem tu vocasti. cave, mi infirme, tartarei genii artes; Non est is ille, quem optas. Paulo ante tibi Christus crucifixus apparuit, jam ego advenio; neque iste, qui prior affuit, sed ego sum verus Dominicus, ille diabolus est, & cavendus. Contra vero verus Dominicus, illum esse dæmonem, ajebat, sed ipsissimum Dominicum, ad excipiendam confessionem advocatum. Contra iterum obnitente dæmone, anceps æger inter duos Dominicos eum, qui prior venerat, verumque Dominicum jubet facessere, seque ad dæmonem Dominici vultu tectum convertit. Dominicus verus, priusquam discederet, manum Sacerdotis ægri exosculatus, Ego, inquit, quem tu diabolum esse credis, sum indignissimus servulus Beatiss. Deiparæ Virginis Mariæ, cujus tu Filium Deum hominem Jesum toties his digitis tenuisti, quos idcirco reverentissime exosculor, & me indignum agnosco quod id faciam. Doleo enim, quod Deum optimum ingratus toties offenderim, veniam tamen a piissima ejusdem misericordia per Jesu vulnera, & Mariæ ubera, spero, & peto. Quæ ubi dixisset, conversus ad ægrum, suadet illi, ut hæc demissi, dolentis, ac sperantis animi signa; ac verba edere jubeat fictum illum Dominicum, quo pateat, quis Dominicus, quis diabolus sit: advertit æger vim argumenti, & ficto illi Dominico mandat, ut ea signa edat, probetque quis sit; sed indignatus superbus dæmon negat se veniam a Deo vel petere, vel sperare; Deum, non se esse reum, adeoque Deum habere culpam deprecari, non se; dixit, & videri simul desiit, ac audiri; Æger fraude agnita confessus, & Sacramentis omnibus rite munitus, pie obiit.

Jejunii Quadragesimalis veneratio.

CLXIV. Nicephorus narrat, tantam famem invaluisse, ut nec pisciculus, aut nullus cibus quadragesimalis Constantinopoli haberetur. Mandat perinde Justinianus Imperator, macella aperiri, carnesque venum exponi. At in tanto populo nec unicus fuit, qui vellet emere, quin omnes simul adiere Imperatorem, & exclamarunt: Mori malumus, quam ut de patriis moribus & traditionibus aliquid mutetur. *Niceph. 17. Eccl. hist. c. 32.*

CLXV. Justinianus Imperator, omnibus illis diebus, qui Paschalem solemnitatem præcedunt, jejunio addictus duram vitam egit, ne dum Regali alienam, sed neque privato alicui aliquo modo acceptabilem. Per dies abstinebat, summo mane itidem e lecto consurgens & Reip. evigilavit, cujus negotia verbo & opere tractans, matutinum, meridianum, & non minus nocturnum tempus implevit; nam in feram noctem lectum appetens, vinum, panem & alia id genus cibaria abesse voluit, brassicam solum & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceras edebat, potus aqua erat sola, neque his ad saturitatem utebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto, quod naturæ satis erat. *Procop. l. 1. de ædificat Just. Imp. ap. Baron. 2. 1. ann.*

Admirandum obedientiæ conjugalis exemplum.

CLXVI. Gualterus Marchio Pedemontii, habitans Salutiarum infra montem Vesulum, ita venationi & aucupio deditus erat, ut alia pene omnia negligeret, a conjugio etiam abhorreret; rogatus est a primoribus, ut similem sibi relinqueret post se. Respondit: Non propter me, sed propter vos, ducam uxorem, etsi amore libertatis numquam prependerim, sed permittam ego mihi uxorem quærere, vestrum erit, *Petrarch. fol. 607. de obedie. & fide uxoria.*

erit, quæcumque illa fuerit, agnoscere ut dominam. Post aliquot septimanas edicit nuptiarum diem, & curat regie præparari omnia. Tempus erat prandii, expectatio summa sponsæ; cum ecce Gualterus peregit foras ad rusticellum, in pago non procul ab arce, cui nomen Janicolæ, & huic filia unica Griseldis, quæ pascebat oves pauculas, formosa corpore, formosior animo. Viderat eam sæpius, & complacuerat sibi Marchio in illius promptitudine. Accid t, ut eodem tempore haustam ex fonte remoto domum properaoter aquam ferret Griseldis, cui occurrens Marchio sciscitatur: Ubi pater tuus? Illa respondet humiliter, domi esse; ad illum itaque descendit, & abductum rogat, visne me, quem habes dominum, etiam habere generum? stupuit senex, & recollecta voce: Ego nihil volo, quam dominus meus. Vocatur Griseldis, cui Gualterus: Pater tuus vult, & ego, ut sis uxor mea, sed cum hac sola conditione, ut liceat mihi tecum agere, prout libet nec repugnes verbo, nutuve. Illa: Nec cogitatione quidem. Imo si me mori jusseris, non feram moleste. Marchio ostendit sponsam populo, datoque pronubo annulo, jubet vestiri paratis vestibus, & in equo niveo inducit in palatium. Dedit autem Griseldi Deus gratiam, ut placeret omnibus. Anno nondum elapso parit puellam, qua ablactata, vocat solam Griseldem Gualterus, & ait: Scis, unde veneris, quid promiseris; tu mihi quidem places, sed non meis cognatis, qui tali puellæ subesse nolunt, & quia ego pacem amo, cedo infantem. Illa nec vultu, nec verbo mota: Tu es noster dominus, tuæ sumus & ego, & hæc innocens puellula, fac de tuis, ut libet, nil displicebit mihi, quod placet tibi. Nil cupio post Deum possidere, vel amittere, præter te. Gualterus interea vocat famulum de fidelioribus unum, & jubet accipere infantulam, quam mater supponens ad necem rapi, nec tamen lacrymam effudit, nec suspirium emisit, sed tranquilla fronte puellam accepit, aspexit, osculata est, & signum crucis impressit, deditque satelliti. At Gualterus in cunis misit Bononiam ad sororem suam, quæ erat nupta Comiti Panicio, additis litteris, ut aleret illam tanquam mater, & nulli diceret, cujus esset filia. Gualterus autem nihil unquam in vultu conjugis notavit, nihil querelarum audiit, & obstupuit. Post annos quatuor peperit iterum Griseldis filium elegantissimum, quem post annos duos simili modo auferri fecit: Nolunt, ajebat, subditi habere talem dominum, qui sit bubulcæ filius, ni tollam puerum, periclitamur ambo fortunarum, & capitis. Sed illa similiter, ut ante quadriennium, respondit. Interea fama increbuit, utramque prolem sublatam, & jam Marchionem moliri divortium, quod usus occasione fingit, se Romam misisse, convocat suos Palatinos, evocat Griseldem, cui hæc: Amo te quidem animitus, sed cogunt me mei, consentitque Papa, ut ducam alteram fortunæ parem, jamque in via est. Cede ergo alteri animo forti, & redi domum tuam, tuamque dotem tecum accipe; nihil enim sub sole constans, & nihil novum. Quid illa? vultu pacato: Scivi, nullam esse proportionem inter vestram celsitudinem, meamque humilitatem; agnovi me ancillam indignam, & Deo teste, sic me gessi dominam, ut semper in animo ancillæ manserim. Gratias Deo & tibi pro honore; de reliquo parata sum redire domum, & ubi egi infantiam, agere senectam, felix semper vidua, quod talis viri fuerim uxor. Cedo libenter novæ, quæ sit tibi utinam felix. De dote auferenda intelligo, quo tendas: nihil mecum attuli; ergo nihil referre debeo; etiam hoc: deponit mox annulos, vestes superiores, & rogat, saltem corpori, quod tulit binos liberos, camisiam indulgeat. Hic temperare sibi non potuit a lacrimis Gualterus, vultu tamen averso dissimulans: Serva, ait, interiorem regem. Dixit, abiit, & ipse. Ipsa quidem nudipes, commiserantibus cunctis, caulam paternam repetiit, quo ut venit, commotus ex primo strepitu concurrentium bonus senex: Hoc ego semper putavi, post primos amores sic fiet. Occurrensque in primo limine, antiqua veste cooperuit seminudam. Mansit cum patre diebus paucis, semper sibi similis, nunquam queri audita. Interea spargebatur de adventu Comitis Panicii cum nova sponsa; pridie adventus Gualterus mittit ad Griseldem, prompteque occurrenti demandat curam domus, utque apparet necessaria. Illa libenter arreptis scopis purgat aulam, instruit mensam, lectos sternit, & viliora exequitur. Die sequenti hora tertia adest Comes, Sponsa, Cognatus, aliique nobiles. Tota aula in obsequiis est, in illis etiam Griseldis in obsoleta veste, instar ancillæ, flexo genu, vultu demisso dominam suam salutat. Gualterus in ipso prandii apparatu Griseldem ultro citroque currentem interpellat: Quid tibi videtur de hac Sponsa? estne satis pulchra? illa: Nulla pulchrior, sed cum sit tenera, spero, non erit eo loco, quo prior. Non potuit ultra se continere Gualterus, sed miratus, & miseratus fortem Griseldis: O mea! æternum mea! satis ardue tentata es. Nulla tibi similis fuit, erit nulla. Involat ergo in collum, & ait: Tu sola mea es, tu eris. Hi sunt liberi tui, filia & filius; putabas divisos, perditos, ecce sunt simul; quam sponsam putabas, est filia tua; cognatum sponsæ rebaris, tuus est filius. Illa præ gaudio tantum non exanimis, ruit in oscula liberorum. Mox a Matronis induitur vestibus prioribus. Fit plausus major, quam die nuptiarum. Janicola in arcem accersitur, & honoratur. Vixere deinceps annos multos in pace, & concordia.

Eleemosynæ pretium.

CLXVII. S. Macarius sciens virginem divitem, sed parum in egenos liberalem, accessit eam, & (nam prius gemmarius erat) dixit, se lapides pretiosos habere, de quorum singulis quingenos solidos lucrari posset, modo jam totidem solidos pro omnibus offerret. Obtulit illa, & post aliquod tempus lapides requirens, ducta est a S. Macario in leprodochium virorum, & fœminarum, auditque hos demum lapides pretiosos esse. Agoovit ergo pium astum, & primo quidem tristata est de pecuniæ jactura, post tamen gratias egit. *Spec. Ex. dist. 2. ex. 169.*

CLXVIII. Fuit in Centumcellensi urbe Theo-

Ex div. Greg. M. hom. 1. l. in Evan. Theophanius Comes, vir misericordiæ actibus deditus bonis, quotidie ad mensam suam peregrinos cum susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios advenit, ad mensam ductus est; dumque Paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet in ejus manibus fundere, conversus urceum accepit, sed repente eum in cujus manibus aquam fundere voluerat, non invenit. Cumque hoc factum secum miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.

Hospitalitatis fructus.

Ib. dist. 4. ex. 47. CLXIX. Hospitalitatem exhibens quidam Civis Romanus, cum ad pauperiem prope redactus esset, in somno jussus est tertium a voce quadam mutare vineam suam cum vinea divitis cujusdam, ibique in medio ejus terram effodere; quod ubi fecit, invenit vas, aqua (qua instrumenta, quæ attigit, mox aurea effecit) plenum, aliud plenum balsamo, quo inunctus visum jam prope perditum recepit; & tres lapillos pretiosos, pro quibus ingentes divitias comparavit.

Pacis violatæ damnum.

Ib. dist. 9. ex. 160. CLXX. Cum Gentes quædam, factam cum Romanis pace, juramentum frangentes, omnes inventos Romanos interfecissent, mox tam gravis Dei vindicta super eos incubuit, & panis ab iis fractus sanguinem emitteret, & animalia ab iis ad sylvam miserabili clamore aufugerent, & canes latrantes vindictam ad morem luporum voracium expeterent, & ipse denique victi per Romanum Imperatorem omnes essent, exceptis quatuor millibus, qui ad montes fugerunt, sed ibi congelati; ad modum lapidis immobiles facti sunt.

Visitatio SS. Reliquiarum præmiata.

Ibid. ex. 191. CLXXI. Quidam Rex Danorum cum SS. tres Reges Coloniæ devote visitaret, & sex millia marcharum auri pauperibus in eorum honorem erogasset, quadam nocte tres Reges in somno vidit, quorum primus ei dixit: Frater mi, feliciter venisti, sed felicius remeabis. Tum ei pyxidem auro plenam offerens, accipe, inquit, thesaurum sapientiæ, per quam subjectum populum juste judicabis, quia honor Regis judicium diligit. Secundus dixit: Frater, multa tribuisti, sed tecum plura reportabis, offerensque ei pyxidem myrrha plenam, accipe, ait, myrrham pœnitentiæ, per quam carnis motus illicitos refrænabis, quia optime regnat, qui super se ipsum regnat; non enim bene regere alios potest, qui seipsum non coercet. Tertius dixit: Frater mi, fidem ostendisti, sed expletis viginti tribus annis jugiter in cælis nobiscum regnabis; & offerens pyxidem thure plenam, accipe, ait, thus devotionis devotæ clementiæ, per quam miseros revelabis; quia sicut ros herbam irrigas, ut crescat, ita dulcis clementia Reges usque ad sydera provehit, & exaltat. Excitatus hoc viso Rex videt tres pyxides juxta se collocatas, easque accipiens, omnia, quæ ei promissa sunt, explevit.

Fidelitas conjugalis explorata.

CLXXII. Quidam adulter adhærens duabus amasiis, cum profectus ad nundinas ex uxore quæreret, quid sibi afferri ex nundinis peteret, respondit illa: Sensum, & sapientiam, ad retrahendum te ab adulterio. Quærens ergo adulter ex hospite, quomodo hæc acquirere posset, jussus est sanguine Galli occisi faciem spargere, & sic ire ad domum amasæ dicendo, se esse omnibus spoliatum bonis, & graviter vulneratum esse; secutus ergo ille consilium, cum ab utraque amasia repulsus esset, ab uxore vero sola cum compassione susceptus cognita earum infidelitate, hujus vero fidelitate huic soli deinceps adhæsit. Ibid. in append. ex. 8.

Pœna Talionis.

CLXXIII. Cum Monachus quidam ambiens Abbatis dignitatem, puero illi ministranti venenum daret, dicens, si hos pulveres supra cibos spargeret, eum utut iratus esset, mox conciliandum: puer medietatem tantum imposuit, & sic Abbatem necavit. Succedente vero in locum æmulo, & graviter aliquando puero irascente, puer eodem remedio uti volens, alteram ei medietatem apposuit, & sic ipse quoque sublatus est. Ib ex. 17.

Pœnalia opera occasioni accommodanda.

CLXXIV. De Abbate Natherio narratur, quod, cum sederet in cella, mediocrem severitatem in corpus exercuerit, maxima vero, postquam Episcopus, in Pharna factus est; cujus causam cum quæreret discipulus, respondit: Fili, illic solicitudo erat, & quies, & paupertas. Propterea volebam corpusculum meum gubernare, ne infirmarer, & quærerem, quod non deberem, nunc autem hic sæculum est, & occasiones sunt excidendi plurimæ. Etsi infirmitatem incurrero, sunt hic, qui succurrunt, ne perdam propositum Monachi. Vit. PP. l. 11.

Fides Catholica ubi invenienda.

CLXXV. Hildesii adolescens Lutheranus audiens suos contribules Catholicum nomen sibi usurpare velle & solere, experiendæ rei gratia ædes aliquot Lutheranorum adit, ab iisdemque percontatur, ubinam Catholici habitent? sed cum semper ad Orthodoxos remitteretur, Luthero renunciavit, & Ecclesiæ reconciliatus est. Annua Sac. 1610. fol. 197.

Cura ægrotorum compensata.

CLXXVI. In Romana Provincia Medicus Viterbiensis solicitam ægrotorum in conventu curam habens, bis quotidie invisebat. Eo ex humanis exempto, Successor ipsius raro ægros invisens, cum aliquando rus pergeret, defunctum Medicum, ut vivus solebat, equo insidentem sibi obvium habebat; cumque ab initio territus, sed postea confirmatus quæreret, quo pergeret? respondit ille; ad Capuccinos mihi iter est; etenim cum iis ægrotantibus mea, dum viverem, officia bis in die solicite præstarem, id modo purgatorii pœnis detentus Annales Capuc. n. 89.

ex Dei clementia tuli ut bis quotidie die ab iis liber ad Capuccinos abeam, tantumdem cum his solatii capturus, quantum iis mea opera conferre consueveram. Tu quoque, si cupis, iis omni studio operam tuam impendes, ut tuis in futurum rebus consulas, atque ita evanuit.

Indorum admiranda erga infirmos charitas.

Annal. S. c. ano. 1584. & 1594. fol. 598.

CLXXVII. Indorum erga ægros mira est cura, uti & erga peregrinos; nullum est oppidum, ubi præter Xanodochium, quo summa humanitate peregrini omnes, tum maxime Sacerdotes, suscipiuntur, Nosocomium aliquod paratum non sit, ex ædificiis omnium nobilissimum, sæpeque magnitudine superans oppidum. Nullos hæc valetudinaria reditus habent, & tamen melius, quam multa ex Hispaniæ optimis Nosocomiis, administrantur; vide plura valde insignia l. c. inter quæ additur: Inda in valetudinario gravi afflicta morbo, omni humana ope destituta, amissa omni cupiditate cibi, vidit admirabili splendore virgioem, quæ cibos præberet ægris duabus, comitatam duabus eximia venustate virginibus, quæ lances prandiumque suis manibus sustentabant; cumque ea propius accessisset, tum vehementius mirari pulchritudinem cœpit, & indignum judicare, ut tali dignitate mulier loco tali versaretur: Verum admonita est a duabus virginibus, ne timeret, esse enim cæli Reginam, comites vero Catharinam, & Magdalenam; hæ cum mundissimam mappam expandissent, accessit cæli Regina, & cibum in os inseruit, quo illa mirabiliter recreata, ad sanitatem est repente perducta. Fama ergo vulgavit, B. V. in Nosocomio sedem delegisse, maxime cum aliquoties se ibi ægri solatii, & auxilii causa spectandam dederit. Ibidem videre est, cujusque hebdomadis secunda feria virorum, ac mulierum agmen scopis instructum per mediam urbem ad verendum valetudinarium, vasa purganda, ægrotis pia opera ministrandum incedere.

Cura infirmorum quam grata Deo, & Sanctis.

Annal. Capucc. 1583. n. 87.

CLXXVIII. Paulus Colovello, dum in templo a B. V. apparente mire recreatur, audiens vocantem ægrum cujus cura ipsi commissa erat, Virgine relicta, statim eo festinat, cui ubi debita officia persolvit, ad templum rediens, Deiparam adhuc expectantem reperit; cui Paulus: Ne, quæso, mihi succenseas, quod te relicta ad infirmum accesserim; cui illa: Ne te, fili, facti pœniteat, rem mihi tantopere gratam præstitisti, uti gratiorem numquam; charitatis enim, & obedientiæ opus, quo ægrotum fratrem prosecutus es, in maximum meum, & filii mei honorem redundat.

Ruditus insolitus in funere Calviniani.

Theoph. Rayn. in prat. spir. §. 3.

CLXXIX. In tractu Vivariensi homo Calvini veneno imbutus subsannare solebat ritus Catholicos, præsertim qui in exequiis vita functorum adhibentur, lugubre concinentibus inter prosequendum funus Sacerdotibus. Hunc cantum, spurcus ille Calvini combibo, ruditum asininum appellabat: & quoties in deducentes funus Sacerdotes incurrebat, efformare nitebatur rudientis asini clamorem, effuso cum risu suorum, magna vero cum despectione Catholici agminis cadaver efferentis ad tumulum. Rependit Deus impio subsannatori justam mercedem. Siquidem haud ita multo post fato functus est: & cum ritu Calviniano efferretur absque cruce, cantu & lumine, turma dumtaxat reformata sandapilam consequente, affuit asinus magnitudine inusitata obstrepens, ingenti ruditu, nec ullo unquam pusilli gregis studio, sive jactatis in asinum lapidibus, sive sublato in eum multorum contentissimo clamore, effici potuit, ut averteretur, & consecutione funeris, perpetuoque ruditu absisteret. Ad extremum, ubi profanum cadaver superjecta humo conditum est, & qui funeri operam dederant digredi cœperunt, asinus aliquor circum corpus circuitionibus peractis, & longo contentoque ruditu veluti parentans derisori exequiarum Catholicarum, subduxit sese, nec uili deinceps mortalium visus, aliud suse re ipsa, aliud externa specie prætulisse, insinuavit.

Matris periculum ultro adeuntis horrendus casus.

CLXXX. Viduæ nobilis ætate adhuc florentis, & nondum quadragenariæ filius, annos duo de viginti natus, pudori pedissequæ, quæ in matris domestico obsequio erat, perelleganti specie, insidiabatur, nec ullum prætermittebat ad flectendam puellam genus lenocinii. Monuit puella heram de filii petulantia, exponens, quantis ille dolis, ac verborum, & munerum illecebris ab aliquo jam tempore pudicitiæ suæ infestus esset. Hera condicere jubet filio optatos amplexus in proximam noctem, simulque puellæ mandat, ut clam omnibus de hirsutis vepribus, & paluris flagellum concinnet, quo subeuntem puellæ thorum excipere. Is instructa armis mater in ancillæ lecto componit sese. Nec mora, filius ad lectum ex condicto per tenebras furtim irrepit, pedisequæ (ut putabat) societate fruiturus. Sed heu fragilitatem humanam! Mater, quæ truces spiritus in filii spurcitias induta, periculo se commiserat, & naturæ imbecillitate, & Satanæ artificio mollita; ad primos novi Œdipopolis contactus silet, sensimque abstracta & illecta, in horrendum vel feris ipsis incestum plene consensit, ex quo etiam prægnans facta, germanam patris prolem peperit; tam misero eventu docta, qui non refugit periculum, illo perire, juste ulciscente Deo nimiam securitatem, & de suis viribus præfidentiam. *Ib. §. 12.*

Sacerdos ex Religiosis Turcæ adscriptus.

CLXXXI. Religiosus e sancta quadam familia (nomen consulto reticeo, plerisque recenti adeo tragœdia minime ignotum) per incautam conversationum insimulatus criminis pessimi, aut quod postea deprehensum dicitur, per Sycophantiam ea labe gravatus, a præsidibus vel suspicionem illam exosis, exactus est, & nexibus votorum solutus. Regressus vero ad suos initiatus est Sacerdotio, & Legato Galliæ proficiscenti Byzantium, adauctus, cum puella honoraria e gynecæo conjugis Legati fœdum commercium aliquamdiu continuat, donec extumescente puellæ utero, deprehensa est *Ib. §. 13.*

est iniquitas. Eam domus dehonestationem impatientissime tulit Legati uxor, per quam exasperatus maritus, & ipse non mediocriter ex iarium suorum fœdatione fauciua pœnas de spurco Sacerdote sumere cogitabat. Nec id infelicem reum latuit, qui ut vitam suam in tuto locaret, ad Turcas defecit, & Saracenico cauterio inustus, fœdæ superstitioni nomen dedit, Tulbano caput opertus. Haud tamen satis tutus sub ea umbella fuit, mox per conductos sicarios trucidatus, in Mahometi paradisum non sicca morte amandatus est, misere in Turcismo vomens spurcam animam.

Monstrum sceleris ex fœditate sacrilega, & cæde horrenda correctum.

H. §. 21. CLXXXII. Narrabat vir optimus & antiquæ sinceritatis Franciscus Maillardus in sua Burgundia Francica, haud ita procul Divione fuisse Cauponem, qui prope viam publicam transeuntibus cibos, & vina suppeditabat. Erat in vicinia cœnobium, quod minus bonæ famæ, Sarabaitæ verius quam cœnobitæ incolebant. Dæmonia incorporata jure dixisses, adeo tetram vivebant vitam. Cauponia filiam eleganti specie, & vernanti ætate, desiderari subito contigit. Illexerant enim eam propudia illa hominum, & a paternis ædibus fraude adductam, in haram (non in cœnobium) seduxerant, ubi ad satietatem per vices infelici libidinum suarum victima abusi, ne quia flagitii rumor ad patrem permanaret, mactare de nocte miseram, & sepulchro juxta Aram templi maximam domesticis condendis destinato inferre, constituunt sub ipsius Dei oculis. Sed vigil de cælo tantum scelus patefecit insolito providentiæ genere. Homo de via fessus, adhuc multa luce, apertum cœnobii templum ingressus, præ lassitudine, in templi angulo sopori se dedit, & non advertente, cum templum exclusit, æditυο, intra ædem sacram conclusus est, nec prius sopore solutus, quam alta nox tenebris offudisset omnia. Ubi, discusso somno, cogitavit egressum, agnovit se per errorem æditui in templo obserato occlusum. Veritus autem deprehendi, & pro sacrilego expilatore mulctari, quasi meditato ad sacram suppellectilem sublegendam intra templum hæsisset, cogitavit de ratione, qua minus incommode noctem exigeret, crastina luce cum primum pateret templum, absque strepitu discessurus. Itaque subiit concionale suggestum ad pernoctandum. Et ecce altera post mediam noctem hora, spectaculum triste, imo ferale, & Tartareum, quod miserum hominem horribiliter affecit. Trahebatur ab infamium procorum cœtu infelix puella, ut mactaretur, & tumulo inferretur, quæstibus ac gemitibus implens omnia, & nunc sortem suam, nunc patris orbitatem deplorabat, nunc supplex fiebat pro vita sua, & pro anima sua. Obtestabatur Deum vindicem, in cujus conspectu fusura esset inquinatum alieno potius, quam suo scelere sanguinem. Intentabat humana judicia, & deprehendendam graviterque luendam serius ocyus iniquitatem. Sat se ludibriorum & contumeliarum passam contestabatur. Itaque rogabat, juratum de prioribus injuriis silentium exquisite servaturam. Tantum ne miseram, & admissis spurcitiis sordentem, æterno judicio adducerent. Has voces lenire sibi visus est e grassatorum illorum numero unus Sacerdotio initiatus, offerens ei absolutionem de peccatis, ad quorum confessionem miseram est adhortatus. Fecit, illa, quod monebatur, sive mortis impendentis timore, sive qualemcumque moram, eo præsertim loco, ad flectendos truculentos lanios, opportunam rata. Sed frustra rebatur, nam paucis (ut in illa tribulatione) quæ occurrebant peccatis expositis, & absolutione impensa, frustra divos, frustra mortales contestantem transadactus gladius percuilt, simulque spirans, & suo sanguine persusa, in jam apertum conditorium detruditur, suis operta vestibus muliebribus, quales per diem gestare solebat, quæ illi pro sindone, & fasciis sepulchralibus fuerunt. Prospectabat e sua specula tragœdiam hanc universam tremulus viator, solicitus pro suo periculo. Neque enim si deprehensus esset, evasisset impias manus, de silentio tam horrendi facinoris cum primis solicitis terris grassatoribus. Itaque tametsi identidem sustollens caput omnia notarat, per noctis silentium minimas succussiones suas expavescebat; gnarus de vita sua actum esse, si affuisse immani spectaculo agnosceretur. Securi e templo excessere sicarii. Viator reliquam noctem in magnis angoribus & horroribus exegit, & ubi primum diluxit, & valvæ templi patuerunt, de suggesto desiliit, exportans e templo ingentem horrorem, quem ut levaret, ad cauponam haud ita procul positam divertit. Patrem vero pro filiæ pridem desideratæ absentia anxium transfixit viator immani doloris vulnere, cum, exposita per ordinem facti atrocitate, ex notis exhibitis comperit, haud dubie suam esse filiam, in quam ita sævitum esset ab impiis vicinis, quos ita pridem suspectos habuerat, ut tamen revincere sceleris non posset. Monitus mox per miserum patrem Senatus, reserato sepulcro, & resosso cadavere sceleris convictos dire mulctavit, domumque universam in sceleris detestationem dirui jussit.

Temeritas castigata.

CLXXXIII. In valle Segusiana, Turinum haud ita pridem petenti narratus est stupendus desultus e colle, cui S. Michaelis Abbatia est inædificata. Locus est mire præruptus, & editus. Inde puella rusticana, sed moribus, & integritatis illibatæ studio nobilis, dum petulantiam militarem fugit, præceps in subjectam vallem, ex altitudine prorsus insigni devolvitur, de vitanda offensa Numinis & corporis fœdatione, quam de vita solicitior. Et affuit propitium Numen non adeunti ultro periculum, sed majus exitium refugienti. Itaque in imam vallem desiluit plane indemnis, mirata se ipsam, & bonam sortem suam quod tantum spatium emensa esset, rotatu adeo præcipiti citra noxam. Cum ergo eam ob causam, quam retuli, haud secus, ac Romana quondam Clælia celebris esset, causa est extra necessitatem servandæ pudicitiæ eamdem viam H. §. 21.

rele-

relegere, probatura industriam, & felicitatem suam in tam præcipiti desultu: At is altera hac vice temere susceptus, pessime cessit puellæ. Desiluerat enim primum citra contritionem, ac læsionem omnem; quia justus cum ceciderit, non collidetur, eo quod Dominus supponat manum suam. At ex posteriore desultu, quærebatur tantum vanitatis argumentum, & tentabatur Deus; qui proinde ruentem permisit sibi, inde fœdissime conquassata priusquam solo illideretur, temeritatis suæ obita morte pœnas dedit.

Rusticus mirabiliter a peste liberatus.

ib. §. 19. CLXXXIV. Andreas Caderius narrat, Eolæ apud Sequanos non ita ptidem, cum sæva pestis grassaretur, rusticum, quod pestem contraxisset, ab hero domo esactum, cum hac, illacque aliquamdiu incertus oberrasset, ad extremum præ lassitudine projecisse se subter unam arborem, tantillum quietis capturum, velut Eliam subter juniperum. Ibi cum jaceret, prosiliens e vicina sæpe anguis, involat in pannum luis pestilentis, quem rusticus collo nudo, tetrum ac diri succi refertum præferebat, exsugitque penitus abditam luem. Discusso ad eum factum sopore, rusticus non absque horrore assurgit, miratus se sanum, ac peste prorsus liberum, serpentem vero (contra quam accidit in exemplo serpentis sugentis saniem, apud Cæs. l. 10. c. 70.) in suis oculis hausti veneni virus non ferentem, emori mox conspicitur.

Suspensus mirabiliter a Deipara liberatus.

ib. §. 10. CLXXXV. Quidam adolescens in agro Bisuntino, ex Archiepiscopi familia, quod licentius nobili respondisset, alapa mulctatus, mox etiam calce percussus; actus in furorem, catapultariæ glandis ictu nobilem confecit. Gens tota, quæ opibus & favore poterat plurimum, cædis auctorem ad furcam popoicit. Nec mora, frustra renitente Antistite S. R. I. Principe, qui illud judicium ad se pertinere contendebat, pene a cæde patrata ad patibulum rapitur. Erat adolescens ille patibularius, singulari in Deiparæ cultum affectus. Et in deductione ad patibulum voto se obstrinxit ædem Deiparæ Lauretanam invisendi habitu peregrini: Quod votum risu in illis adjunctis excepere plerique; sed ille in Deiparæ interpellatione jugis erat. Cujus tutela clientem suum in eo puncto non defecit. Itaque cum admota ad collum fune, a carnifice ter in ejus humeros valde insiliente de furca deturbaretur, & obitum suum in Parentis optimæ tutela flagrantius reponeret, matronam conspexit, collum sibi molli sudario præcingentem, ne restis appressione & constrictione læderetur. Pependit e furca horas complures. Denique reciso laqueo ex alta trabe, e qua pendebat, forti in solum subjectum allisu lapsus, & pro mortuo sublatus, cum a piis fœminis ad sepulturam in sindone consueretur, earumque una acum incogitans in carnem infixisset, persensit ictum, & alte ingemuit. Mirati omnes, qui aderant, & percontati, quomodo post tam diuturnam in furca moram superstes esset, Deiparæ favorem erga clientem suum didicerunt, Cognatio ejus, quem letho dederat, recenti vulnere adhuc saucia, reposcebat miserum iterato ad pœnam. Sed pars sanior, & numerosior evicit, ut qui Deo benigne, & Deipara tutante certam mortem evaserat, mites, ac noxæ immemores mortales experiretur. Ille voti memor, promissum fideliter exsolvit: & postmodum in familiam Theresianam Deiparæ addictissimam adscriptus est.

Præfestinum Judicium detectum.

CLXXXVI. Narrabat Eminentiss. Alphonsus ib. §. 12. Card. de Richeliu Lugdunensis Archiepiscopus, in quadam Religiosa familia, sibi bene compertum luctuosum eventum accidisse. Visitator Ordinis præ duritia rectionis adeo exacerbavit unum cœnobitam, ut actus in rabiem, e Concellanei supellectile, cultellum accepérit, quo instructus noctu in visitatorem irruit, eumque jugulavit, & cruentum gladium in cubiculo relinquens, nemine moralium conscio, secessit in cellam suam. Cæde Visitatoris vulgata, conquisitio solicite facta est, & cujusnam esset gladius cruentus nefarii operis instrumentum, diligenter vestigatum. Agnovit istum esse is e cujus cella sumptus fuerat. Itaque tamquam cædis auctor, in barathrum est conjectus, in quo pane tribulationis, & aqua angustiæ per solidos septendecim annos sustentatus utcumque est, pro truculento homicida habitus. Exactis annis septemdecim, Cain, quem dixi cædis verum auctorem, gravi infirmitate correptus est, qua sceleris sui per tot annos, etiam inter Sacramentaliter confitendum pressi, non immemor, rogavit superessetne vitæ spes aliqua. Ubi accepit Medicorum judicio, sibi conclamatum, & intra paucas horas migrandum esse, acciri cœnobiarcham curavit, conscientiam exoneraturus ad migrationem e vita. Per ejus confessionem post annos denique septendecim innoxius ex ergastulo eductus est, & evidenti argumento monstratum, judicia mortalium præpropera, & tenuibus nixa indiciis (quale hoc fuerat) fallacia plerumque esse, & cum innoxiorum gravi damno conjuncta.

Facinus Heretici horrendum.

CLXXXVII. Tillemontius urbs est in Belgio, quæ Castillionæi Castrorum præfecti hæretici copiis subacta, ante annos paucos ad barbaram Matronarum, ac puellarum, quæ in templa se receperant, stragem, ac fœdationem, non prius illic visam, cohorruit. Ibi virgo sacra ad tumultum irrumpentis in sacram ædem militaris globi, non secus, ac columba ad milvi incursum, perculsa, hac illac diffugiens, nec ullibi tutum receptum agnoscens, non ignara moris hæreticorum, pone sacrum tabernaculum, in quo divina ostia asservatur, latibulum sibi captavit, rata pudicitiam suam illic pro Dei præsentis reverentia indemnem fore. Sed falsa est spe sua. Advertit ex impiorum sicariorum globo unus quispiam latentem prædam. Itaque confestim advolat, & quod puella esset eleganti forma, ocu- ib. §. 17.

los

los suos statuit declinare in terram, specie decipiente, & concupiscentia subvertente cor ejus. Horresco ad nefarium ausum, neque tamen quando huc deveni, referre pedem licet, tametsi contremiscentem pro alieno scelere. Misellam ergo, & frustra Deum sacrarum specierum tectorio obductum, frustra Christi plagas, & sanguinem, frustra Deiparæ merita interponentem, vi prehensam abstrahit, & super altare, in quo immolatur agnus purissimus, ubi vota fidelium sacri ministerii interventu pervehuntur ad cælum, loco cælestibus spiritibus venerabili, vere terribili, domoque Dei, & porta cæli, violenter dejectam pati coegit, ad quod abrumpo sermonem, nolens chartam, ac calamum tanta fœditate incestare. Quamquam cumulus atrocitatis prætereundus non est, ne cogitationem legentis fugiat, qui quidem humanitatem non prorsus exuerit, & in feram Diabolumve transierit. Satur libidinis nequam ille, virginem (neque enim, Augustino teste, apud Deum desiit vi erepta renitenti virginitas) virginem, inquam effectu, & voluntate, minas ab irato Deo intentantem, & pessimæ vitæ finem pessimum denuntiantem, stricta in pectus sica immaniter confodit: Duplex in una hostia martyrium faciens, pudoris & religionis, ut S. Ambrosii hoc voces transferam.

Justum rei nunc innoxii supplicium.

Ib. §. 11. CLXXXVIII. Lugduni ad templum quondam S. Eulaliæ (nunc S. Georgii) macellum est, unde carnes tractui illi suppeditantur. Ibi lanius, dum cultrum collo ovis infigit, cieri audivit rumorem in vico fere ad domus suæ ostium. Rumoris causa erat cædes subita hominis illac prætereuntis; lanius, ut erat a mactata tunc pecude cruentus, gladium quem e pecudis gutture extraxerat, sanguine rubentem manu tenens accurrit, quæ rumoris causa esset, sciturus. Omnibus, ut in hujusmodi tumultibus usuvenit, conturbatis; lanius illis adjunctis, cruore perfusus, & gladium sanguine rubentem præferens, inopportune advenit. Non nemini quippe de cæde visus est suspectus, vel etiam compertus. Itaque per apparitores, qui mox advolarunt, comprehensus est, ex delatione eorum, qui ipsum viderant circum corpus demortuum, gladio sanguine perfuso instructum. Abductus in carcerem, tametsi se plane innoxium contestabatur, nec nisi fortuito intervenisse effercbat, gladium autem, quem deprehensus erat gestare perfusum sanguine, assereret a mactata sub eum temporis articulum pecude ad macelli usum, non autem ab hominis in vico cæsi sanguine, rubuisse; tamen, quod alius non compareret cædis author, & indicia parata a lanio cædis viderentur criminis impacti veritatem evincere, post aliquam ex forensium tricarum usu comperendinationem informi letho addictus est, ab alta trabe suspendendus, eo ipso in loco, ubi cædes patrata per eum supponebatur. Ubi perventum est ad patibulum, exorata dicendi ad populum, qui confertissimus aderat, facultate, repetita, quam tenere cœperat; nec deseruit unquam justificationem suam circa cædem innoxii, ex qua damnabatur; fassus tamen aperte est, se mortem commeritum, & judicia Dei justa agnovit, quibus addiceretur ad luendum, quæ olim eo ipso loco impune patrarat. Nimirum quod juvenis cum esset, in patrem suum eodemmet loco insurrexisset, & verberibus male mulctasset, ac convitiis nequissime onerasset: Hæc est (inquit) causa vera, cur apprehenderunt me hæc mala. Discant exemplo meo contumaces filii in patres contumeliosi, atque injuriis vigilare providentiam, nec inultas etiam in hac vita finere hujusmodi noxas, quibus violatur a filiis pietas erga parentes. Talia prolocutus, ac preces sibi astantis turbæ fidelium apprecatus, repetita per Sacerdotem, qui aderat, absolutione, excepit patienter judicium.

Terram facinus celerrime vindicatum.

CLXXXIX. Turca quidam efferus incidit Ib. §. 12. Constantinopoli in suæ sectæ mulierem admodum comptam, & caput variis monilibus ac gemmis gravantem. Quod locus esset a frequentia remotus, nec ullus tunc adesset, qui arcere sceleratas manus posset, aut peracto facinore immolare iniquitatis, educit gladium in mulierem, quam pone sequebatur, & rescissum ejus caput sacculo, qui ad manum erat, injecit, nec levi (ut rebatur) præda ditatus, lembo in alteram urbis partem freto sejunctam, tentat trajicere. Aderat auceps Imperatoris Turcarum, accipitrem manu gestans. Ales ad carnis recentis odorem commota, & inquirens, perquirit, ut, ubinam caro a lanio recens in lembo esset, exquireret; conjectans vere quod erat, idest, latere in sacculo alterius lictoris carnem, urget, ut eam expromat, & renitentem spoliat per vim sacco, ubi caput adhuc calens, & rivis sanguinis manans deprehendit. Impius homicida tanti sceleris compertus, in mortario pistillo tusus, pœnas dedit justius, quam Anaxarchus.

Locus infestus ob majorem iniquitatem.

CXC. Nuper in Belgio, haud procul Bruxellis, castellum erat infestum nocturnis tumultibus, quibus una quædam ejus pars in habitatione prohibebatur. Dynasta castellanæ jurisdictionis, post diuturna ex terriculamentis illis fastidia, & frustra adhibitum genus omne remediorum sacrorum, Bruxellam petit, & levandi potius mœroris, quam consilii expetendi causa, in Bruxellense Societatis Jesu Collegium se recipit, ubi in Patrem incidit apprime religiosum simul, & animosum, & in ea provincia primarium. Is non modo Dynastam in præsentia est solatus, sed etiam ultro obtulit sese ad locum deinceps infestatione illa liberandum cum bono Deo. Itaque postridie ex condicto eo se recipit cum socio, & in cubiculo aulæ prægrandi adjuncto, quod maxime infestum ferebatur, quietis sibi per eam noctem locum delegit, una cum socio, obserato rite ostio, & accensis aliquot luminibus. Sub mediam noctem, cum adhuc preces, in quas primo in cubiculum ingressi se dederant, magno affectu prorogarent, exaudiunt in vicina aula tu-

tumultuosam unius cujusdam discursationem, quæ conclusa est valida pulsatione ad ostium cubiculi tertium repetita. Nihil autem reposcentibus, nec signum ac ingressum dantibus iis, qui conclusi erant, subit cubiculum post tertium ictum, reserato violenter ostio, horrendum spectrum hominis, cui ex oculis scintillabat ignis subniger, exserta lingua, depressis genis, & specie lurida, atque exsucca. Nihil territus Pater, generosa & contenta voce interrogat, quisnam esset, quid eum locum infestans quæreret? Spectrum sedem e regione positam occupans, *Audies*, inquit, *a proximo affuturo*. Post quartam horæ partem affuit non dissimili tumultu aliud spectrum priori consimile, quod eadem interrogatione a Patre pulsatum, occupante consequente, sed idem cum priore responsum dedit: *Audies a proxime affuturo, quid hic quæram, & quorsum sim huic loco infestus*. Idem ad similem interrogationem respondit tertius, qui post alium quadrantem eodem impetu ac tumultu subiit, & sedem tertiam tenuit. Quartus denique, eodem interstitio temporis servato, affuit, sed longe alia specie, ac externo habitu. Videbatur enim albatus, & lætaque facie, & permodesta totius oris, ac corporis compositione. Is cum aulam cubiculo adjunctam transiisset, & sedate decurrisset, cubiculum subiit, adjunctis quasi ad precandum manibus. Hunc Pater placide, & reverenter affatus, deque causa adventus sciscitatus, audit, animam esse Patris Dynastæ Castellani, qui illos excepisset hospitio. Tres, quibus assidebat, majores suos esse, Patrem, Avum, Abavum. Ab hoc usurpatum primo esse castellum, & per occasiones civilium bellorum contra jus fasque domino vero subductum; Id Avum rescivisse, neque tamen, quod suum non erat, rejecisse; Patrem de illegitima castelli ad se transmissione ambiguum, retinuisse tamen, quod ad se pertinere exploratum non habebat, neglecta dubii discussione. Itaque omnes ob eam noxam æternis ignibus a justo Judice esse addictos. Sibi uni, quod bona fide castallum possiisset, nec alterius in illud jure fuisset ambiguus, retentionem innoxiam fuisse; justo tamen Dei judicio hærendum sibi in flammis emendatoriis fore, donec castellum restitueretur legitimo domino (& designavit e filiis familias servum, Joannem nomine, genere nobilem, sed pro more mortalium ad eam sortem dejectum) cui restitui a filio castellum, vel certe cum eo de re tota amice, & juste transigi poscit: & Patris sibi sacrificia appreeatus, remque quamprimum confici emac rogans, placide abscessit, cæteris jam ante damnationi ipsorum enunciationem dilapsis. Securus quietis Pater, socium ad reliquam noctem tranquille exigendam, & somnum capiendum invitat. Affuit mane nobilis, & rem totam edoctus, majorum suorum sortem veritus, de Patris consilio, soluta, qua hactenus castellum possederat, bona fide, statuit animam Patris sui levare, se discrimine eterni exitii liberare, & conscientiam ante omnia in tuto ponere. Itaque advocato in Patris conspectu Joanne, paratum se profitetur in ejus gratiam castello cedere, ni malit pinguem conditionem admittens firmare hactenus injuste retentam possessionem. Annuit Joannes, & herum jam non herum, deinceps amicum, ac socium futurum, jure castelli concesso, securum facit: nec ulla deinceps terriculamenta toto castello audita.

Monstrosus eventus licentiæ oculorum.

CXCI. Intercesserant Cajo viro nobili, aut militares inimicitiæ in sæculo cum alio quodam, quem fors fausta alio abduxit. Post aliquod tempus, atque sopitis potius, quam restinctis irarum ignibus, Cajus, affluante Deo, cœtum quemdam sacrum cogitat, & re ipsa init. Tyrocinio posito, aliquot annos in religiosa familia exigit, homo in speciem minime malus. Sacris denique Ordinibus inauguratur, & de more sacra obit, audita brevi tempore. Contigit autem, ut inter Sacra operandum Lutetiæ, justitiæ in templo, quod ad plateam regiam est, cum non satis oculos custodiret, ad stantem Sacrificio pacis, in Clathris sacræ Aræ circumductis, deprehenderet illum ipsum, cum quo in sæculo inimicitiæ illi intercesserant. Et transfixus per eum conspectum, in ipsa ara concepit dolorem, mox parturus iniquitatem. Redaccenso enim validissime igne odiorum, cum primum ex altari excessit, & sacras vestes deposuit, nihil non movit, ut, ubinam suus ille hostis degebat, compertum haberet. Id ubi rescivit, sæcularibus vestibus, & armis clam conquisitis per posticum abjecta religiosa veste transgressus, hostem adit, quem stupore defixit condicens duellum. Tametsi enim, & ipse homo militaris erat, tamen provocationem ad certamen ab homine sacro, cui paulo ante sacrificanti affuerat, exhorrescebat. Pro usu tamen sæculi, & torrente motus humani, in illius conditionis hominibus, provocationem admittit, & in campum progressus dimicansque cum Cajo, ab eo confoditur, & vita simul corporis animæque in lethali culpa stratus privatur. *Ib. §. 71.*

Crudelis vindicta.

CXCII. Immanitatis diabolicæ exemplum nostra memoria vidit Allobrogum Metropolis; ad cujus pomærium B. Mariæ Ægyptiacæ sacræ ædes e Patribus S. Francisci de Observantia incolitur. Ibi ipsam Reginam dicrum (ut Nazianzenus orat. 19. & Epiphan. orat. de resurr. Dom.) appellant. Miles præsidiarius e regno Neapolitano, cui cum alio ejusdem gentis simultates intercesserant, post aliquam ex adversarii parte simulatæ conciliationis speciem, posuit conscientiæ maculas, & divino pane refectus est. Cum domum regrederetur, in ea via, quæ cœnobium inter, & suburbium jacet, obvius illi fit inimicus, armatus inermi, & obstante per eam solitudinem nemine, jubet miserum Christo renunciare, & Deum ejurare, illico confodiendum, si detrectet. Territus mortis intentatione infelix, labiorum tenus ejurat Deum, & Christo valedicit. Quod ubi perfecit, ab impio hoste (verius dæmone corporato) impacta in pectus sica transfixus, concidit, exclamante, qui transfixerat, & quasi *Ib. §. 96.*

de

de ingenti trophæo erecto in re pessima exultante: *Vah! & corpus, & animam inimici uno ictu perdidi.*

Fiducia nimia castigata.

S. Clim. gr. 23. c. 9. CXCIII. Sanctus Climacus meminit Adolescentis, cujus erat tanta morum innocentia dignitasque, ut ad ejus imperium feræ ipsæ fratribus famularentur, quem idcirco Marcus Antonius navi pretiosis mercibus onustæ, cæterum in alto mari constitutæ, adeoque incerti adhuc cursus, comparat. Hic, inquam, tanti fervoris, sanctimoniæque juvenis turpiter postea est lapsus; multis tamen lacrymis peccatum expiare aggressus, quibusdam monachis illuc forte transeuntibus dixit: *Renunciate seni* (S. Antonium designabat) *meis verbis, ut mihi decem dierum inducias, quibus pœnitentiam agam, impetret.* Intellecta quare, vir sanctus ingemuit, magnoque doloris sensu: *Hodie*, inquit, *ingens Ecclesiæ columna cecidit.* Quintum post diem monachum e vivis sustulit.

Societas mala vitanda.

Barry en. Sauff. p. 1. devot. l. c. 7. CXCIV. Nobilis quædam in Hispaniis puella æqualium societatem fugere solebat, io qua certa corporis, sæpe etiam animæ, jactura est. Hæc, cum a matre, & sororibus geniali quadam die abducta esset ad tripudium, atque ad hoc a nobili juvene invitaretur, levans io cælum oculos, vidit sibi supra caput adstantem Dominum Jesum vulneribus toto corpore concisum, manibus, pedibus, ac latere multo sanguine fluentem, & facie laboranti similem, ac multo sudore manantem, qui illam compellans: *Vide*, inquit, *filia, quam graviter me affligit sociatum tuarum levitas, in quam te insinuas.* Monet illa matrem, ac cum ea & sororibus domum se recipit, ac dein mundo valedicens, eas elegit socias, apud quas Salvatori sua vulnera non esset renovatura.

Beata Virgo potens contra carnis tentationes remedium.

Nadasi in ann. Mar. n. 2416. CXCV. Pater Bernardinus Realinus a Societate Jesu, vir magnæ virtutis, adolescenti idolis præclarissimæ frequenter impudicis Asmodæi assultibus impugnari solito suasit, ut, cum ab immundo illo impuris cogitationibus vexaretur, hanc precantiunculam recitaret: *Per sanctam virginitatem tuam, purissima Virgo, emunda carnem meam, in nomine Patris ✠ Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ amen*; atque simul cor, unde juxta Servatoris effatum malæ cogitationes exeunt, ter crucis signo muniret. Paruit adolescens, ac subinde jurisjurandi religione affirmavit; per omnem vitam reliquam numquam amplius id genus stimulis agitatum: imo se auctore aliis quoque permultis ejusdem precatiunculæ usum numquam irrito pretio fuisse.

Eadem emendandæ vitæ singulare remedium.

Annus 1602. CXCVI. Juvenis quidam anoo ætatis quinto in quoddam flagitium prolapsus, ad annum usque decimum octavum in eo fœdum io modum demersus jacuerat. Interea loci forma, ingenium, morum amœnitas cunctis non amabilem tantum, sed admirabilem quoque reddebant, ut dignus etiam inter sodales coaptari videretur. Ignotum nimirum erat, quæ animi deformitas sub rara illa corporis forma lateret. Quæ tamen fœditas ita sese anno 1602. prodidit, ut summam animi desperationem ostenderet. Hic Pater quidam Societatis adoriri adolescentem, emendandæ vitæ, & a peccandi illecebris rationes, & vias monstrare, medicamenta item sanando salutaria præscribere; iste contra negare, sibi hæc profutura, quod hujusmodi remedia mali, quo laborabat, vis & improbitas eluderet. Rogare proinde, ut precibus suis valentiora sibi a Deo impetraret. Spondet Sacerdos futurum, atque simul hortatur adolescentem, ut, quod a se peteret, id etiam a Matre misericordiæ votis quotidianis contenderet. Obsequitur hortatori, & ad diem quo eamdem Matrem filius cælo inoatam honore summo cumulavit, de peccatis iterum confessus, judicavit Confessarius sibi jam vitæ melioris spem non dubiam affulgere. Ex quo enim, inquit venerari divam Virginem, & ab ea vitiis meis flagitare studui medicinam, animadverti homines perverso quorum usu, consuetudine gaudebam, a me alienari meque ire desertum. Et nunc quidem ita liber sum, & expeditus ab omnibus, ut exequi jussa tua facile possim. Nec aliunde scio bonum hoc mihi tantum, quam a provisu Dei manasse. Tu igitur impera mihi, quod voles, & me finge, ut voles, nullum saxo in me obsequium, nullum officium desideres.

Reliquiarum portatio salutaris.

CXCVII. Cæsarius refert de Bernardo Ordinis sui Cisterciensis Religioso sequentem Historiam. Hic ante susceptum religionis habitum, itineris, quod habebat, nescio quo, comites gerebat e collo suspensas SS. M. Joannis & Pauli reliquias pyxidulæ inclusas. Ecce vero in via occurrit homini inhonesta quædam tentatio. At illi minime (tum quidem) pensi erat similibus, ut deceret, obviam ire tentationibus. Ergo sacræ Reliquiæ ipsæ incurium pectus crebra pyxidulæ allisione monere vellent, sed nequaquam. Cassente dein tentatione, cessavit pariter illa percussio. En paulo post redeunte, redit & ista, quasi sacra pigoora excitarent incogitantem. Tum vero monitorem exaudit, fortiterque, ac feliciter teotationem profligavit. *Cæsarius l. 8. Dialog. c. 67.*

Munuscula amatoria periculosa.

CXCVIII. Anno 1589. Adolescens quidam prius ex imprudenti aspectu ita in amorem mulieris exarsit, ut divinum excluserit. Mittebantur ultro citroque munera, fortivæ litteræ, idque trimestri spatio. Post quod is gravi morbo afflictus decubuit. Mirum certe, quam immundas sordes evomuerit, mulierum crines, ovium villos, crinales acus & fulorias, unguium segmina, ossium fragmina, & ferramentorum, non parvo numero una cum sanguine. Miratus Pater causam quærit; num quæ essent a muliercula literæ, aut munera? Litteras acceptas ajebat, sed deinde laceratas. Pater *Bonlcus ad ann. 1589.*

non

non credens, admonet familiares, ut ejus arculam ſcrutentur, & ſi quid ſit amatorium, tollant. Ea res, cum ægro occulta quadam voce innotuiſſet, arculæ clavem horrendis clamoribus poſtulat, & acceptam injecit in os; voraturus, niſi prohibitus fuiſſet. Eam pulvino ſuppoſuit, oculorum uſum amittit. Admonet mater, ut doctus malo reddat clavem t eam quærens cum non inveniret, furto ablatam credit, & magis vociferari incipit, nec tamen ea reperta fuit, toto etſi lecto diligenter excuſſo; arcula vi reſerata, repertæ fuere binæ litteræ amatoriæ, & igni traditæ. Cauſa mali amota, reſtitutus fuit juveni viſus, animus, & paulo poſt integra corporis ſanitas.

Relapſus cavendus.

Ribad. in M. S. CXCIX. Infelix quidam Adoleſcens vitam olim Angelicam in lubricam commutavit, peſſima diſſolutorum ſocietate fœdatus: cumque fama eſſet, illum ne ad Paſcha quidem SS. Sacramentis expiatum, negavit id quidem uni e Societate Jeſu, faſſus tamen eſt, ſe ſacrilege fuiſſe confeſſum. Dein vero ad frugem eſt reductas, at non diuturnam: cum eam interverterit quidam e perditiſſimis ſociis, qui nuntium, ſeu ſalutem ab obſcœna quadam fœmina dictam retulit. Unde miſer præceps iterum ruit, quo a torrente libidinoſo rapiebatur. Verum Deo inconſtantem puniente, necdum expleto ſemeſtri, ab eodem illo Impudico ejuſdem (ut opinio erat) ſcorti conſilio in platea Neapoli confoſſus, nec tantum intervalli habuit inter vulnus, & mortem, ut vel ſanctiſſimum Nomen Jeſu poſſet pronunciare.

Propoſiti non ſervati pœna.

Vita S. Franciſci c. 31. CC. Cum Canonicus quidam ægrotaret, ad S. Franciſcum (qui tum etiam ex morbo decumbebat) deportatus, a viro ſancto, ſanitati reſtitutus eſt, ſerio tamen admonitus, pravam dein vitam emendaret. Convaluit, ſancta omnia pollicitus; ſed fidei datæ brevi immemor, ad ingenium, & turpes amores redit; verum non impune. Cum enim apud alium quemdam Canonicum lætus cœnam ſumit, ſubita collabentis domus ruina unus & ſolus ex omnibus oppreſſus interiit.

Chorearum infelix exitus.

Dren. Nicet. l. 3. c. 9. §. 2. CCI. Refert Petrus Alphonſus in ſua hiſtoria, duos ſocios iter facientes deveniſſe ad locum, ubi choreæ agebantur, quarum cantu alter allectus ſubſtitit, altero licet renitente, ac ſe ſaltantibus junxit. Ecce non multo poſt unus ſaltantium in villa homicidium perpetravit; hic autem, qui ſaltavit, inter complices captus, & capitis damnatus eſt.

Earumdem fuga laudabilis.

Compend. vitæ l. 1. c. 12. CCII. Hercules Tanius B. Aloyſii Gonzagæ Avunculus magnificum honorando nepoti epulum inſtruait; nec non apparatum ad choreas de more ducendas neceſſarium: a quibus ut abeſſe ſibi liceret, nihil non tentavit Aloyſius, ſed cum nihil proficeret, duci ſe ad aulam paſſus eſt, ea tamen lege, ſolam ut præſentiam exhiberet, a choreis, & tripudiis immunis. Vix conſederat, cum ecce nobilium fœminarum quædam loco Avunculi ipſum accedit, & ad ſaltationem compellat. Quod ille, aliud videlicet agens, ubi advertit, ſilentio, quaſi gravi, & urgente neceſſitate cauſaque exorta, pedem inde retulit, nec poſtea revertit. Ea re perſpecta Avunculus egreditur, Ludovicum per totas ædes diu multumque quæſitum in ſervulorum denique cellula quadam reperit abſconditum, & in anguſto quopiam, parietem inter, & lectum interjecto, genibus humi defixis ſupplicantem. Quo ille ſpectaculo obſtupefactus, ſimul atque recreatus, eumdem minime interpellandum, ſed in ſancta illa quiete relinquendum cenſuit.

Obſcœna ſpectacula fugienda.

Erythr. ex. 92. CCIII. Joſephus Caſtalio quo tempore Ducis Soani liberis erudiendis operam dabat, a quodam invitatus fuit ad fabulam quamdam diebus Bacchanalibus ſpectandam; ſed nulla ratione adduci potuit, ut domo pedem efferret. Poſt aliquot horas, ingens ad ejus aures ſtrepitus pervenit, quo vehementer territus rogavit, quid novi ille clamor afferret? Reſponſum fuit, aulam illam, in qua fabula dabatur, concidiſſe, eaque ruina aliquot oppreſſos interiiſſe, complures brachium, crus, aliudve membrum fregiſſe, non paucos ſine ſenſu, ſine mente jacentes pro mortuis fuiſſe ſublatos. Quare Deo ingentes pro ſe ſervato gratias egit.

Librorum impurorum lectio noxia.

Biderm. f. 71. CCIV. Memorat Bidermanus, ſe quondam adoleſcentem familiariter noſter, qui in frequenti athenæo omnis modeſtiæ, virtutiſque exemplum habebatur, nulli innocentiæ laude ſecundus. Rapiebat in ſe omnium oculos, animoſque virgineus morum candor, ac verecundiæ decor. Nemo non inſignem ſanctitatem ſperabat. At juvenes, quæſo, audite, quam levis in ſpeciem occaſio quantam incauto adoleſcenti maturavit ſtragem? Libellus parvus inſignem ſtravit, & peſſumdedit virtutem: In ipſo litterarum honeſtatiſque ludo dum impurum Poeta a ſtylo terſo commendatum legit, derepente exardeſcere, atque mox in omnia vitiorum abrupta ferri præceps, omnis nequitiæ facem ſoclis præferre, paucisque menſibus is omnino eſſe cœpit, quem publicus Magiſtratus, quia ad frugem ducere non poterat, infamia notatum, ad Academia, urbeque proſcriberet, ne quibus ille jam ſolus ardebat, cæteram juventutem venereis ignibus adureret.

Gulæ heroica refrænatio.

Annua Œnipont. 1650. f. 141. CCV. Œnipontanus ſodalis ut in tenui trophæo victoriæ palmam non tenuem appenderet, in arborem pendula ubique magna nobilium ceraſorum vi onuſtam eniſus, per duas illic horas partim horariis precibus e libello recitandis, partim ceraſis aſpectandis dedit: ſic ſurgentem cupidinem aſpectu, ac tacita oculorum laude ubi exacuit (ſicut ille apud Poetam, ſpectato fonte receſſit); ſic iſte

ocu-

oculis omnia, gulæ nihil concessit, & ex arbore, veluti trophæo gloriosæ coram Deo, quam ibi consecutus est, victoriæ, descendit.

Carnis tentatio generose repulsa.

D. Anton. p. 3. hist. t. 13. CCVI. B. Joannes Bonus solitarie degens, cum a diabolo vehementer tentaretur, objecta ipsi identidem mulieris forma, quam in seculo conspexerat, generose victurus turpissimam illusionem, arundinem accepit, & in multas partes acutissimas discindens, eas sub unguibus posuit, elevansque manus super lapidem ita percussit, ut infixæ ad extremam usque digitorum partem penetrarent. Unde præ dolore semianimis corruit, non tamen a Domino propterea derelictus; a quo visitatus bonum nuntium accepit, numquam hoc in genere eum tentandum.

Insanus amor hortorum.

Keppler. ex. iomin. fest. f. 16. CCVII. De quodam prædivite mercatore scribit P. Tollenaet in Eccl. cap. 2. sec. 3. pag. 91. Novi, inquit, in Belgio extitisse virum quemdam copiosum, qui cum hortos cultissimos in urbis pomærio haberet, salute a medicis desperata, nihil de animi medico, de zizaniis, & vepribus peccatorum, quæ in immensum excreverant, solicitus, per hortum sella gestatoria se deferri curavit. Atque ubi ille & anemonas, & tulipas, & poma sua punica, aurea, citrea, nutantibus in morte oculis contemplatus fuit, exclamavit: *Et eheu! crudele fatum, quod a tanta amœnitate divellis! O Deus numquam a te cœlum petii, cur mihi terram invides?* sed frustra voces illas blasphemas jactavit, neque terram impetravit; an cælum obtinuerit, dubium ingens est.

Diaboli superbia congruenter castigata.

Annal. Prov. Venet. Dom. Probat. Novell. ann. 1608. CCXIII. Quo die Antonius Faustinus adjutor e Societate Jesu fuit sepulturæ mandandus, advenit energumena, ex cujus ore nequam spiritus magno stridore exclamavit, indignatus hominem verrendis templis destinatum illuc tandem advenisse, unde ille in perpetuum esset deturbatus: illudque addidit, se ab eo torqueri, cogique dimittere quosdam e sociis suis. Interrogaverunt quidam, cur ita perstreperet ab obitu ejus hominis, cum plurimis aliis defunctis, qui vita nihilominus probata extitissent, nihil omnino dixisset? respondit: *Quia ita Deus jubet, qui me per hunc hominem, non per alios, torquet, vultque constare apud homines, eum jam cælesti gloria potiri.*

Generosa de gula victoria.

Collector. speculi exempl. V. eodem. CCIX. Pruritum, & aviditatem gulæ pie repressit quidam Archiepiscopus; huic cum mensæ accubanti appositæ fuissent ficus, quarum natura erat appetentior, unam, præ cupiditate cibi grati, oblitus benedictionis, quam alias solitus fuerat præmittere, arripuit. Jam jam ori immissurus & comesturus advertit errorem suum, & eum corrigens dixit gulæ suæ: *Domina gula, nimium festinasti, & ideo facite hanc pœnitentiam: hodie ficus non comedatis:* Insuper per integrum mensem sibi apponi jussit ficus, quas tamen numquam attigit.

Vanitas mundana salubriter ponderata.

CCX. Bartholomæus Bustamantius e Soc. Jesu vir religiosissimus, & S. Francisco Borgiæ percharus (quem suis precibus Beatus periculo vitæ eripuit) cum de vanitate rerum hujus mundi, brevitate, & fallacia sermo incideret, vehementi cum gemitu solebat erumpere: *Quid tot proceribus, tot principibus, quos ego novi, actum est? ubi sunt? ego Carolum V. tanta cum Majestate, ego, hos, illosque Dynastas novi, quos videbatur ne ipsa quidem mors audere propius adire; mortui sunt. Ego tot Pontifices, Cardinales, Antistites, Doctores, concionatores celeberrimos atque eminentissimos novi, & jam non sunt: periit memoria eorum cum sonitu.* Hos inter sermones incendebatur usque eo, & commovebatur, ut singultiens, ac flens ubertim interclusa voce eriperet se de medio, & fuga in cubiculum abderet, acres ad sæculi contemptum in omnium animis relinquens aculeos. Hist. Soc. p. 3. l. 4. n. 118.

Pictor ob imaginem lascivam pictam graviter castigatus.

CCXI. Pictor quidam non imperitæ manus in quodam PP. Carmelitarum cœnobio plurium cœlitum imagines pinxerat, ea animi pii affectione, ut omnem pecuniam suo labore comparatam religiosis in suis ultimis tabulis assignaret: simul atque ab iisdem pro se mortuo preces & sepulturam exigeret. Eo paulo post defuncto cum quidam e monasterio noctu in templo oraret, anima pictoris flammis cincta apparuit, & harum acerbitatem magno ejulatu, & fletu declaravit. Rogata tanti incendii causam, *Corpore*, inquit, *egressa ad Divinum tribunal fui ducta, ubi me plures animæ expectabant accusaturæ turpis cujusdam a me juvene pictæ imaginis, ob cujus aspectum libidinosum nunc æternum in inferno luerent. Cohorrui, & ob imminens perenne supplicium vehementissime perterrita circumspexi tristis, & anxia, num aliquem Patronum causæ tam afflictæ nancisceer. Derepente adfuere plures Sancti, quorum icones, dum vixeram, pinxi, seque mei opponentes accusatoribus ajebant, illam imaginem a me juniore fuisse pictam; dein pœnitentem facti, ut scandalum datum, ac damnum oculis aspicientibus illatum resarcirem, operam omnem, ac artem in Sanctorum vultus perite efformandos impendisse, sicque cultum Divinum ac pietatem plurimum promovisse: Insuper omnem pecuniam viris religiosis donasse, ut hi benefactores sui non immemores Divinæ misericordiæ pro defuncto supplicarent, atque horum preces, ac sacrificia pro eo oblata se æquissimo, ac clementissimo judici offero. His quidem placatus Judex fuit, imperavit tamen flammis purgantibus tamdiu me torqueri, quamdiu illa imago tot animarum pernicies prostraret: Atque hæc est causa, cur te convenerim, nimirum ut te precibus, quibus possim, rogem, mei misertus protinus eum accedas, a quo imago illa maledicta asservatur, jubeasque illum quamprimus flammis dari: ut vere is tuis* Joseph. Carmel. tom. 1. l. 4. c. 33.

verbis fidem habeat nuncia duos ejus filios intra mensem morituros; quod si veniat Divino obedire mandato, cum filiis mox successorum morte repentina tollendum. Imaginis illius Dominus, ut hæc audivit perterritus, manum vindicem experiri noluit, quare illam flatim flammis injecit, ne ipse arderet. Defuncti funt paulo post duo filii, pater vero fibi placaturus Judicem vivorum, & mortuorum de suis sceleribus, dum vixit, pœnitens doluit, atque ut plurimos post mortem posset habere patronos, plurimorum Sanctorum imagines sua arte pingi curavit.

Passio Christi perpetua.

Marcia. lib. 4. de pass. diss. 8.

CCXII. In vita venerabilis Mariæ Magdalenæ de Ursinis refertur, quod, cum hæc continuis doloribus affligeretur, quadam die propter eos apud Dominum conquesta fit impensius, inter quæ somno fuerit correpta. In somnis apparuisse ei Christum crucifixum; & ad alacriter ferendam crucem fuisse eam cohortatum, cum ipse ejus causa longe duriorem graviorémque portasset. Dicente autem illa: *O Domine, tu non fuisti nisi tribus horis affixus cruci, me vero tot jam mensibus affixam cruci, vix istam perfero diebus omnibus vitæ meæ*; replicasse Christum: *Ab ingrata e primo instanti meæ conceptionis usque ad extremum vitæ crucem sustinui, incipiens tum pati per vivas apprehensiones secuturæ crucis, quam semper habui præ oculis, donec illi reipsa affixus fui.* Quam Patris optimi filialem correctionem tantum illi profuisse, ut cruces ei formidabiles postea fuerint optabiles, & expetendæ.

Tentatio fructuosa.

Ann. Capuc. 1590. n. 26.

CCXIII. Antonius a monte Sicardo Capuccinus nocte quadam orans sub auroræ crepusculum videt templum ingredi nobilissimam hominum turbam, & post hanc virum omnes decore & majestate vincentem, qui Christus erat. In ipso altaris scabello ab Angelis parata sede confidens jussit eum vocari, & ob multos labores exantlatos petere, quidquid vellet; petiit ille peccatorum omnium remissionem, & in gratia perseverantiam. Concessit illico Deus, & cum sua manu libro vitæ inscripsit. Paulo post, ne superbiret, Deo permittente a carne senex ita vexatus fuit, ut plus, quam ullus juvenis, sentiret molestiarum. Orabat, gemebat, jejunabat, flagellis, cilicio utebatur, flebat, proficiebat nihil, adeo tentatus, ut præ ardoris vehementia tentatio videretur intolerabilis. Paucis post diebus ægrotus ad cælos avolavit.

Amor insanus.

Ælian. l. 9. var. c. 39.

CCXIV. Adolescens Atheniensis honesto loco natus, statuam fortunæ ad Prytanæum stantem ita deperibat, ut eo in complexus ejus daret tamquam viventis, oscula infigeret, & demum a Senatu ejus potestatem fieri pecunia voluit; sed repulsam passus, statuam multis redimitam sertis, & coronis coronatam, oblatis etiam sacrificiis honestans, denique demens seipsum interfecit, profusis prius innumeris lacrymis.

Vicinus bonus æstimandus.

CCXV. Themistocles Atheniensium Dux arguti vir ingenii, cum per præconem venale prædium jussisset proclamari, causam addidit tanti pretii, quo eam villam æstimabat, quod vicinos haberet bonos. *Plutarch. in Them.*

Fortunæ inconstantia.

CCXVI. Sultanus Agazenorum Rex Gallorum Regis in Campania captivus totum biennium numquam risit; præmium ergo ei Rex Galliæ promisit, qui primum ridentem conspexisset, & brevi ridere visus; cum causam quæreret tam subiti risus, mutabilem rotarum statum in fortunæ ludibrium se traxisse, & ita in risum solutum se ajebat; hoc risu ferius Rex Galliæ factus, fortunæque utriusque memor, Sultanum dimisit, qui tamen deinde Capuam & Beneventum Regi Galliæ ademit, regnumque suum salvus repetiit. *Majol. coll. 1. f. 3.*

CCXVII. Maximinus Miceæ Gothi & Ababæ Ælanæ filius in prima ætate sub parentibus pecora pavit, arma postea secutus a Romano exercitu ad Augustale culmen erectus est. *P. Fulg. lib. 6.*

Milites qui optimi.

CCXVIII. Claudus nomen militiæ daturus, cum rideretur, respondit in bello non fugientibus opus esse, sed firmantibus gradum. *Val. Max l. 3. c. 7.*

Manliana imperia unde dicta.

CCXIX. Titus Manlius Torquatus pater dictus, quod devicto Gallo precisoque ejus capite sanguinolctam ejus torquem collo suo injecerit. Hujus imperia Manliana dicta proverbio cessere, eo quod suum filium, contra suum mandatum feliciter pugnantem, occiderit. *Liv. dec. 1. l. 7. f. 490. l. 8. f. 550.*

Ars quænam usitatissima.

CCXX. Gonnella quæsitus a Nicolao Ferrariensi Duce, quænam ars maxime vigeret, respondit: Medicorum, fidem non danti Regi, lepide, pacto etiam interposito probavit: quippe obvoluto ore dolorem dentium simulans, dum præ foribus templi ab omnibus cognoscitur, quod doleat, ultra trecenta remedia conquisivit. Inter quos ipse Rex ignarus dein primas tenuit. Ita probavit, quod dixit. *Majol. f. 112.*

Remedium uxorum contra maritos iratos.

CCXXI. Fœmina, cujus maritus quotidie ebrius illam male mulctabat, uxoris convitiis iritatus, consilium a vicino petiit, qui maritum curaret: dedit ille, jussitque, si vir rediret domum ebrius, fœmina, pharmacum illud (aqua fuit pura) tamdiu ore teneret, dum vir cubitum iret; fecit, & efficacem medicinam sensit. *Drexel. in Phaet. c. 10. §. 4.*

Sibyllarum librorum pretium.

CCXXII. Anus hospita atque incognita ad Tarquinium superbum Regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina Oracula, eam velle dixit venundare, pretio vero ingenti. Rex ad pretium risit; tum anus extructo *Gellius l. 1. c. 19.*

cto foculo tres libros ex novem illis combu-rit, Regique sex reliquos eodem pretio exponit, majori Regis risu. Mulier ibidem tres libros denuo comburit, tribus reliquis Regi eodem pretio oblatis. Tum Tarquinius eam foeminæ constantiam non spernendam ratus, tres dicto pretio reliquos libros emit; mulierem vero ab Rege digressam nullibi postea visam ajunt; Libri in sacrarium conditi Sibyllini dicti; ad eos quasi ad Oraculum viri adeunt, cum Dii immortales publice consulendi sunt.

Amor & fides servilis.

Macrob. l. 1. Sat. c. 6. CCXXIII. Urbinus, cum jussus occidi in reatino lateret, latebris proditis, unus e servis anulo ejus, & veste insignitus in cubiculo, ad quod irruebant, qui persequebantur, pro domino jacuit, militibusque ingressis cervicem præbuit, & ictum tamquam Urbinus excepit.

Idem.

Ibid. c. 7. CCXXIV. Antius Restio proscriptus, solusque nocte fugiens, diripientibus bona ejus aliis servis, a servo qui post fugam domini aliena solutus esset custodia, quippe ab illo captus, alitus est, qui eum ultro jam liber vinculis hac de causa insequebatur, hortatus insuper, ne dominus metueret, contumeliam illam, fortunæ, non domino imputandam, ministerio suo aluit; quumque deinde persequentes adesse sensisset, senem, quem casus obtulerat, jugulavit, inque proximam accensam pyram conjecit, mentitus persequentibus se dominum suum digna pœnitentia plectere.

Amor Patriæ.

Vellejus Paterc. l. 1. CCXXV. Codrus ultimus Rex Atheniensis Melanthi filius, accepto oraculo Pythio: quorum Dux esset ab hoste occisus, eos futuros superiores, deposita veste regia, pastoralem induit, immistusque castris hostium de industria imprudenter rixam ciens interemptus est, insecuta mox Atheniensium victoria.

Bapt. Campof. l. 6. CCXXVI. Sola in patriam amor Cassium Chæream Tribunum movit, ut Caligulam, qui eam crudelissime dilacerabat, manu sua occideret, cujus rei nunquam adduci potuit, ut pœniteret, etsi ob eam rem ipse morte affectus fuit.

Miraculum Turcicum.

Bern. de Busto ser. 14. p. 1. CCXXVII. Narrat Bernardinus de Busto, quod Mahomet celebri miraculo inclaruerit. Januensis quidam fanum Turcicum (ipsi Mosclieam vocant) curiositate pelliciente ingressus (quod capitale exteris est) cum ob confluentium hominum multitudinem vehementius comprimeretur, eo necessitatis redactus est, ut cum excedere templo non posset, quo naturam exoneraret, compulsus fuerit Mahometi digna Mahomete thura accendere; quæ cum supplices reliquos gravius admodum nares offendissent, jamque cogitarent, thuricremum post purgatos odores victimam facere, ille vix veniam promendi prodigii extorsit. Ait igitur, se, cum diu beneficio naturæ caruisset, hic demum se a Mahomete accepisse, ut primum ejus fanum attigisset; placuit ea res Mahometistis, & utcumque male oleret, tulerunt tamen molestiam illam novi prodigii fama aures placaturi, si gravius nares læderentur. Clamatum itaque communi applausu: Miraculum miraculum; & ut rei gestæ monumentum existeret, thuribulum (caligas puta) e tholo suspenderunt. Mahometanæ beneficientiæ argumentum perpetuum.

Aurum spretum.

Th. Mor. in Utop. l. 2. CCXXVIII. Anemalii cum ad Utopienses superbissimo vestium luxu Legatos destinassent, Utopienses vero patrio more aurum, & gemmas servis tantum, & infantibus ex contemptu appenderent, ludibrio fuerunt incolis. Tres enim Legati urbem Amaratum ingressi cum centum comitibus, omnes vestitu versicolori, plerique serico, Legati ipsi amictu aureo, magnis torquibus, & inauribus aureis, ad hæc anulis aureis in manibus, monilibus insuper appensis in pileo, quæ margaritis ac gemmis effulgebant. Utopienses, quibus insolens visus erat incensus, adeo habuit suspensos, ut infimum quemque pro dominis reverenter salutantes, Legatos ipsos pro servis habitos sine ullo prorsus honore prætermiserint; quin pueros quoque vidisses, qui gemmas ac margaritas abjecerant, ubi in Legatorum pileis affixas conspexere; compellare matrem, ac latus fodere: En mater, quam magnus nebulo margaritis adhuc & gemmulis utitur, ac si esset puerulus. At parens serio etiam illa: Tace, inquit, fili, est opinor quispiam e morionibus Legatorum. Alii catenas aureas reprehendere, utpote nullius usus, quippe graciles, ut eas facile servus infringere, tam laxas rursus, ut cum fuerit liberum, possit excutere, & solutus ac liber quovis aufugere. Hoc viso, aurum gemmasque iis populis tam viles esse, plusque auri Utopiensem servum collo gestare, quam omnes comites intellectis insuper Utopiensium moribus, factum & crepundia posuere. Utopienses enim mirabantur, cur gemmarum splendorem tanti facerent, ubi clarius multo stellarum minima fulgeat; præterea illos lanarum artificiosa textura adeo superbire, cum ante paulo lanam eamdem ovis gestasset, nec tamen aliud, quam ovis fuisset. Ita Legatorum fastus subsidit.

Mirum furis ingenium.

Herodot. l. 2. CCXXIX. Rhampsinitus Rex Ægypti, cum omnium Regum maxime esset dives, pecunias suas asservaturus tuto loco, ædificium exstruxit lapideum, cujus parietum unus in exteriorem ædium partem pertingebat; hujus ædificii architectus in illo pariete lapidem unum tam dextre inclusit, ut a junctura liber esset, & tamen nullo signo appareret solutus: Per hunc noctu amotum, quoties voluit, pecunias surripuit. Interea moribundus pater artem dolumque docet filios. Filii mortuo patre aliquoties dolum exercent, donec Rex ingressus ad-

advertit copiam imminui; nihilominus fratres duo impune idem ausi sunt. Demum Rex retibus jubet vasa pecuniaria obduci. Redeunt fratres horum unus, ut intravit ærarium, induçit se in laqueos. Utque videt actum de salute, fratrem vocat, jubet sibi caput præcidi, utcumqne intus relinqui, ut saltem frater superstes evaderet; occidit alter, caput domum refert. Mane Rex cum stupore truncum videt sine capite; salvis interim sigillis & foribus: jubet corpus e muro suspendi, intereaque in civium vultus intueri, num quis hoc spectaculo moveretur. Mater filii occisi interea domi filium tristis urget, liberaret cadaver, alias se facinus prodituram: frater fraudem comminiscitur. Instratis asinis utres vino plenos imposuit. Et postquam asino juxta custodes duxit ante suspensum cadaver, reclusis ligaculis duos tresve utres resolvit, & cum vinum proflueret, tum caput cædentem vehementer vociferatus est, tamquam nescieos; ad quem prius asinorum se resolveret. Custodes interea conspicati vinum profluere vasis excipiunt, bibunt, agasonem provocant. Ille paulatim simulat se mitigatum, condonat primo unum utrem, mox alterum, donec sopiret vigiles; tum ludibrii causa, abscissa dextra manu, cadaver clam ablatum matri refert. Rex magis miratus desperat, se in rem præsentem deceptum, dolum struit, pollicetur, & exponit publice velut prostibulum filiam suam, hac tamen conditione, nt, qui vellet ea abuti, diceret, quid in vita sua solertissimum, & scelestissimum perpetrasset: Alter fraude fraudem eludit, abscissa nuper mortui hominis dextra petit Regis filiam, narrat rem omnem, ut Regem & custodes eluserit; filia ubi eum velut reum vult captivum tenere, porrigit manum ex cadavere abscissam, quam ubi illa velut impostoris accepit, interea alteram invita dimisit. Sic Rex toties elusus impunitatem reo promittit, si se proderet, prodeuntem reum muneribus donat, filiamque ei uxorem dat, ingenium miratus.

Tria in Republica optanda.

Nierenb. Atom. c. c. 10. CCXXX. Maximilianus I. Imperator triplici spectaculo delectari solitus dicitur. Primo, videndo campum copiis militaribus instructum. Secundo, Chorum refertum Monachis. Tertio patibulum plenum furibus. Primo, dicebat urbes defendi. Secundo Religionem. Tertio, justitiam.

Amor exoticus.

Ibid. CCXXXI. Galeatius Mantuanus inter primos sui sæculi hæroes, eum forte puellam, quam deperibat, in ponte obviam haberet, illa per jocum hortatur, ut si tantus miles esset, e ponte in amnem amoris suique causa desiliret, ille statim cum equo se præcipitem in flumen dedit, quo exanimato vix natando e Ticinio emersit.

Cæcus statuarius.

CCXXXII. Joannes Gambasius Volateranus a prima adolescentia usque ad annum ætatis vigesimum statuariam exercuit. Mox oculis captus per decennium est otiatus, sed pertæsus denique inertiæ, ex contrectata Cosmi Etruriæ Ducis marmorea statua, fingendam suscepit similem ex argilla effigiem, & adeo labor successit, ut artis miraculum sit omnibus visum, nec aliquid marmoreæ Ducis statuæ potuerit similius reperiri aut excogitari. Romam deinde appulsus simili artificio e manibus attrectata Urbani VIII. marmorea effigie argillaceam exquisite prototypo respondentem effinxit, & complurium aliorum statuam efformavit. Ac ne fraus subesset, ac injecta simulatæ cæcitatis suspicio excluderetur, in cœco, & undequaque occluso cubili plasten agere jussus est. *Theoph. Rayn. in fort. triad.*

Pictor admirandus.

CCXXXIII. Leonardus Vinci pictor celebris nihil pingebat, nisi prius rei naturam observasset. Hinc aliquando picturam facturus, in qua ridentes exprimeret, selegit certos homines, quos eredebat ad eam rem idoneos, eos invitatos ad convivium variis ridiculis narrationibus recreabat, ut ab ignaris, cur hæ fierent, sonori passim cachinni ederentur vario ridentium gestu & ore, quos omnes diligenter observavit, ac animo impressit; iis deinde digressis, ipse secessit, & eas omnes ridentium formas delineavit ita feliciter, ut non minus intuentes ad risum imago ridentium provocaret, quam ipsi erant a Leonardo ad risum commoti. *Tract. de pict.*

Alius non potens B. Virginem pingere.

CCXXXIV. An. 1251. Florentiæ pictor peccati mortalis reus sæpe tentabat imaginem B. Virginis ab Angelo salutatæ pingere, sed nunquam potuit, ut volebat, exprimere; hinc conjectans peccata sua obstare, confessus est: Et ad laborem reversus, dum colores & manum parat, videt caput B. Virginis esse divinitus absolutum, adeo excellentis operis, ut dignum sit, quod credatur ab Angelo factum. *Palior. l. 1. c. 1.*

Rex pictor.

CCXXXV. Philippus II. Hispaniæ Rex interdum imagines pinxit, quas velut ab alio factas vendi voluit, & pretium inde acceptum pauperibus erogavit, addens: Hæc eleemosyna est labore manuum mearum parta. Eas imagines magnates clam de auctore edocti magno pretio emerunt. *Tract. de pict.*

Modestia singularis.

CCXXXVI. Murarii filia aliquando Regis primaria uxor (formæ enim, non generis rationem Rex habuit in delectu conjugum) semper penes se trullam habuit, parentis olim sui instrumentum. Et si filius ejus, aut indignari cœpit, aut insolentius superbire, jubebat

bat ei trullam ostendi, qua usus ejus avus fuisset.

Fideles ministri amandi.

P. Mart. l. 2. CCXXXVII. Ynus primus Imperator ea familia Hiaa admonitionem patientissimus fuit. Hinc ante fores palatii campanam, tympanum, tabellam lapideam, ferream, & plumbeam appendi jussit addito edicto, quo probis doctisque viris, qui regem monere de re aliqua vellent, potestas fiebat, ex his instrumentis illud pulsandi, quod cuilibet causarum generi fuit destinatum. Qui justitiæ consultum ibant, ære campano; qui legibus & religioni, tympano edebant sonum; si regni negotia forent, tabellam plumbeam; si injuriæ a Magistratibus illatæ, lapideam; si de carcere, ac vinculis, ferream pulsabant. Utilia suadenti inclinato corpore multaque honoris significatione gratias agebat. Ajunt, uno die bis e mensa surrexisse, ut campanam impellenti aures daret; alio die ter balneum reliquisse, ter accitum eo pulsu. Aliquando tamen viro primario monenti succensuit, qui eum coram proceribus acerbius justo erroris arguit. Ea licentia offensus, mox in palatium se proripuit, itaque tumens statuit monitorem e medio tollere. Conjux ejus cognita irarum causa, regio cultu splendide induta Regem adiit, a quo rogata causam tam insolitæ elegantiæ, respondit, magnas habere causas Regi, & sibi gratulandi, quod haberet ministros, qui adulationis expertes verum dicerent; hinc se cultu illo lætitiam testari.

Renovatio quotidiana usurpata.

Idem l. 3. CCXXXVIII. Tangus I. Imperator ex familia Xanga, expulso Tyranno ad Imperium non sponte sua evectus, adeo suis civibus fuit charus, ut, si unam regni partem obiret, alii in alia parte positi grave sibi ducerent ejus aspectu & præsentia fraudari. Bis voluit renunciare præ modestia Imperio, sed nihil effecit. Septennio toto cum non plueret, ipse se pro populi salute piacularem victimam devovit, sexies quotidie Deum precatus, ut Deus (seu cælum) placatus populo, se plecteret. Tum demum imber secutus est. In vasis utensilibus gnomas jussit incidi, ad rem idoneas. Erat inter alia pelvis, quam ipse ad abluendam Sinarum more faciem aqua calida adhibebat, in qua epigraphe legebatur: *In dies te renova, & iterum eodem die te renova.*

Nero novus.

Ibid. CCXXXIX. Kieus Imperator Sinensis tanto erat corporis robore, ut facili nisu densum funem rumperet, hamumque ferreum trium digitorum crassitie utraque manu arreptum in rectum extenderit. Fuit hic ævi sui Nero, a Vihia dono sibi missa ad omne nefas impulsus. Eam dono per speciem conciliatæ amicitiæ regulus quidam misit, eo fine, ut Kiei animum ad voluptates traduceret. Kieus autem inter alia stagnum navium capax jussit excavari, ac vino impleri. In ripa illius per circuitum, ad tria millia hominum proni, canum instar inde vinum lingebant potius quam bibebant. Poti ad sylvam proximam festinarunt, quæ carnea dicta fuit, eo quod ex ejus arboribus quotidie boves, apri, cervi, aliaque animalia jam assata penderent, accurrentium gulæ parata.

Educatio laudabilis.

CCXL. Chingi, qui Fao patri successit, moderator Cheucungus Regulus, adhuc puerum Chingum, juxta mortui parentis sepulchrum exstructa domo inclusum cum præceptore, virtuti studere jubet, ipse tutelæ nomine Regnum administrat; si quid tunc delinqueret Imperator, Pekinum (ita enim vocabatur præceptor) verberibus excepit, spectante puero; simul ut ea pœna se dignum agnosceret, simul ut deinceps ita se gereret, ne præceptorem suum subjiceret verberibus. Ibid.

Pulchralis de Regno.

CCXLI. Peyus & Xocius Kinhoi cujusdam Reguli filii erant; Is moriens minimum natu Xocium successorem nuncupavit, mortuo parente Xocius natu maximo Peyo cedere; Peyus autem recusans nolebat a patris defuncti voluntate discedere. Urgente autem Peyo ætatis in fratre prærogativam, Xocius fuga evasit regnandi necessitatem. Secutus est hunc Philosophiæ & quietis amore etiam Peyus: atque ita populus coactus est, fratrem natu medium eligere. Ibid. l. 3.

Musica urbis moratæ indicium.

CCXLII. Hansinius in urbe Lu regni Zu, quam obsidebat, audiens voce ac organis musicis incolas canentes dum mœnia obiret, conjecit inde, in ea urbe, quæ tantopere musica delectatur, bonos mores vigere, ac fide in Regem, cujus causæ vetuit ultima pati. Ex mox jusjurendum, quo se obstrinxit, omnes se cives incendio deleturum, rescidit, ac ostentato Hiangi, quod præcisum a suis militibus afferebatur, capite, cives sponte deditos in fidem accepit. Ibid. l. 7.

Eadem morbos pellit.

CCXLIII. Gallica Matrona juvenis, ac pia ob mariti quoddam infortunium, quod in bonis passus est, tanto furore præ dolore percita est, ut in momento vellet sibi mortem consciscere, nunc igne, nunc ferro, nunc voluit se e fenestris præcipitare, bis voluit se in stagno mergere; donec tandem, post remedia alia frustra edhibita, a transeunte forte P. Capuccino, qui in transitu divertebat, moniti familiares, ut hominem constituerent, qui testudine coram illa luderet, dinque ab ea non discederet; atque ita post tertium mensem curata est. Louis Gup var. lect. l. 3. c. 14.

Aliud simile.

CCXLIV. Aliam Matronam nobilem novit hic Auctor Rothoniagi, quæ in omni vita, etsi varie laboraret, nulla unquam voluit medicina Ibid.

uti nec contra vulnera, nec partus aut podagræ dolores; medicinæ omnis loco constituit sibi, qui tympano, & alium, qui tibia, seu fistula luderet. Cumque aliquando magno podagræ dolore urgeretur, jussit cantilenam choreis propriam a fistulatore inflari. Fecit is jussa cum tympano, & tibia, ut præ spiritus defectu sui impos deficeret, ac procideret. Remittente igitur sono medico, Matrona, per tres horæ quadrantes vix sibi restituta, graviter illico cœpit laborare, & gravius, quam unquam fuerat. Ubi autem auletes vires, & tibiam resumpsit, Matrona momento sensit se malo levari.

Trigoni æstimatio.

Trigaut. l. 4. c. 4. CCXLV. Chiutaisò P. Matthæi Riccii in Mathematicis discipulus, vir celebris, cum post multa beneficia in P. Matthæum ægrum toto mense collata, muneris loco ab eo trigonum accepisset, aureis ille utrinque catenulis & carmine exornavit, quo dicebat, ac probare nitebatur, vitrum illud (quod pro gemma habuit) fragmentum esse materiæ illius, e qua cæli constant; vendidit deinde plus, quam quingentis florenis.

Astus in arena captatus.

P. Alex. Rhodes in hist. Tunquin. l. 1. c. 4. CCXLVI. Sclopetarius Lusitanus in Regno Tunquinensi animatus dexteritatis suæ in jaculando fiducia Tunquinensem item sclopetarium provocavit, uter rectius metam tangeret. Prior Tunquinensis (& excellunt in hac arte) centrum tetigit; Lusitanus igitur desperatus victoriam, astu usus est; ut enim suo honori consuleret, solo petum quidem ad metam explosit, sed nullo globo oneratum. Cumque vestigium in meta globi quærerent, nec reperirent, exclamavit, per idem se foramen jaculatum esse, quod Tunquinensis fecit.

Helveticorum ardor.

Paul. Jovius t. 1. l. 11. CCXLVII. Cum Galli Novariam tunc ditionis Mediolanensis, cui præerat Maximilianus Sfortia, oppugnarent, & jam tormentis murum stravissent ad Agapitanam portam: penitusque adaperuissent, Helvetii, qui intus erant, milites, vim tam instructi exercitus, & Gallorum minas ita despiciebant, ut nullum introrsus aggerem, more militiæ, nullaque prorsus ad sustinendum invadentis hostis impetum munimenta se erecturos profiterentur, frustra obsecrantibus belli Ducibus Italis, ut transversam saltem fossam juxta ruinas perduci sinerent; quin ad irridendam Gallorum audaciam, qui se mox irrupturos minabantur, nullique parsuros, lectorum linea transversis suspensa perticis contra hiatus prostrati muri prætenderunt, tum ludibrii causa, tum ne intus commeantes videri, aut certo jaculo peti possent, coactusque est hostis re infecta urbem deserere.

Dolor causa mortis.

Id. l. 19 CCXLVIII. Erat in bello Hungarico prioris sæculi inter Germanos Duces, insignis Raifachus, Svevus; hujus filius impiger adolescens, eum ignaro patre in aciem prodiisset, strenueque decertans, spectante ante alios & admirante virtutem patre, a cunctis effuse laudaretur, priusquam se explicaret, ab hostibus interfectus est. Tum pater equitis ignoti casu vehementer commotus, omni laude ac publici honoris funere tumulandum palam prædicat. Id cum omnibus probaretur, cadaver est ad patrem allatum omnibus lacrymantibus ex ejus conspectu: tum pater detecta casside agnovit filium suum esse, & repentino dolore fuit perculsus, ut paulo post cadentibus oculis stans ac silens mortuus conciderit.

Fraus in authorem recidens.

CCXLIX. Alboinus Rex Longobardorum e Regis Cunimundi, qui tunc in Italia regebat, a se devicti cranio poculum fecit, e quo ad memoriam victoriæ bibebat. Cum autem in solemni convivio præter alios etiam Rosimundæ, Cunimundi filiæ, conjugi suæ Patavii propinasset ex eo poculo, illa facinus eversata, clam subornatis Paradeo & Hermigio eum dormientem occidi curavit. Post hæc cum Hermigio, cui se desponsare volebat, ceu futuro post occisum maritum Rege, obstantibus Longobardis, quo minus regno potiretur, cum Regio thesauro profugit Ravennam. Ibi incidens in Lonninum Gubernatorem, ut ejus ultro ambientis nuptiis potiretur, statuit oblata post balneum potione venenata Hermigium e medio tollere, quam ei fore post balneum salutarem dicebat: At is vim veneni sentiens, stricto gladio eam adorsus: jussit reliquum exhaurire; ita ambo eodem tempore expirarunt. *Pietr. Maff. Alu. var. hist. p. 3. c. 19.*

Stupendus exercitus.

CCL. Citor urbs est in Sangæ Regno, ob majestatem & pulchritudinem umbella mundi dicta. Eadem urbs a Mogoris Rege centum quinquaginta millibus peditum, mille cum tormentis bellicis obsessa est; eorum erant quatuor basilisci, quorum singuli centenis bovum jugis trahebantur: sulphurei pulveris, & pillarum plaustra habuit quinquaginta, elephantes turritos ducentos, signato argento & auro stipendia militum vehicula onusta quingenta. Sed oppidani frustra hostem aliquamdiu arcere conati, præ desperatione in auri, argenti, & pretiosæ vestis acervos subjecto igne accensos se ipsos injecere: quo incendio, quod tres dies duravit, ad septuaginta millia sexus utriusque mortalium absumpta sunt. *Maff. hist. Ind. l. 12.*

Tamerlanis Fortuna.

CCLI. Tamerlanes, qui floruit circa an. 1390. initio fuit bubulcus, aut, ut alii volunt, pauperculus miles, Parthus gente, infimæ sortis parentibus natus, ingenio & manu promptus, & bellicosus; cum pecus adhuc puer ageret, per jocum ab æqualibus in regem creatur, jubetque mox omnes dictis suis parere; cui cum omnes jurassent fore obsequentes, jubet omne pecus vendi, & se suaque arma sequi. Ita intra pauculos dies circiter quingentos pastores & bubulcos colle- *Piet. Maff. p. 2. c. 35.*

git. Horum tyrocinium fuit mercatores expoliare prætereuntes, prædam inter suos optima fide distribuit, ut in dies plures accederent. Id ubi Rex Persiæ rescivit, jubet belli Ducem quemdam cum mille equitibus Tamerlanem capere. Sed Ducem ille ita delinivit, ut ex hoste amicus ei se adjungeret, & jam eum majora auderet. Interea cum Rex Persiæ a fratre quodam suo diffideret, Tamerlanes fratris causam propugnans, victoriam & regnum ei obtinuit. A quo creatus præcipuarum copiarum Dux, per speciem acquirendi nova regna, militem in regem concitat, eique regnum eripit, quod ante coquebat, factus Rex Persiæ. Exin patriam suam Saracenorum jugo liberavit, & Regem se suorum fecit. Paulatim deinde majoribus copiis Syriam, Armeniam, Babyloniam, Mesopotamiam, Scythiam Asiaticam, Albaniam, Mediam, & alias provincias, ac urbes occupavit. Fuit in suo exercitu seu tam felix, seu tam prudens, ut in tanta multitudine nunquam esset orta ulla seditio. Erat enim admodum justitiæ observans, liberalissimus, honoratus a suis & amatus, simul metu eos regebat & amore: habuit omnes ad nutum intentos. Ejus militia & exercitus videri potuit bene constituta & nobilissima orbis civitas, ubi omnis generis commercia vigebant, & annonæ fuit affatim. Nunquam toleravit furta, latrocinia, vim & injuriam, stipendia liberaliter persolvit. Dicitur habuisse in armis quadringenta millia equitum, & sexcenta millia peditum. Asia minore potitus Bajazetem Turcarum Imperatorem vicit, ac cepit, cum is ante Constantinopoli obsideret, ac inde hoc Asiæ discrimine avocaretur. Is etsi majoribus copiis, quam ipse Tamerlanes habebat, collectis, bellum iniisset ac pugnam, & haberet exercitatum militem, ipse Dux fortissimus, victus tamen fuit. Dicuntur cæsa Turcarum ducenta millia. Bajazetem captum Tamerlanes in ferream caveam inclusit, ac secum circumduxit, de micis mensæ suæ pascens, quas ceu cani ei objiciebat. Potitus Asia, Arabiæ regem, & Ægypti Sultanum vicit. Gaudebat, si hostem nancisceretur fortiter obsistentem, ut in eo vires ac industriam suam ostenderet. In obsidione urbium solebat primo tentorium albi coloris erigere: quo significabat, vitæ ac fortunarum se gratiam incolis facere, si se dederent. Altero vero die erigebat rubrum: quo ostendebat, se, cæteris salvis, urbis capita occisurum; tertio vero die nigrum: quod signum fuit, se funditus omnia eversurum. Scribens Pio Papæ, vocabat se flagellum Dei. Mercatori Genuensi sibi familiari, ac de crudelitate commonenti, quam in deditionis aliquando cives obvios exercebat, cum summa indignatione dixit, se Iram Dei esse. Postquam multa Regna ac Reges subjugavit, neminem amplius in tota Asia habens hostem, in patriam rediit, immensis cum opibus, atque ibi amplissimam urbem ædificavit. Tandem obiit ibidem ad extremum felix; filios reliquit, sed patri dissimiles, ac discordes inter se. Hinc Bajazetis captivi filii ac nepotes in Asiam profecti cum exercitu regna recuperaverunt. Idem actum est cum cæteris ejus regnis, ut jam de ejus posteritate nec umbra supersit. At Tamerlanes, dum vixit, felix, numquam fortunæ aut hosti tergum vertit: nunquam fuit victus: nihil tentavit, quod careret successu: nunquam illi animus, aut industria, aut consilium defuit.

CCLII. Cum Appius proscriptum se a Triumviris nosset, opes quas habebat, servis suis divisit, & cum eis navim conscendit, ut Siciliam trajiceret, orta ingenti tempestate, servi eum in lembum demiserunt, monentes illic a tempestate tutiorem fore, & ipsi cum navi, atque opibus abiere: sed ita pro justitia agente Deo, qui totius se in navi futuros duxerunt, paulo post cum navi demersi sunt. Appius autem quem servi in lembum demiserant, ut mergeretur, in Siciliam ventorum vi incolumis perlatus est. *B. Fulg. l. 4.*

Heliogabali monstrosa vita.

CCLIII. Contrarius omnino Tamerlano Heliogabalus Imperator Romanorum fuit: Fuit is filius Antonii Caracallæ, per omnes libidines infamis: cupiebat in fœminam excindi, & amore illius sexus obtinendi, cum diceretur Bassianus, voluit se Bassianam dici, omnes doctos urbe expulit. Inter hos fuere Sabinus & Ulpianus ICti, celeberrimi, curavit nunc se trahi a canibus currui junctis, a cicuratis leonibus, nunc a nudis fœminis; nihil edit, nisi quod maximo pretio constaret. Totus incidebat in auro, & gemmis etiam in calceis lucentibus. Terram, si equitare vellet, jussit aurea scobe insterni, ac tegi. Conclavia ejus & aulæ erant rosis, violis & liliis cooperta. Nullum indusium bis induit, nullo linteamine usus est loto iterum: nullum calceum bis pedibus induxit, nec annulum eumdem bis digitis, qui omnes erant gemmis & anulis pleni. Lampadem domi suæ balsamo instruebat præstantissimo. Matulæ erant e pretiosissimis lapidibus excisæ. Cibi ejus constabant ingenti pretio. Triginta auri libris, cum esset Imperator factus, cœnavit, hoc est, bis mille ac quingenti nummis aureis seu ducatis. Una aula constabant sexaginta millibus ducatorum. Media æstate in palatium curabat advehi montes nivium. Navigans nunquam comedit piscem, sed aves & carnes procul allatas: procul a mari distans pisces contra expetebat, qui percursores celerrimos debebant vivi afferri. Raras escas appetebat, quæ maximo constarent pretio. Sumebat linguas pavonum & lusciniarum, cristas gallorum vivorum. Suam quoque familiam delicatissime aluit pavonibus, perdicibus, capitibus psittacorum, phasianorum & pavonum. Canes alebat plurimos nonnisi anserum pulpa. Leones nutriebat carnibus psittacorum, & phasianorum. Instituit munia, & negotia nocturna, diurna interdixit. Ipse e lecto prodiit occidente sole. Si fuit in portu maris, animi causa jussit omnes naves mercibus onustas demergi: alebat adulatores, moriones ut jaculatores, eos oblectandi sui causa jussit interdum ita floribus & rosis obrui, ut interdum eorum aliquis suffocaretur. Quandoque cibos curabat sibi ad mensam afferri arte in ligno aut marmore expressos, & eos contemplabatur neque ede- *15. c. 16.*

bat: manus tamen non secus lavabat, atque si edisset, & ad singulos horum ciborum bibebat, & bibi ab aliis volebat. Alias hospites invitabat ad mensam, cujus omnia vasa erant e vitro, mappæ autem mensæ cibis ad vivum depicti inibi, famem, & pruritum famelicis convivis, & solo oculo pastis excitabat. Alias mappas adhibuit acu pictas, ad quodvis ferculum novas, immani sumptu. Sæpe invitabat nunc octo calvos, nunc octo gibbosos, nunc totidem podagricos, aut surdos, aut Æthiopes, aut adipatos, aut pumilos, aliosque octo eminentis staturæ. Omne vero aurum, quod mensæ adhibebatur, dono dein ejusmodi convivis dedit. Immane pretium iis persolvit, qui novum cibi aut condimenti genus excogitasset: quod si cibus novus ei laudatus non tamen sapuisset, in pœnam inventorem tamdiu voluit eo solo cibo vesci, dum alium suo palato gratum excogitasset. Amicis sopitis post convivium præ ebrietate, repente jussit in conclaves ursos, ac leones immitti, sed unguibus, ac dentibus carentes: quo terrore etsi vano perculsi multi obiere; magno sumptu curabat allunde adferri aliquas ferocissimas belluas. In omnem mortis casum habebat parata instrumenta moriendi pretiosissima. Habebat funes e serico, si quando necesse foret se suspendio interimere; venenum paratum servabat in ingenti pyxide, smaragdis, & hyacinthis distincta. Altissimam turrim struxit, vestitam intus tabulato ex auro, & argento, unde peodebant multa saxa, & pretiosi lapides, ut inde se præcipitaret, si usus posceret; volebat enim, uti insolito more vixit, ita insolito interire: sed vilissima morte sublatus est. A conjuratis enim in parvæ, & vili lectica, ubi latebat, deprehensus, & occisus est. Cadaver, canis instar per urbem raptatum, & circum Maximum, ligatum ad collum ingens saxum in Tiberim projectum est. Senatus nomen Antonini ei ab rogavit, & Tiberinum dici voluit.

Infans a lupa enutritur.

CCLIV. In Picardia in venatione luporum captus cum lupis fuit infans nudus annorum circiter septem. Hunc puellum novem menses vix natum pauperculi operarii uxor lignatum egressa, metuque custodum, qui silvas obeunt, aufugiens e silva præ metu oblita reliquit. Is inter lupos educatus, & illæsus, quia forte lupæ ubera fugendo ejus furorem lenivit, & in matris studium convertit, tamdiu duravit, donec post sex annos in alia venatione luporum & ipse captus est. Tum loqui paulatim doctus, & cicuratus est. Unde agnitus est ejus matris esse filius, quæ ipsum olim in sylva deseruit. Per septem inde annos pavit oves, quo tempore grex ab eo custoditus ita fuit, ut lupi in eum nihil auderent, etiam cum puer alia pecora pasceret, a lupis erant immunia. Id ubi a vicinis cognitum, ut fruerentur eodem privilegio pueri, alii pastores, aut suum illi pecus, aut ipsum ad pecus adduxere, ubi manu singula attrectavit, & saliva sua aspersa etiam canes ad quindecim dies ab incursu luporum servavit. Hinc multum argenti comparavit; de quavis enim pecude, cui manus imposuit, duos denarios, sive vigiotl crucigeros, exegit. Ubi vero attigit annum ætatis decimum quartum, ea facultas in eo desiit pecudes a lupis reddendi immunes, manibus terga vel auriculas mulcendo; quin & lupi ante illum accedere impune soliti eum nunc fugiebant. Hinc quia cessabat lucrum, pastoritiam vitam deseruit, ac militiam secutus, servus militis, mox miles cordatus ac fortis, sed prædator factus, tandem occubuit anno 1572. a Ducis Albani militibus cum cæteris cæsus in Flandria, dum contra Hispanos pugnat.

Lud. Gay. t. 2. l. 2. c. 30.

Amor admirandus.

CCLV. Veronæ virgo nobilis Julietta e Monteschiorum familia, jam nubilis, insciis parentibus se clam juveni nobili e Capeletiorum gente, cui cum Montefchiis capitales inimicitiæ erant, Romualdo se despondit, jungentes eos Laurentio ex Ordine S. Francisci de Paula. Post avunculus Juliettæ, cum Romualdum invaderet, is se defendendo avunculum occidit, inde aut sponte profugus, aut in exilium a Magistratu pulsus, secessit Julietta per speciem confessionis Laurentio casum queritur: Is data medica potione, & quæ ipsam ultra triginta horas dormientem teneat, ut pro mortua habeatur, jubet sumpto pharmaco in lectum concedere. Ita pro mortua habita & sepulta est in tumulo, unde Laurentius certa noctis hora habitu sui Ordinis indutam ad Romualdum exulem educeret, non procul ab urbe in alia ditione commorantem. Plerumque enim apud Italos cadavera non in angusta fossa sepeliuntur, sed in cavitatem quamdam fornice clausam deponuntur. Interea servus Romualdi missus Veronam ad Juliettam, reversusque ad herum nuntiat mortuam jam esse Juliettam, se sepulturæ interfuisse. Romualdus afflictus mutato habitu clam noctu Veronam ingreditur, & a servo adjutus, cum face apertam a se tumbam ingreditur, & dimisso servo post oscula cadaveri infixa, ut putabat, lethale virus sumit, & corpori Juliettæ immoritur. Paulo post discusso somno evigilans illa, ubi ad facem illam mortuum circa se videt Romualdum, ejusdem pugione se occidit. Superveniens Laurentius suscitaturus Juliettam, videt male a se peractam fabulam, ac postridie rem omnem enarrat.

Ibid. 4. c. 4.

Fortuna varia Conjugum.

CCLVI. Adelasia Othonis III. Imperatoris Filia pluribus Regibus, & Principibus petita in matrimonium, & a Patre negata clanculo de Saxonis Ducis Filio natu minori despondit, & sumpto secum argento aliquo, & gemmis virili habitu cum eo aufugit, cum illo extra Germaniam victura. In via suis bonis spoliati, & mendicare coacti, multis oris peragratis, coguntur denique in sylvam secedere, inter Astam & Savonam Italiæ urbes, ubi carbonariam per octodecim annos exercendo se maligne sustentarunt; tandem ab uno filiorum detecti sunt, miserante Deo; Filius enim ille Imperatoris arma secutus militiæ nomen dedit, & quia erat Othoni similis, & ideo habitus est Adelasiæ filius, agnitusque, parentum miseram

Ibid.

con-

conditionem Imperatori avo detexit. Is data iis venia, auctos magnis opibus, eos in Germaniam revocavit, sibi culpam ejus calamitatis tribuens, quod filiam tamdiu reliquisset innuptam.

Mortuorum parentatio admiranda.

Ib. l. 5. c. 3. CCLVII. Cum per centum milliaria cadaver Moguth, Tartarorum Imperatoris, ad montem Alchai veheretur, obvios quosque tam homines quam equos in itinere occiderunt, juxta communem eorum opinionem persuasi, eos etiam in altero mundo Regi servituros: ita ad viginti millia hominum occisa sunt. Praeterea per quatuordecim dies eidem, ac si praesens esset, mensa in palatio instructa est cibis, & poculis allatis. Sed haec non tamen inter Barbaros acta, quoad ultimam partem; sed etiam apud Christianos aevo prope nostro. Idem enim in gemina morte Henrici II. & filii ejus Francisci II. Galliae Regum accidit. Cadavera eorum balsamo imbuta, & plumbeo loculo inclusa, sub lecto deposita fuere, qui villoso serico purpureo intectus erat. Supra lectum collocatae effigies Regum, aureo panno tectum, regio cultu depictae junctisque manibus. Ad dextram in pulvinari serico rubro sceptrum, ad laevam in alio justitiae insignia, ad pedes in alio pulvinari aureo crux aurea, & paulo inferiori grado vas aquae lustralis argenteum inauratum. Supra hunc lectum pendebat sericum auro argentoque intextum conopaeum. Utrinque duo parva altaria cum candelabris inauratis, cereos albos ardentes sustinentibus, &c. Hoc situ per quadraginta dies cadavera mansere; quo tempore quotidie tam in prandio, quam in coena omnia allata ad mensam, & praestita officia fuere, atque si vivi Reges accumberent: carpti cibi, praegustati, porrecta lintea, & malluvia ad manuum lotionem praeberi solita; Cardinalis mensae benedixit, praebita phiala, quo tempore Regibus consuetum fuit bibere; dictae post mensam gratiae; addebatur tamen: *De Profundis:* & Oratio: *Inclina Domine aurem tuam*: assistebant mensae iidem, qui regibus vivis loqui tempore mensae solebant. Post hanc quadraginta dierum accumbendi mortualem pompam, nocte una omnis apparatus in nigrum fuit mutatus.

Mira in hostem clementia.

Ib. 10. 2. & l. 6. c. 2. CCLVIII. Inter Tartaricas historias Arabice editas habetur sequens historia; quae accidit anno Christi 1215. Imperabat Aethiopiae Isaac III. hujus nominis, quem nostri communi nomine Praetejan, sui Beldujan vocant. Juxta hujus regna, Occidentem versus, erat parvum regnum Piamphu dictum, septuaginta sex leucas continens, montuosum, & silvis plenum, auri & argenti ferax, satisque opulentum; habebat 50. urbes valde munitas. Huic praefuit tunc juvenis, Darius nomine, superbus, & erga Reges, & Monarchas vicinos parum reverens, ac observans, asserens, nullum se Regum timere. E vicinis fuit Cham Tartarorum Imperator; Argon Rex Indorum, & Isaac imperator Aethiopum; ut se contra omnes muniret, arcem munitissimam extruit in edito loco, & inaccesso, cinctam lacubus piscosis, & fontibus instructam. Interea cum Bajam Tartariae militiae Dux, post occupatas vicinas vellet & Darium esse Imperatori tributarium, aliorum exemplo; negavit se cuiquam velle subesse; ac Legatos confestim jussit pedem a ditione sua efferre. Bajam igitur, ut erat jussus, bellum ei infert. Sed Darius ex alto saxa, & trabes in hostes eo nocumento devolvit, ut intra tres menses quinquaginta millia hostium interierint, & cadavera pestem hostilibus castris inferrent. Itaque tantus exercitus victus, ac dissipatus nihil contra unum Regulum effecit, & infecta re rediit, etiam in reditu, qui fugae similis erat, ab hoste caesus. Doluit Bajamo tanta clades, ac dedecus, ut qui ante septendecim Reges vicisset, ac tributarius Regi suo fecisset. Cui tamen Cublay (ita vocabatur Rex Tartarorum) minime succensuit, cladem fortunae tribuens. Sed paulo post mortuo, cum tres filii essent inter se discordes, Darius nactus otium, & pacem opulentam, Legatos ausus est ad Aethiopum Regem mittere, qui ejus Filiam sibi in matrimonium postularent, & quidem primogenitam. At Isaac indignatus haec Regulum arrogantem audere, affirmat Legatis, se Darium, si coram adesset, occisurum; sed nec ipsos impune evasuros; mirari se Reguli illius insolentiam, audentis petere filiam ejus Regis, qui septuaginta duo Reges haberet fiduciarios: horum quemlibet esse Dario potentiorem: quod vero ei nocere absenti non possit, ipsos coram luituros. Tum jussit adesse septem robustos Aethiopes, qui Legatos cum tribus comitibus nudatos jubebantur virgis caedere ad sanguinem usque; spectante Rege. Dein donatos jussit ad Darium praegnantem simiam ferre, uxoris loco: Dolere se, non potuisse ictus eos Dario infligere, quos ipsi ejus causa tolerassent; atque ita dimisit. Est autem apud Reges Aethiopes consuetum virgarum supplicium, uti non ita pridem (ait Gugon) jussit suum Cancellarium coram virgis caedi. Darius irritatus eo dedecore, ac responso, cum Rege Zeilano contra Isaacum foedus init, quod praeputio suo praeciso stabilivit, factus ex Idololatra Mahometanus, juravitque se nec Christianum, nec Idololatram unquam fore. Ita exercitu instructus quadringentorum millium, non indicto prius bello Aethiopiam invadit, omnia vastat. Isaac subito convocatis militibus, egressus ipse cum centum millibus, trecenta millia suorum habet obvia, & plures quotidie confluebant: Hostem nactus ad pugnam provocat, dum ejus classis hostiles interea naves in portu exurit. Neque hostis pugnam detrectat, victores Aethiopes hostium ducenta millia occidere, capti 30000. equi 10000. plerique magni pretii. Isaac paria victoria Deo se gratum exhibuit publicis supplicationibus institutis. Neque tamen animos hostes posuere, sed anno sequenti majori cum exercitu reversi alio loco Aethiopiam adorti sunt. Vigilabat interim Isaac, & intra tres menses hostem iterum ad pugnandi necessitatem adegit. Darius ardens vindictae studio, dum e Proceribus unum sternit Isaaci, ratus Regem se occidisse, suos

jam fugam meditantes ea fama revocat, sed iterum vincitur; & extra fines Æthiopiæ cum suis ejicitur. Non tamen destitit denuo ad belli societatem solicitare jam fessos, & quia opes jam erant exhaustæ, a quodam Dinasta Cambalæ in China magnam pecuniæ vim mutuam sumpsit, datis suis filiabus in pignus. Interea Reges de Manvonge (qui postea factus est Christianus Æthiopum ritu) & de Termeda, viri prudentes, & amantes pacis, sancire pacem in Æthiopum Regem, & Darium, ac Mahometaoos studuerunt: quod & effecere. Æthiopes quoque Insulas omnes a se captas reddiderunt, ac insuper ducenta millia librarum auri, & libertatem captivis omnibus Christianis. Qui vero apud Isaacum essent ex hostibus captivi, si vellent redimi, in capita singula octo libræ auri penderentur, & horum erant 40000. Darius reversus domum, & penitus ære omni exhaustus, damnare bella, & dolere præputii jacturam cœpit. Isaac coquebat tacitam in Darium vindictam, quod necem sibi machinatus esset, & in se alios incitasset. Sed quia videbat, eum in suis terris invadi ob annonæ inibi inopiam non posse, dolebat, consilia sua frustrari: ac per duos annos vindictam meditando ac desperando se emaciavit, ut commiseratione sui apud suos crearet, cum esset Princeps bonus & liberalis. Igitur septem juvenes nobiles in aula ejus enutriti conjurarunt coram Rege, numquam se reversuros, nisi aut occiso, aut vivo secum adducto Dario. Ita bene precat Patriarcha, a Rege & aula discedunt maximis promissis onerati; & ad Darium contendunt, a quo excepti, rogatique causam adventus, ajunt se fugitivos esse, quod virgis, ob sævitiem in ejus Legatos exercitam, & a se coram Rege improbatam, essent cæsi; rogare se transitum ad Regem Groxelan, cui bellum cum alio Rege esset; velle enim se militiam sequi. Sed captus Darius indole Juvenum, eos secum retinuit, suasu etiam consobrini sui; qui tamen eos voluit ad explorandam eorum mentem in molestis ministeriis aliquamdiu exerceri; & erat suasor ille Legatus olim a Rege Æthiopum virgis cæsus. Jussi sunt ergo extra arcem dormire, & Regem cum aliis comitari, quod fecere per quatuor menses. Subinde Javæ majori Rex bellum contra Regem Bantam suscipiens, cogebat Regem petere, qui ei 1200. misit, ducibus senis juvenibus; septimum enim natu minimum domi retinuit. Et ita feliciter Regem illum juverunt, ut semper Javano Rege superior, ex omnibus eum arcibus ante occupatis expelleret. Et hi demum ope Proregis Ommuziani pacem iniere. Ita victores rediere ad Darium, nullis promissis a Rege Bantam retenti, magnis spoliis, & præmiis gravés, quæ Darius, etsi oblata, illis remisit. Hinc ita eos cœpit amare, ut absque eorum consilio nihil ageret. Quin & Legatis olim cæsis dictabant modum Regis Æthiopum occidendi, si bellum denuo illis esset. Tandem cum solis illis septem, & aliquot ephebis ad venationem leonum egressus est; ubi cum in uno configendo frustra laborassent, fatigati in silva, & umbra quiescunt, & mox unus e se-ptennis duos ephebos occidit, omnes Regem invadunt, & equo alligatum per ignotos calles ad maris portum, & inde navigio in Æthiopiam ad Regem suum perducunt. At Rex nihil in illum crudele statuit, sed pastoris habitu iodutum jussit porcos pascere; quod per annos duos præstitit. Tertio anno Regio denuo vestitu iodutum jubet ad se educi, & eum allocutus, video nunc, inquit, quam exigua sit potentia tua, quando in tuomet Regno captus, in meo subulcum egisti: & nunc, si tollere te velim e medio, nemo est, qui prohibeat; te inquam, qui ausus es filiam meam ambire, cujus postrema ancilla vix dignus esses; accedit, quod Mahometi te addixeris, & ejus sectæ Regibus adjunxisti. Sed vides utique causæ meæ tutorem Deum. Darius agnoscit errorem, precatur veniam, & cupit pro mancipio a Rege haberi, felicem se tunc fore. Imperator ei respondit: Quia te submisisti, & agnoscis, te me longe inferiorem esse, ac nihil mihi comparandum, posthac amici loco te habebo: ac totius victoriæ loco mihi satis est, fuisse in potestate mea, potuisse te occidere, si lubuisset. Tunc jussit naves parari, quibus ad mare, & inde ad regnum suum reduceretur, multa nobilitate comitante, regiis etiam donis ornatus. Eo tempore Darius, quamdiu vixit, singulari veneratione Isaacum prosecutus est, & omnem de se fastum posuit.

CCLIX. Summa clementia usus est Justinianus primus, Imperator in Vitigem Gothorum Regem populi Romani hostem cum a Bellisario captivus Constantinopolim missus fuit: quoniam non ut hostem captivumque, sed ut amicum habuit, patritia enim dignitate decoratum, magnæ eum provinciæ Persis finitimæ præfecit; ubi honoris & opum plenus aliquod tempus vixit. *Ib. n. 2. l. 3. c. 4.*

Vesperæ Siculæ.

CCLX. Postquam Anno 1267. Carolus Andegavensis invasor Siculi Regni, evocante ad id Clemente (non, ut alii, Urbano) Pontifice, Conradinum Svevum Ducem, & legitimum Regni illius hæredem, bello vicit, & a fuga anuli indicio, prodente nauta fuit cum Friderico Austriaco Neapoli capite plexus, Gallicæ copiæ, & ministri in Sicilia omnia rapinis, & libidine complebant. Hinc instigante præcipue Joanne Prochyta, cujus uxorem deperibat, Siculi conjurarunt, omnes se Gallos ad unum interfecturos, quotquot in Insula essent; id factum est 1281. ipsa die Paschatis, & conventum fuit, ut, cum daretur campanis signum ad vesperas, omnes in Gallorum necem ruerent. Ita intra duas horas cædes Gallorum facta, & excidium, nec fœminis, nec parvulis, nec senibus indultum, si quæ fœmina nupta Gallo uterum gerebat, e dissectæ utero partus evulsus. Ultra novem millia occisa, ducenti, vel trecenti in arce securi conditionibus certis vitam soli servarunt. Martino dein Pontifice Gallo, nequicquam ulcisci gentis suæ injuriam volente, Siculi Petro Arragoniæ Regi se dediderunt. Et ex eo tempore Sicilia penes Hispanos in hunc diem mansit. *Tulges l. 1.*

Ma-

Matutinum Parisiense.

Id. l. 4. c. 1. CCLXI. Anno 1571. Parisiis fuere Matutina S. Bartholomæi æque cruenta Sabbato in Dominicam urgente. Tunc enim, ut Protestantes, quorum tunc admodum insolescentium dux fuit Admiralis de Castilon, cum suo duce tollerentur e medio, qui magno numero & pompa nuptiis Henrici Regis Navarræ cum Margarita Regis Galliæ Caroli XI. sorore, & Principis Condæi cum Marchionissa de Isle aderant, una hora omnes occiderentur, duabus horis post mediam noctem 24. Augusti campanæ ad S. Germanum datum est signum. Tunc edita strages, nulli ætati ac sexui indultum. Alii prætextu religionis etiam hostes suos Catholicos occidere; alii etiam suos fratres, & cognatos hæreditatis obtinendæ studio. Cæsa dicuntur sex, ab aliis octo, ab aliis etiam duodecim millia. Hos inter primus fuit Gasparus de Coligny Galliæ, ut diximus, Admiralis: eodem furore occubuit Petrus Ramus, Eloquentiæ & Philosophiæ Professor Parisiis: Hanc sævitiem aliæ quoque urbes Galliæ in Hugonottos secutæ sunt, ut mense non toto viginti millia eorum sint cæsa. Sancerræ urbe Galliæ quidam præ rabie evulsum hominis occisi cor crudum devoravit.

Stratagema elusum.

Planch. in Pulgal. l. 1. c. 1. CCLXII. Tempore Michaelis Orientis Imperatoris Arabes parabant Edessam astu occupare. Quare duodecim e præcipuis secum quingentos camelos duxere, quorum quilibet in duabus utrique cistis duos milites latentes ferebat. Fingebant hi, se dona Imperatori ferre, & securitatis causa petebant in urbem ea nocte recipi. Interim mendicus Armenus, peritus linguæ Arabicæ eleemosynam petit ab iis, qui nondum urbem erant ingressi, & audit militem e cista vel corbe rogantem cæteros, ubinam locorum modo essent. Mendicus igitur ad urbem festinus Gubernatori rem narrat. Is duodecim Primatibus convivium instruit, ac secum retinet. Eodem tempore cum suis urbe egreditur præsidiariis, & e corbibus extractos Arabes ad unum necat: tum duodecim ductores occidit, excepto uno, qui manibus, ac naribus mutilatus rei gestæ nuntium ferat.

Martyres Idolorum.

Anton. Conven. hist. Orien. l. 3. c. 6. CCLXIII. In Regno Indiæ Garcopa, & civitate ejusdem nominis, Pagodes idolum magno ritu, & curru circumvehunt. Rotæ currus præminentes habent clavos instar novaculæ acutos: durante supplicatione multi accedunt, & Pagodi vitam suam consecrant: flexis enim genibus humi profunde prostrati rotis currus se subjiciunt, a cujus simul pondere oppressi, & rotarum aculeis acieque minutim secti, pro sanctis, deinde, & Martyribus habentur. Multi se alii ante currum ita sauciant vulneribus, ut mortui ante Idolum corruant. Horum Pagodum superstitioso cultui deditus Rex Cochineosis non ita pridem mortuus, habitusque pro viro prudenti, & gubernandi perito, aliquando gubernatione posita, pauperis habitu quinque ipsos annos ad Pagodes Indas solus, & ignotus peregrinationem instituit, multa, Idoli gratia, probra, & miserias perpessus, ceu apud nos Alexius aliquis. Reversus ad Imperium, dum iterum similem peregrinationem suscipit, in itinere moritur. Ejus filius, & regni hæres patrem secutus, quotidie multas horas domi se inclusit conclavi, ubi cultui Pagodum vacabat; & cum esset ægro corpore, ea severitate, destructa valetudine, ultra annum regnum, ac vitam non tenuit. Monitus a Medicis, ut sibi parceret, neque longis precibus, solitudine vitam sibi faceret breviorem, respondit, pluris se facere minimum pietatis in Pagodem exercitum, quam milles vitas, quas tamen omnes, si totidem haberet, libentissime in Pagodum suorum cultum impenderet.

Mater a filio male tractata.

CCLXIV. Mater quædam exprobrabat filio, Cordier
quod ab illo male haberetur, cum tamen ma- c. 4. S. 2.
ter esset, & novem mensibus eum in utero gestasset. At filius illudens matri: Cum me concepisti, inqnit, voluptatem, non me, quærebas: cum tulisti utero, & genuisti, non potuisti naturæ cursum impedire: at officium, quod erat proprium matris, lactare scilicet uberibus tuis, mihi negasti, & ab ortu meo me a te repulisti.

Puella urbem servat.

CCLXV. Cum pressi arcta obsidione, & fra- Id. l. 4.
cti insultibus incolæ Insulam, ac urbem Mi- c. 2.
tilenen dedere jam cogitarent (quæ, & Lesbos dicitur) & jam Genuenses, qui eam tenebant, & cives impares defensioni se putarent; puellas eos hortata, & precata est, ne Christi causam contra infideles desererent, & arma inducens, mœnia, quæ quassabantur, accessit, taliaque edidit facinora, ut alii omnes exemplo permoti, mutato consilio, urbem tuerentur, ac tandem Turcarum stragem ederent, ut vix tertia pars hostium ad naves redierit. Ea dicta est a quibusdam Ariana, filia Græci Sacerdotis. Ac facinus hoc edidit post Joannam Gallicam annis septuaginta tribus.

Salomonæum judicium in prole agnoscenda.

CCLXVI. A scorto Romano Germanus mi- Id. l. 4.
les abiit, quo diu abutebatur, exercitum se- c. 1. m. 8.
cutus: postridie in amores Hispanus involat: meretrix post novem menses, cum Germanus rediit, elegantem prolem masculam enixa est, uterque voluit esse parens. Litem Philippus Archintus urbis Gubernator decidit, puer, bellarys, quæ sitim provocarent, data opera datis, a Gubernatore detinetur, dum sitiat: rogatis, num bibere placeat: cum infans e binis vini, & aquæ lagunculis, quæ offerebantur, frigidam strenue hauriret, Germanus eum, ut degenerem, aversatus, ultro causa cessit, magno astantium plausu, & Philippi laude, qui inde Salomon a suis dictus est.

Po-

Podagra curata.

Steph. Binet. in 1 hora a-grot. c. 3. §. 4. CCLXVII. In Gallia quidam podagra erat sellæ misere affixus sine spe convalescendi. Erat ibi homo stultus e Burgundia, qui sclopum nactus, cum aliam jaculandi metam non haberet, exoneraturus animi causa, in ægrum collimat, & jam paratus explodere, jubet obvium sibi quemque consulere; Æger ubi videt, ni fugiat, actum de se esse, nec a quoquam juvaretur, ut evaderet mortis periculum oblitus podagræ fugit, insequentem dein ac globum exultabunde explodere gestientem stultum pari celeritate conatur evadere, donec ea festinatione penitus convaluit. Gaudens igitur se metam laborum contigisse, stulto sua extorquet arma, & ad suam reversus, sellam, fulcra, baculum, sclopum, sphyngem in fasciam compingit, & incendit.

Oculi effossi restituti.

Franc. de Roler. post hist. 5. CCLXVIII. Scribit Franciscus Guicciardinus, Hyppolitum Estensem Cardinalem amasse puellam, cujus formam, quia timebat, fratri suo Julio fore obnoxiam, quærit ex puella, quid potissimum in Julio amet: respondet illa oculos. Julius ergo mox in venatione insidiis fratris oculos amittit, omnino erutos, quos tamen Medici tam apte restituerunt, ut iis posset ut ante uti.

Mutatio fortunæ.

Zell. cent. 2. ep. 37. CCLXIX. Quidam ab Anneberg in Misnia ex auri aliorumque metallorum fodinis in eas opes excrevit, ut cuivis Principi par esset, quoties in publicum, vel balneum vehebatur multo comitatu cinctus, substratos pretiosos tapetes auro illusos calcabat; in balneo deaurato, vinoque malvatico macerato pane pedum soleas patiebatur sibi atteri fricarique, ut exin magis ad cibos, & potum excitaretur. Ac demum in eam paupertatem incidit, ut ante templorum fores, & ostiatim mendicaret.

Frigus mirabiliter pulsum.

Ib. Epist. 62. CCLXX. Bernardus ab Harfeld, dominus in Waldenberg, cum per septentrionales Regiones Liflandiæ, Islandiæ, &c. rheda veheretur, virum juvenem frigore prope extinctum, & rigidum rhedæ imposuit delatumque ad hospitium, hospiti curandum tradidit, qui hominem toto corpore in frigidam demersit; unde cum extraheretur, frigus extractum e corpore fuit, totumque corpus velut crustra glacie fuit obductum: tum hospes ei poculum mulso plenum mixtumque contuso cinnamomo, cariophilis, flore moscatæ obtulit, lectoque bene texit ad sudorem usque; ita convaluit, nisi quod extrema acumina digitorum dentiumque excidere.

Conscientiæ remorsus.

Scathz-kammer rerum memor. CCLXXI. Hospes in Germaniæ celebri urbe servum habebat, qui hospitis filiam sæpius pro conjuge a patre petebat, sed negabatur, licet ipse probe cætera cum fide domi administraret. Interea hospes cum conjuge, & filia thermas adit, administratione domus servo committit, qui mercatorem illic divertentem clam necat, spoliat, & in stabulo sepelit. Reversо jam domino, fingit se litteras accepisse, quibus juberetur, patre mortuo domi hæreditatem adire: abit ægre ob fidem indulgente hero, exhibitis prius octoginta ducatis, velut in subsidium viæ domo missis, paulo post redit iterum auro gravis, & spe majoris domi repositæ fortunæ ab hospite filiam impetrat; vivit cum illa honeste, fit Senator. Porro in Senatu aliquando sententia capitis ferenda in latronem erat, cum ille sceleris conscientia prope excruciatus statuit se Magistratui cædis reum prodere. Mane ille ab uxore laute se cupit haberi, se & male habere, & causam debere gravem ac diuturnam in magistratu ferre. Apponitur inter alia caput vituli, quo ille conspecto, humanum caput, exclamat, appositis: persuasus ægre vituli illud caput esse, parum de cæteris libat. Dein in curia jussus sententiam in latronem dicere, se ait cædis reum, seque nil aliud petere, quam ut simplici confessione contenti, tormentis abstineant plura elicere, se hujus unius sceleris conscium, petere, ut lata in se capitis sententia, morte conscientiæ supplicia evadat. Laborare primo animo creditur, cum constanter idem diceret, tandem cum latrone in foro capite plectitur.

Ludus puerilis infelix.

CCLXXII. Anno 1551. 21. Nov. in pago quodam prope Anneberg rusticus vitulum jugulabat, eviscerabatque, spectantibus parvulis liberis, qui, absentibus paulo post parentibus, patrem imitaturi, in cunis jacentem parvulum fratrem cultro jugulant, quo facto in furnum, aliqua sceleris puerilis conscientia impulsi, se abscondunt; donec mater cæde visa reliquos in furno reperit. *Ibid.*

Homicidium mire detectum.

CCLXXIII. Lucensis, quidam mercator in Anglia diu commercia exercebat, ibique morabatur; cum desiderio patriæ Lucæ domum conducit, post sex menses secuturus, & ibi reliquam vitam exacturus. Igitur ex Anglia cum Gallo famulo profectus, venit in civitatem Rotomagum, ubi aliquot dies moratus, viam & iter Parisios instituit; cum prope urbem Argentillam montem conscendit, a suomet servo occiditur, cadavere in proximam vineam conjecto. Paulo post eodem die cœcus cum duce cane præterit, qui audito ejulatu vocis auctorem sciscitatus, ab ipso latrone docetur, ægrum quemdam decessisse. Cœcus ita pergit, & famulus ditatus Parisiis debita extorquet, exhibitis in eam rem syngraphis. Interim in Italia toto anno mercator expectatur: tum amicis ex Italia in Angliam hominem ablegant, qui de die discessus ejus Londini edoctus, Rotomagum redit; ubi intelligit, ante sex menses hinc mercatorem divertisse, aliud se nescire: Nuntius magistratui rem indicat, qui severi tribunalis Judicem *Ibid.*

& Ma-

& Mamecum Bigot Regii consilii Roanensis Advocatum jubent, inquirere. Judicis jussu primo lictores jubentur explorare, num quis a sex vel septem mensibus tabernam aperuerit. Exploratur quidam; tum Judex fingit litteras debiti duorum millium coronatorum, quos mercator ille novus spoponderit, se oppignorata vita, & fortunis certo tempore soluturum. Jussus mercator solvere, negat, se debere, hac occasione negantis ad carcerem ducitur; in via imprudenter mercatori excidit, hanc rem se facile diluturum, sed num aliud Judex moliatur? Lictor, quid fecerit, scripto Judici tradit; qui nixus imprudenti mercatoris quæstione cum solo agit humaniter: se quidem colore alieni debiti eum captivum habere, rem autem aliam latere; certum enim se esse, ab eo Lucensem civem occisum; se, licet testes non desint, malle rem silentio transigere. Mercatorem hominem exterum, & ignotum Patronis carere; ipsum, si sibi non desit, facile posse elabi. Hoc dicebat Judex, velut aurum sitiret, quo speraret se corrumpendum, licet nihil minus cogitaret. Tum latro, divinitus hoc evenisse, ut res detegeretur, se soli rem dicturum. Tum judex ratus rem salvam fore, scribam publicum vocat, qui dicta consignet. At reus videns aliud agi, negat omnia, & in carcerem re infecta mittitur. Ubi ab aliis captivis edoctus, ad aliud tribunal appellat, Judicemque ac lictorem reos agit, & quidem falsi ob fictas debiti litteras. Citatus ergo Judex magistratui seriem omnem recenset, quo facto aliquantum quiescitur. Bigot vero clam Parisios profectus, facinoris indicia collecturus, prope Argentillam docetur ab illius loci Prætore ab aliquot mensibus in vinea cadaver jacere, prope a canibus, & corvis depastum: cujus rei testes tabulæ Bigoto datæ. Dum hæc fiunt, mendicus ille cœcus, a Bigoto stipem petit in hospitio, qui cœcus, ubi de illorum controversia audiit, recenset, quæ nuper prope vineas evenissent; Bigotus ex illo quærit, num hominis, quem tunc compellasset, vocem nosset? Respondit ille, se non dubitare. Quo dicto Bigot secum Romam mendicum equo ducit: Romæque ea fam, & cœci sermones, ac indicia exponit. Cœcus igitur denuo a Magistratu rogatus, omnia repetit, neque dubitare, quin e voce sit angiturus homicidam. Tunc ad reum a longe ducitur, ac sine mutua compellatione ad eliciendas sceleris notas exhibetur. Mox viginti homines temere jussi singuli loqui, quibus auditis rogatus cæcus, num quis hominum esset? Respondit, neminem ejusmodi vocem habere. Ultimo, cum reus loqueretur, ait, hunc ipsum esse, quem nuper in vinea respondentem sibi audisset. Sed ne fraudis Judices possent argui, aliquoties ista vocum permixtio facta est; semperque a cæco idem responsum, quo facto ipse latro pro reo habitus, & tortus, omnia fassus est. Denique rota fractus.

Constantia in urbe defensa.

Lipsius mon. polic. l. 1. n. 7. CCLXXIV. Rex Castellæ Sanctius Tariffam (olim Carteja, sive Tartessus) de Mauris ceperat, sed anxius tenendi ob hostium viciniam, & immanes sumptus, suscepit ultro in se curam Alphonsus Peresius Gusmanus, Bonus dictus, & partem stipendii de suo daturum promisit, Rex alia ageret: Paulo post frater Regis Joannes ad Maurum transit, & copiis ab eo acceptis Tariffam obsidet. Cives nil trepidant, & obsessi. Interim filius Alphonsi in agris interceptus, capitur, & ab hoste ad evincendam deditionem ostenditur, interfecturos se, nisi Alphonsus urbem dederet. At ille negat, si vel centum filii periclitentur: gladiumque ad interficiendum filium per mœnia dejicit, ita abit, & prandet. Mox ejulatus civium denuo vocat, quærentique Alphonso: quæ consternationis causa? refertur, filium a Barbaris occisum. Hoc erat: inquit; credebam urbem ab hostibus captam. Ita pari tranquilitate ad mensam, & uxorem rediit.

Vanitas rerum mundanarum.

CCLXXV. Gilimer Rex Wandalorum, in Africa a Belisario victus, in excelsum Numidiæ montem Pappum fugit: Illic aliquandiu tolerata obsidione, desperans ad Pharam misit, a quo Belisarii imperio obsidebatur: Actum super deditione, simulque petitum, panem sibi mitti spongiam, & citharam. Panem levandæ fami, spongiam siccandis oculis, citharam leniendo animo. Dedit ea Pharas, & mox se Gilimer, qui ad Belisarium deductus, nil nisi risit. In ipso triumpho Bizantii ad Justinianum, & Theodoram Augustos adductus, id tantum dixit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ib. l. 2. c. 11. n. 11.

Judicium hominum perversum.

CCLXXVI. Polycletus eodem tempore duo simulacra sculpsit; alterum ad arbitrium plebis, alterum juxta artis leges. In priori ad singulorum hominum accessum, & mentem transposuit, & commutavit aliquid, uniuscujusque judicio obsecutus. Ita proposui utrumque: alterum, quod omnes sunt admirati; a populo vero mutatum toties risere. Tum ille: Atqui illam vos fecistis, alteram ego. Ælian. l. v. 4. c. 15.

Augusti humilitas umbratilis.

CCLXXVII. Augustus Cæsar, templa, etiam alias pro Consulibus poni solita in nulla Provincia, nisi communi suo, Romæque nomine suscepit. Argenteas statuas sibi positas conflavit omnes, & inde aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit. Dictaturam magnam ei offerentes populi, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est. Domini appellationem ut maledictum, & opprobrium semper exhorruit. Cum, spectante eo, pronunciatum esset: O Dominum æquum, & bonum, indigne tulit, atque edicto vetuit, se Dominum dici; nec a liberis quidem vel serio, vel joco. Oppida ingredi, egredique aut mane, aut noctu, solebat, ne quem officii causa inquietaret. Sueton. in vitam. Augusti.

Equus stulte honoratus.

CCLXXVIII. Caligula, equi (cui nomen In- Idem in Calig.

Incitatus erat) stulto amore captus pridie Circenses ludos, quos equi causa indixerat, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat; præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monilia e gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati haberentur, Consulatum quoque creditur destinasse.

Partus mirabilis.

S. Morini. l. 2. hist. c. 1. CCLXXIX. Auco Rex tertius Regni Tunquinensis, prolis loco monstruosum partum habuit, centum scilicet ova uno involucro, quæ deinde pullorum instar sunt suis ovis exeluta, centum masculi. Ne vero olim inter eos rixæ orirentur, facta est separatio: Mater cum quinquaginta filiis in montes secessit, Pater cum totidem mare petiit; facta divisione regnum accepit Huvuong, & ex hac familia Reges octodecim secuti sunt; donec deficiente prole mascula unicam Regis filiam montani simul, ac marini hæredes prensarunt. Tandem Rex decrevit ejus fore filiam, qui prior ei (gentis more) dotem afferret. Prævenit maritimus: quare montanus indignatus tantum non desperavit; & cum maritimo, Thui Tinh dicto, inimicitias exercuit: Unde montanus, San Tinh dictus aquas mari quinquennio subtraxit, ne flumina intrarent; Unde hæc aquis destituta navigationi reddebantur inutilia. Ex ea fabula nata est opinio, etiamnum retenta, fluxum, & refluxum maris esse certamen, quod a duobus illis rivalibus originem habuit: & si vident fluxum maris retro fluminum agentem, ajunt, Thui Tinh bellum montano facere; si autem aqua refluat, a San Tinh hostem maritimum repelli.

Victoria mirabilis.

Idem. CCLXXX. Exciti cives, & incolæ Tunquinenses jubebantur arma contra An Regni Tunquinensis invasorem ferre, cum in ditione, Che Dan dicta, triennis infans loqui matri, & agere de bello incipit. Accito etiam Mandarino, tunc inibi milites cogenti nuntiat, Regem velit adire, rem ejus bono loco, & salvam fore; modo sibi mittat ferreum equum, & centum sportas oryzæ, ac totidem vini bonæ mensuras, eam annonam ut accepit, in præsentia plurimorum omnia absumpsit. Dein equum ferreum conscendit, & virga ad cursum incitat, ut volare magis quam currere videatur, quo in cursu viam ita aperuit, disjectis stirpibus, ac ramis arborum ut regni exercitus laxe transire potuerit. Tum vero, dum hujus ope Rex hostes triumphasset, puor rebus gestis elatus, indignatusque minora meritis præmia sibi a Rege dari, in summitatem montis cum ferreo suo equo cursus, inde uno saltu in cælum penetravit.

Sabel. l. 5. CCLXXXI. Pipinus Rex cum cætera Italia Gallorum dicto pareret, Venetique soli omnium suæ memores libertatis, patriæ jura tuerentur, litorali ora Gallicis armis domita, Rivo alto, (sic enim dicta est pars urbis celeberrimæ) minaciter imminebat, aderatque Pipino ingens exercitus, & cui ne Italia quidem tota, non modo Venetiæ partes obsistere posse crederentur: verum modicus armatorum numerus in cymbis sedentium validissimam ratem, qua Galli vehebantur primo fatigavit: inde vento Veneto adjutus Gallicos conatus non solum fregit, sed hostem aquarum angustiis colluctantem adeptus, partim ferro confecit, partim soluta rate medio stagno depressit.

Sumptu inaudito Legatus exceptus.

CCLXXXII. Quidam Rex Tunquinensis, ut ostenderet, quanta in Regno suo esset serici copia, insanos sumptus fecit. Excepturus enim Imperatoris Chinensis, a quo, ut ejus tributarius, novum supra alios Reges titulum petebat, Legatum toto suo regno jussit promulgari, ut quidquid serici in toto regno per triennium colligeretur, suis impensis exquisite laboraretur; & ut vasalli essent ad hoc promptiores, omnia eis tunc tributa remisit. Ubi autem intellexit, Legatum ante monitum a se per nuntium, in procinctu esse, curavit viam omnem Damasceni operis serico insterni ac ornari, quamvis longa & lata ea esset: hoc est, a Chinensis Regni finibus usque ad Regiam suam urbem, ita quidem ut & solum incedentes Damasceno serico exciperet, & superne umbella instar cortinæ regeret. Accedebat ad viæ majestatem, quod & obstantes montes æquarentur, & valles implerentur, & obliquæ fierent rectæ viæ: flumina vero pontibus jungerentur, ita ut totum iter rectissima linea duceretur, nec aliud supra vel infra quam sericum appareret: quo etiam columnæ fuerant obductæ, quibus tentoria seu perpetuus papilio incumbebat. *Philip. de marinis l. 2. c. 3.*

Regentis laus unde petenda.

CCLXXXIII. Confusius Chinarum Plato, cum ad urbem accederet, quam unus e discipulis suis gubernabat, Zù Lù dictus, totus gestiens exclamabat: O quam bene gubernat Zù Lù: idque repetiit, cum in urbe fuit, ac tertium dixit, cum ejus palatium intraret; rogatur a discipulorum uno cui Zù Cun nomen, cur ter Zù Lù laudasset, priusquam de ejus moribus & gubernandi ratione fuisset edoctus. Cui ille: Quid necesse est, inquit, inquirere in ejus vitam? an non clara voce agri loquuntur bene culti, viæ bene stratæ, aquæductus integri, vineæ cultæ, arata terra, horti fructibus & peregrinis arboribus pleni. In urbe ipsa ædificia sunt restaurata, muri refecti, & munitionibus firmati. In palatio autem vidi aulam, ad discendas causas factam, non litigantium jurgiis perstrepere, se tandem agere, ut patrem inter filios. *Idem.*

Stultitia Regis sapienter correcta.

CCLXXXIV. Rex quidam Travaucoris invidebat Brachmanibus, quod eorum origo, sua, qui Rex esset, nobilior haberetur; quare unum e Brachmanis rogat, num fieri possit, ut & ipse salva Regis dignitate posset fieri unus e Brachmanis? Cui alter respondit: Facile id esse, si curaret fundi vaccam auream intus excavatam, & ita capacem, ut ipse in *Id. c. 10.*

Vea-

ventrem introire, vel utique noviter conceptus posset per ejus os exire. Ibi enim in eo ventre posse illum Regis, & Brachmani personam nancisci, ut Rex sit simul & Sacerdos, prius non amittens, & secundum nanciscens. Rex gaudio gestiens curat mox vaccam ex auro fieri, & eam jam senex subintrat, & per os exit jam novus Sacerdos, & festum haberi cum diem, ut natalem suum, voluit: ac ut esset facti memoria lætior, illius anni tributum populo remisit. Interim Brachmanes aurea vacca ceu spolio gaudebant. Hunc errorem Regi quidam e volgo ingeniose detexit. Ubi enim didicit diem huic secundæ nativitati dicatum, eum jumento in foro apparet, quod erat macrum, gracile & parvum: illud spectante Rege pectinabat eburneo pectine, aqua odorata lavabat, blandiebatur manu, ac lautios ei pabulum dabat, ita denique tractabat, ut Rex inde recreatus scire voluerit, quis ille joculator esset. Ubi vero intellexit, eum hominem prudentem, ac ingeniosum esse, ad se vocatum rogavit, cur ita blande asinum illum tractaret? Cui alter respondit: Ut asinus iste fiat equus. Tum Rex, recte dixi, inquit, hunc hominem stolidum esse: quis enim unquam vidit, asinum fuisse mutatum in equum? Cui alter: Ego, ait, stolidus habeor, quod ex asino fieri equum velim, & Rex ille sapiet meus, qui sibi persuadet, posse se e Rege fieri Brachmanem ex aurea vacca?

Fraus admiranda detecta.

Idem l. 4. c. 4. CCLXXXV. Bonzii Tunquinenses, ut ipsi Christianorum more, viderentur, mira patrare, in eum finem juvenem educarunt, stolidum, & præ atra bile ita stupidum, ut verbum proferre nullum posset. Tum vulgarunt passim, illum esse idolum e cælo demissum, volentem in ipsorum monasterio habitare, Deum aspectabilem se reddidisse. Credidere omnes vera dici. Unde undequaque multæ ac lautæ veniebant eleemosynæ, & ut plura dona consequerentur, Idolum vivum passim per pagos circumduxere serico & auro tectum idoli instar, & pagi illi opidum beatum credebant, cui licuit illud excipere: hinc passim adorabatur. Tandem favente fraude ausi sunt Bonzii etiam civitatibus idolum suum inferre, triumphi instar. Fuitque summa pompa & veneratione receptum. Gubernator Provinciæ Australis ad se quoque evocavit, & licet Bonzii sibi male conscii timerent, fraudem suam detectam esse, aut detegendam, ubi tamen videre Gubernatorem flexis genibus idolum venerari, fronte in terram demissa, plaudebant. Ita probe ditati & saginati Bonzii metuebant, ne tandem fraus pateret. Statuunt igitur idolum occidere, ac publicare, idolum in curru igneo velle ad cælum remeare per ignem. Fama ad Regem defertur & Reginam: a quibus ut & cæteris ad tam longum iter multiplex annona & munus offerebatur. Bonzii dein locum deligunt, Phuong Tax dictum, ubi rogens theatrum fecere, & ingentem ligni struem ac materiam igni obnoxiam accumularunt, ut cito Deus conflagraret. Tum idolum potu incantato fecerunt sui impotentem, & sine sensu, ac regio more vestitum, cum regia corona & sceptro inter plausus, & populi innumeri acclamationes in theatrum eduxerunt, & rogum inibi positum. Et mox facto ingenti silentio, Gubernator primus omnium idolum adorat, tum alii ab eo precantes salutem corporis, opes, thesauros, & bona hujus vitæ alia, in quibus suam felicitatem ponunt. Immobilis ille Pagodes & extaticus videbatur eam personam cum majestate tueri. Finita oratione, e summo illum Bonzii in pyræ fundum dejicere, & mox accenso rogo ex omni parte vivum exussere: ubi mox suffocatus interiit, ac ita combustus est in cineres, ut ejus nullum vestigium superesset, id quod Bonzii volebant, ut dum nihil de ipso videretur restare, crederetur in igneo curru ad cælos evolasse. Bonzia tunc allecta tanto honore, qui ei dolo habebatur, & animata a Bonziis ac persuasa, statuit exemplum sequi, ac & ipsa ad cælum hac via abire, ac esse Regina. Jam enim illic regem esse præmissum, qui eam in cælis coronaret. Applausit populus, savitque Bonziæ: quare exitu eodem vitam finitura in eumdem se mox rogum injicit, & pari modo consumitur. Ut autem deinceps hoc facinus Bonziorum non erumperet in publicum, matrem idoli exusti subornarunt, e vulgo fœminam, ac os ei 50. scutatis obturare nisi sunt; sed tamen res tandem erupit.

Perfidia raro supplicio punita.

CCLXXXVI. Ante paucos annos Bassa, cui Babylon erat commissa, ultimum sibi supplicium a Turcarum Imperatore metuens, ultro ad Regem Persarum, Abbas nomine confugiens deditionem urbis illi obtulit. Sed mutato consilio illum advenientem delusit. Tandem ab ipso obsidetur & capitur, & ut duobus Regibus perfidus inaudito supplicio perimitur. Nam per triginta dies opipare vescens dormire prohibetur: cum autem somno pressus, dormitaret, statim præacutis stimulis confodiebatur. Sic intolerabili mortis genere perfidiam luit. *Philipp. a S. Trinit. Carmel. in itin. Orient. l. 2. c. 7.*

Judæis non fidendum.

CCLXXXVII. Cum Judæi ex Hispania essent pulsi, unus horum Christianum rogabat, ut se securitatis causa ad Castellæ limites comitaretur. Hoc ubi Christianus fecit: In digressu Judæus valedicens Christiano: Fuit, inquit, inter nos magna necessitudo; sed cum tibi summa darem benevolentiæ signa, scias, me te intus capitali odio prosecutum: Quare hoc documenti loco a me vetus amicus habe: noli Judæo cuicumque, quamvis amicus tibi videatur, unquam fidere. *Idem l. 4. c. 6.*

Divitiæ divini amoris in nos signum.

CCLXXXVIII. Nigritæ olim circa annum 1504. ubi cum Christianis consuetudinem iniere, illuc commercii causa adventantibus, nostram legem Mahometi prætulere ut sanctiorem: sed ideo, quod Christiani essent locupletiores, addebant: Nos utique a Deo nostro valde amari, quod tot largiatur divitias, *Aloys. Cadamust. in navig. cap. 36. & n. 5.*

& tot

& tot animi corporis dotibus honestet: neque posse hanc legem nisi a bono conditore proficisci. Legem interim suam non deserebant: sed in utraque lege dicebant locum esse salutis. Eorumdem Nigritarum Princeps Aloysio Cadamusto dicebat: Nostram quidem legem sibi probari, suam vero ad salutem esse faciliorem. Vobis, inquit deinde, datum est præsentibus bonis frui, & erit præsens vita vobis pro Paradiso; nos vero quia adversis varie exercemur, scimus, non defuturam æternam felicitatem, quia tolerati laboris, & malorum præmium nondum sumus consecuti.

Hominum devoratio.

Vespuct. in navig. Americ. c. 97. CCLXXXIX. Vidi (ait Author cit.) quemdam perditissimum hominem, qui gloriabatur, se supra trecentos viros devorasse. Vidi etiam in domo cujusdam Indi caroes humanas non secus salitas pendere, ac apud nos suilla, vel alia caro fumo durata suspenditur.

Mahometis sepulchrum gloriosum.

Ludov. Rom. Patric. in navig. l. 1. c. 12. & 13. CCXC. In urbe Medinathalhabi templum quadringentis columnis fulcitur; Mahometis vero sepulchrum tria millia lampadum ardentium habet. Verum corpus ejus non extare. Dux agminis, qui Caravanæ in Americam abeunti præerat, sic indagavit, dum evocato ad se Mahometis antistiti promisit quadraginta millia aureorum nummorum, si corpus Mahometis ibi, ut ajebant sepultum, ostenderet. At Præfectus delubri, sibi dictus, quasi lymphatus respondit: Audesne his oculis, quibus tot scelera patrasti, eum videre velle? At alter: Si viderem prophetam Mahometem, eo viso, ait, se sibi bina lumina effossurum. Demum deprehensus: Vidi, ajebat, Mahometem in cælum ab Angelis ablatum esse, & Christum ad ejus pedes sedere.

Venenum impune hauriri solitum.

Idem l. 6. c. 2. CCXCI. Sultanus Cambriæ, quæ urbs est ad fluvium Indum sita fuit tempore Romani Patritii, cui mane surgenti debebant semper adduci quinquaginta elephantes, qui a totidem viris reverentiæ causa jubebantur Regi genua flectere. Pilis e superiori labro enascentibus non secus caput vincit, ac mulieres capillis. Veneno ita assuevit, ut quotidie sumat ceu cibum. Si quem velit e Satrapis mori, ad se accersitum nudari jubet: Dein ipse fructus, & herbas venenatas a se in ore masticatas in eum expuit, & ita miser intra dimidiam horam moritur. Habet quatuor millia concubinarum, semel enim una ab ipso attacta altera die moritur, ejus vestes depositas nemo attingit.

Placere Regi pro summo pretio habitum.

Idem l. 6. c. 16. CCXCII. Persa quidam cum Romano Patritio ceu amico peregrinatus, merces suas omnes Regi Regum dono obtulit, cui Rex vicissim gemmas offert in permutationem: sed cum Persa denuo gratis hæc se Regi dare profiteretur, ait sufficere sibi, se tanto Regi placere. Rex ai scrinium bipalmare aperuit, in varios forulos gemmis variis plenos distinctum; & ei optionem sumendi gemmas, quas vellet, obtulit: At Persa nihil volebat contingere. Tum Rex nolens, se liberalitate vinci, cum magna amoris significatione e singulis forulis ei gemmas promit, atque donat; quarum erant ultra ducentas, quæ æstimatæ sunt centenis aureorum nummorum millibus.

Juvenes ad magna facinora astu excitati.

CCXCIII. Circa annum Christi 1240. & seq. fuit in Persiæ ea regione, quæ Muiete dicta est, Princeps pessimus, quem senem de montanis duxere, Mahometanus. Iste sicarios sibi adjunxit, & per eos, quos voluit, occidit: ut omnibus terrori esset. Erat in terra illa vallis amœnissima, montibus altissimis septa: intra quam viridarium plantavit maximum, & pulcherrimum. In eo horto palatia quædam struxit elegantissime exornata, in quibus omnia sensuum oblectamenta, & voluptatum illecebras collocarat, quibus pro voto fruebantur juvenes quidam intra viridarium positi, qui inibi vitam suo, & suorum more beatam ducebant. Erat autem in introitu horti arx fortissima diligenti custodia munita, per quam solam aditus ad hortum, & inde exitus patebat. Extra locum illum habebat senex ille, cui nomen Alaodin, juvenes quosdam, & viros fortes projecti animi, quos educabat ad hoc ipsum. Eos Mahometis lege imbui curavit; & ut ad omne vitæ periculum adeundum ipsos faceret paratiores, cum ei visum fuit, dabat eis potum soporiferum: ita sopitos in viridarium curabat deferri: & cum e sopore evigilarent, ac viderent inter tantas esse delicias, putabant se in cælum raptos cum Mahomete vivere, & promissis olim ab eo gaudiis frui. Post paucos vero dies, eos denuo medico potu sopitos referri e cælo illo temporaneos jussit. Tunc illi ad se reversi, ac tristes ob ademptam illam voluptatem mori optabant, ut ad eum locum redire sibi post mortem liceret. Tum eos Tyrannus hortabatur, ut fortibus factis eam felicitatem studerent promereri, effecitque, ut ad omnia intrepidi discrimina, terrori omnibus essent, multique potentes viri Tyranno facti sunt tributarii. Sed anno demum 1262. Aliam Rex Tartarorum eam arcem obsedit, ac post tres annos cepit arcem, & Tyrannum cum omnibus ejus asseclis, ac delevit. *Paul. Venetus l. 1. c. 28.*

Occisi ad demortui Regis obsequium.

CCXCIV. Quando Tartarorum Magnus Cham Mongu fuit ad sepulchrum in monte Alchain deductus mortuus, ex ea persuasione, qua putant in altera vita eidem ab occisis serviri, ad viginti millia obviorum hominum sunt occisa, & jussa in altero mundo suo Regi servire. *Ib. c. 54.*

Rara Regis in subditos benignitas.

CCXCV. Magnus Cham tempore M. Pauli nuntios quotannis misit per omnes provincias, qui referrent, num quæpiam damnum passa esset, aut a locustis, aut vermibus, aut peste alia. Tunc enim talia passis remittit tri- *Ib. l. 2. c. 24.*

tributa pro eo anno, & pro victu, & femente fruges fubmittit; quas tempore ubertatis comparat in eum ufum, eas vendit tunc minimo pretio, quadruplo minore, quam alii venderent. Si peftis animalia invafit, iterum tributum eo anno condonat; ne viatores errarent, arbores viarum indices difpofuit recta femita, & ferie. Quotidie per totum annum circiter triginta millia pauperum alit.

Verfa rufticum melle merfum liberat.

Paul. Jovius de legat. Mofcov. CCXCVI. Retulit cum multo omnium (quos inter ipfe Auctor fuit) rifu Demetrius legatus, proximis annis viciniæ fuæ agricolam, querendi mellis caufa in prægrandem cavam arborem fuperne defiliiffet, eumque profundo mellis gurgite, pectore tenus fuiffe hauftum, ac biduo vitam folo melle fuftinuiffe, cum vox opem implorantis in ea filvarum folitudine ad viatorum aures penetrare nequiviffet; ad extremum defperata falute urfæ beneficio inde extractum fuiffe: cum forte ejus belluæ ad edenda mella fe demittentis caudam retro manibus comprehendiffet, eam fubito timore exterritam ad exiliendum traxit, & clamore concitavit.

Homines feri lenitate cicurandi.

Plutarc. in Fabio. CCXCVII. Fabius maximus, cum militem quemdam Marfum animadvertiffet nonnullos ad tranfeundum ad Annibalem folicitaffe, non eum exacerbavit; fed merito incufandos ajebat Duces, qui eum non pro virtutis merito honoraffent; pofthac fi qua re tibi opus erit, ait, nifi me appelles, te infimulabo. Tum equum ei eximium donat, aliifque præmiis decorat. Hinc eum fideliffimum habuit, ac promptiffimum. Turpe enim ducebat, equos nos, & feras, cura, affuetudine, & educatione cicurare malle, quam flagellis, & catenis fævitiem beftiarum domare; hominibus autem qui præfit, non ftudere benevolentia, & lenitate potiffimum eos corrigere, fed afperius tractare, quam caprificos, pyros filveftres, oleaftros agricolæ, quos in ficus, pyros, oleas cicurant, ac manfuefaciunt.

Mufica leniens Oratoris impetum.

Idem in Tiber. & Gracche. CCXCVIII. Cajus Gracchus, quia inter dicendum fæpe invitus auferebatur ab ira, ut vocem concitaret, in maledicta erumperet, & conturbaret orationem, adhibuit remedium, & Licinium fervum non infulfum juffit inftrumento mufico a tergo dicentis inftructum confiftere. Ubi voce fenfit concitatum, & ira tonantem, remittebat molliter, ac incitabat chordas: & ita fulmen orationis temperato fono fymphoniæ admodum revocabat.

Orationis vis actione pofita.

Idem in Demofth. CCXCIX. Demofthenem querentem lamentabiliter, quod ipfe tam laboriofus Orator, qui in eo ftudio vires abfumpfiffet, populo tamen non placeret, fed temulenti naturæ indocti audirentur cum plaufu, ipfe rejiceretur: Satyrus mimus confolatus juffit quædam Euripidis, & Suphoclis carmina memoriter edifcere, ac pronuntiare. Quæ ubi recitavit Demofthenes, eadem repetiit Satyrus ac tam decenti cultu, & actione dixit eos verfus, ut Demofthenes effe alios putaret. Hinc didicit, quanta fit vis atque dignitas actoris. Hinc enatum ejus ftudium, ut in cella fubterranea vocem, & actionem fecum conformaret; fæpe duos trefve menfes illic latens: quin, & caput rafit dimidium, ut pudor ei neceffitatem manendi imponeret.

Pifcatus hominum rarus.

CCC. Marcus Brutus in Lycra cives urbis Xanthi omnem humanitatis ejus obftioate refpueotes, & fe dedere nolentes, oppugnabat. Amnis urbem præterfluebat: hunc fub aqua cives tranantes fugam capiebant; fed excepti retibus fuerunt tranfverfo alveo in altum demiffis, quorum in fummo tintinnabula appenfa illico irretitos prodebant. *Idem in Bruto.*

Magicus conatus elufus.

CCCI. In Leodienfi ditione oppido Hugo, vel, ut alii, Dinanto noctu ad diverforum duo venere, qui ad caminum mortuo abfciffam manum, clam ancilla, quæ fola vigilabat, obfervante, accenderunt in digitorum fumitate, qui omnes arfere, excepto uno, quem accendere nullo modo potuere. Sufpicati unum in domo vigilare, egreffique domo, focios vocant. Puella interim conata familiares excitare non potuit; fures per feneftram irrumpentes e fcalis deturbat, aliunde irrumpere volentes impedit, dum luminis memor, id flatu extinguit. Ita omnibus exfufcitatis fures fugantur, qui poft aliquot dies capti, facinus confeffi funt. *Delrio lib. 3. difquif. q. 2.*

Tragicus Concionatoris luxuriofi exitus.

CCCII. In Hifpaniæ celebri urbe Concionator magni nominis, & Religiofus viri nobilis uxorem ad flagitium folicitat; illa cafta renuit, indicat marito; qui fubornata fabula, jubet eam fimulare affenfum: ipfe cum fuis in conclavi alio armatus lenonem expectat; adeft vocatus a muliere; quæ a præfente iterum folicitata, fcelus recufat: Ille (ut erat armatus pugione & gladio habitu fæculari) minatur. Illa exclamat, fed nemo audit. Ergo fola unguibus, & dentibus pugnat, ac faciem deformat. Alter gladium ante depofuit, dorfo adhuc pugionem habuit; hunc arreptum mulier in tergum fcelefti demergit, & eum occidit, cadaver in plateas ejicit, prius ad conclave currens, maritum & omnes reperit fopitos. Sufpicata igitur maleficium fuit. Interea circitores nocturoi in cadaver incidunt, cum pugione & gladio abjectum, ferunt ad carcerem, facie lota vix tandem agoofcunt, eum effe concionatorem. Prætor fileotio fuis imperato, ad Monafterium pergit, ac omnes cum Priori adeffe jubet, habere, quæ velit omnes fcire. Adfunt omnes excepto uno, & hunc jubet accerfiri; eo non reperto, & claufo ejus cubilis oftio, tandem vi aperiunt; & ibi in camino vident facem ardentem, obfcura luce. Mirantibus omnibus Prætor rem omnem narrat. Dum cadaver effertur ad fepul- *Ibidem.*

tu-

turam, adest vir nobilis & uxor, recensentque quid acciderit. Conferuntur temporum momenta: reperiunt evigilasse momento, quo fax extincta est.

Legatum impium punitum.

Idem l. 2. c. 1. CCCIII. Colonellus quidam in bello Mantuano 163. post plurimam collectam prædam mortuus est, prius condito testamento, ut exequias quam sumptuosissime sibi facerent; reliquum omne mox a funere cæteri regionis illius ministri lasciviendo & luxuriando abligurirent; nec finem prius facerent, quam omnia absumpsissent. Executi sunt impigre defuncti ducis commilitones, cumque nocte quadam vino & luxu maderent, ortus subito strepitus est, quasi innumeræ per gradus catenæ traherentur, donec ad corporantium conclave turba & horror pervenit. Cohorruere omnes, præsertim, ubi sponte janua referata ingentem ante fores conclavis ignem, & inter ignis flammas quemque sibi ipsi exhibuit. Ex quo pavore turbatus conventus, alii paucis post diebus mortui, alii post menses aliquot, ita tamen, ut omnes intra anni unius (nisi fallor) spatium obierint, uno excepto, qui adhuc vivit tragœdiæ oculatus testis, narratque ipse palam.

Curiositas graviter castigata.

Idem l. 2. p. 4. c. 38. §. 3. CCCIV. Quidam, ut motum mirabilem Martis agnoveret, diabolo se devovit, si eo deferretur, ubi rem prope posset inspicere. Dum his cogitationibus intentus in cubiculo sedet, a spiritu quodam arreptus cubiculi tholo allidituir, ac ter quaterve circumactus, in terram cum impetu deturbatus, his additis verbis: Sic est motus Martis.

Barba pro scapulari agnita.

Athanasius Kircher. c. 24. §. 2. CCCV. Urbano VIII. Pontifici vir quidam Helvetus, peregre Romam profectus, post peractam visitationem sacrarum ædium, fuit ad osculum pedum ejusdem Pontificis admissus. Is habuit tam longam ac latam barbam rufi coloris, ut totum pectus ac genua tegeret: adeo ut Pontifex, dum eum alloquitur, paternitatis titulo ceu Monachum sit allocutus, ratus, se non barbam, sed scapulare Monachorum videre, ut ipsemet postea errorem fassus est.

Ultio fœminea crudelis.

Ibid. c. 12. §. 4. CCCVI. Jeracitæ, urbe Siciliæ prope Catanam, cives duo in foro, verbis se dein pugionibus in rixa lacessebant; ubi unus lethali vulnere accepto humi corruit, alter evadere fuga nitebatur. Sed uxor sancii re intellecta accurrit, & arrepto mariti pugione fugientem consecuta, confodit, pectus aperit, cor extrahit, & marito jam animam exhalanti ostendit, hortata, ut lætus moreretur, quod non inultus obiret.

Fur astu cæci elusus.

Ibid. c. 33. §. 2. CCCVII. Antonius Panormitanus de rebus gestis Alphonsi Regis l. 3. Audivimus, ait, a Rege Alphonso, cœcum natura Agrigenti adhuc vivere, quem sæpe ducem venationis habuit, monstrantem oculatis ferarum latebras. Is aureos quingentos in agro defodit, a vicino compatre visus; & clam eo auro spoliatus est. Revisens cœcus thesaurum, cum non invenisset, furem conjiciens, hominem adit, ait, se mille aureos habere, de his quingentos se jam defodisse, de reliquo anxium esse: si consultum judicet, velle se eodem loco etiam reliquum defodere. Alter annuit ratus, ita se prædam totam nacturum, sed ne reprehenderetur, festinavit ablatos quingentos auros restituere veteri loco, auferendos denuo cum reliquo auctuario, & cœcus reversus suos quingentos abstulit, & lusit.

Nasus pro oculo usurpatur.

CCCVIII. Henricus Smetius testatur, vidisse cœcum, naso pro oculo utentem. Is dextro oculo adhuc puer privatus, tandem juvenis (rusticus erat) e cerato in palum acutum delapsus vultum impegit, ut nasum una cum oculo sinistro, gena, palpebra utraque & supercilio dirumperet, adeo fœde, ut chirurgus oculi globum avulsum prorsus crederet, eumque palo hæsisse. Cicatrice tandem obducta post annum, dum in gramine apricatur, forte lucem ac flores cœpit per nasi cavitatem animadvertere: & jam per quinque vel sex annos continuos ita visionem exercet, ut omnia videat, despectando, suspicando antem ferre lucem nequit.

Organœdus mirabilis.

CCCIX. P. Georgius Stengelius lib. de monstris c. 16. §. 9. refert, se anno 1618. vidisse Ingolstadii in conventu virum quemdam mediocris staturæ, manibus & brachiis carentem: qui in mensam insiliens, excussis calceis, digitis pedum organum scitissime pulsabat. Si folles attollens negligentior fuisset, plano pede excussam alapam ei dabat; scite panem & cibos aliaque scindebat; vinum uno, altero pede cantharum tenens sibi infundebat; chartis dein cum sociis lusit; eleganter scripsit, acum filo inducit, citius sartore & sutore. Georg. Steng. l. c.

Fringilla se voce articulata ad cantum animans.

CCCX. Deusinglus in dissert. de ratione & loquela brutorum n. 68. testatur, vidisse fringillam (*Finck*) quæ quoties ad cantum se componebat, aliquoties prius hæc verba præmisit: mascule; ac dein cantum auspicatam fuisse. Apud Scottum l. 2. c. 39. asser. 4.

Canis mensæ structor.

CCCXI. P. Athanasio Kircher Romæ Princeps Gallicanus spectaculum canis exhibuit, cum Pater ad eum inviseret, hunc herus jussit hospiti mensam apparare. Acurrit mox canis, a domino clavem petit, stringit dentibus referat occlusum scriniolum, depromit mantile, mappulas, orbes, cultros, cochlearia & alia, sternit mensam, distribuit orbes cum mappulis cultrisque, & fructus Idem l. 6. c. 10. §. 4.

afferrendo, mandata nova capturus hero se sistit; jubet prius exhibita hospiti reverentia saltare, saltat: objurgatur, tristatur, & velut exanimis corruit, manetque immotus, nec clamoribus, nec verberibus excitatur; tandem jussus surgere, blanditur, & fabulam finit.

Equus astu impetratus.

Idem l. 8. c. 34. §. 1. CCCXII. Petro Gregorio Tolosano teste, Episcopus quidam equum habebat generosum, & sibi charum; hunc ut Episcopi frater donare nollet, quem equitabat frequenter, & dum calcaribus urgeret, dicebat: *Deus in adjutorium meum intende*, & simul calcaria valde infigebat, ut equus territus crebro saltu se attolleret. Ubi igitur dein Episcopus in via cum Sacellano suo matutinas preces recitat, & illa verba: *Deus in adjutorium* &c. dicit; equus ad ea verba calcaria timens Episcopi, homo militaris, ab eo equum, ut Episcopo parum competentem, hoc astu extorsit.

Mira leonis in ursum ultio.

Ibid. c. 11. §. 9. CCCXIII. In Pangæo Traciæ monte Eudemus ait (referente Aeliano l. 3. c. 21.) ursam leonum catulos interemisse; eam injuriam ut parentes catulorum ulciscerentur, cum ursa in arborem conscendisset, leæna arbori assidet, leo vero fabrum forte ligna in silva cædentem, qui præ metu leonis passus erat sibi securim excidere, blanditiis induxit, ut se sequeretur, securim ipse leo ore tulit. Ad arborem venientem fabrum etiam leæna invitabat ad arborem succidendam, quod ubi fecit, delapsum cum arbore ursum lacerarunt, & fabrum inviolatum ad veterem locum reduxerunt.

Imprecatio filio fatalis.

Nieremb. hi.3. nat. l. 6. c. 12. CCCXIV. Pompilius seu Popelus Poloniæ Rex dicere consueverat: Ut me mures devorent! is filium habuit, Pompilium secundum dictum, qui relictus post patris obitum in ætate puerili, patruis interea regnum administrantibus, adultus uxorem duxit. Tunc eum convivia celebrantem, & ebrium mures invadunt de cadaveribus patruorum, quos ipse & uxor ejus veneno peremerant, ingenti magnitudine egressi, & in Regem ac conjugem filiosque insiliunt, morsicantes, frustra militibus abigere conantibus: durant diu noctuque, exstruuntur ardentes foci, & in medio eorum Rex cum Regina & Filiis locantur. Sed mures per medias flammas penetrantes, illos parricidas rodere non cessant. Dein cum navi in stagnum veherentur, mures iosecuti naves rodebant & reos illos, ut aqua perforatis rimis submersionem minaretur. Ideo navis submersionem veriti, in litus navem eduxere: ubi alia caterva murium occurrens juncta prioribus, eos acrius infestabat. His visis defensores divinam ultionem agnoscentes, omnes fugerunt. Rex protectoribus nudatus recepit se in turrim altiorem in Gruswicza, ubi mures raptim ascendentes, duos filios, uxorem, & facinorosum Pompilium consumpserunt, ac devoravere.

Anseres furem prodentes.

CCCXV. Anno 1628. quidam Nigrita in Libia noctu furatus imaginem Pueri Jesu, cum jam prodiret cum illa, obvium habuit anserum gregem. Hi impetum in furem facientes, morsibus eum detinent, pars avolavit ad Cœnobii campanam, quam quidam pulsantes, quidam vero horrende gracitantes excitarunt incolas, qui furem deprehenderunt. *Id. c. 99.*

Annales vivi.

CCCXVI. Cum P. Didacus de Torres Prolo Roma Procurator Peruanus rediret ad Provinciam, fundaturus Provinciam Quito; forte in quadrivio vidit Indum, qui ad tympani sonum solus stabat, cantans lingua sua Chinensi res varias. Rogat Pater ab aliquo adstante, quid sibi hic homo velit? qui respondit, hunc Indum curam habere Archivii, & ut memoria retineret res a diluvio gestas, debere ex officio quovis die festo ad tympani sonum ea repetere canendo, & id nunc eum facere. Atque ut hæc memoria numquam aboleatur, eidem incumbere, alios docere, qui ei mortuo in illo munere suo succedant. Et nunc quidem canenti argumentum hoc fuit: Tali anno venisse hominem album, Thomam nomine, qui mira patravit, & prædicavit legem, quæ eum tempore denuo desiit. *Ibid. l. 1. c. 4.*

Sugillata subditi opulentia.

CCCXVII. Ferdinandus Rex Neapolis invitatus a viro nobili, cujus fides Regi suspecta erat, cum apud eum tantam opulentiam videret supellectilis, uni suorum dixit: Hic habet multa mobilia, sed timeo, ne habeat pauca stabilia. *Emm. thesaur. in Connoct. c. 7.*

Varia litterarum S. P. Q. R. interpretatio.

CCCXVIII. Illud Romanum insigne S. P. Q. R. varie, & argute nunc amici, nunc hostes sunt interpretati. Sibylla traxit inde præsagium; Romam fore olim caput Ecclesiæ, sic interpretans: *Serva Populorum Quem Redemisti*. Beda præsagit inde Gothorum stragem, imperium Romanum affectantium: *Stultus Populus Quærit Romam*. Hæretici nostritemporis contra Pontificem sic explicarunt: *Sublato Papa Quietum Regnum*. Contra Catholici pro Pontifice exposuere: *Salus Papæ, Quies Romæ*. *Ibidem.*

Amicus ante uxorem, & liberos servatus.

CCCXIX. Abauchas in Borysthenensium civitatem applicuit, secum adducens uxorem, quam unice diligebat, & liberos duos, masculum lactentem, & puellam septennem. Comes erat itineris Gyndanes, atque is ex vulnere laborans, quod in via acceperat a latronibus. Noctu dormientibus orto incendio, flamma totam domum circumdedit. Ibi expergefactus Abauchas, relictis liberis plorantibus, repulsa uxore, quæ inhærebat, jussaque, ut se ipsa servaret, amico in humeros sublato descendit, & perrumpens evasit illæsus cum amico. Uxor feminsta cum liberis evasit, *Lucianus in Toxari.*

puel-

puella prope extincta. Abauchæ dein cum probro daretur, quod desertis liberis atque uxore Gyndanem extulisset, eis respondit; liberos denuo parere haud difficile, & incertum, utrum hi boni futuri sint. At diu perquirendum, dum amicum inveniam, qualis est Gyndanes, cujus amor mihi multis argumentis est exploratus.

Gloria quomodo paranda.

Lucian. to. 2. in Harmonide. CCCXX. Armonides apud Lucianum rogavit Timotheum Magistrum suum, ut in arte, quam ab ipso didicerat (sed erat tibicen) posset clarus, & celebris evadere; cui Timotheus respondit, eum multitudine, coram qua lusurus esset, gloriam consecuturum: ut autem innotescas, inquit, utere arte tua, & in theatris quidem non numquam; parum tamen tibi curæ sit promiscua vulgi multitudo; compendiaria, facillima ad parandam gloriam via est, si collectis Græciæ optimatibus, & paucis illorum, qui dignitate præcellunt, artis tuæ egregium specimen exhibueris, illique laudis suæ testimonio te honestarint; tunc omnibus Græcis illico te innotuisse, & passim inclaruisse, putato.

Nemo sine luctu.

Lucian. ver. hist. l. 2. CCCXXI. Demonax quemdam filii sui mortem immodice lugentem accessit magum se professus, ac filium se ab inferis reducturum, si tantum tres homines nominare, quos numquam ullius obitum luxisse sciret. Cum ergo diu multumque hæsitaret, nec unum talem posset producere, ait tandem Demonax: Ergo te solum in toleranda mala perferre putes, cum luctus expertem neminem videas?

Paupertas Regia ingeniose sublata.

Ferstnar. ad lib. 16. cap. 5. ex Mariana de rebus Hisp. CCCXXII. Henricus III. Hispaniæ Rex, cum ex aucupio coturnicum domum reverteretur aliquando, domi nihil pro se paratum vidit; rogatus causam, œconomus respondet, Regiis vectigalibus absumptis, etiam fidem esse absumptam. Miratus Rex, arietinas carnes pallio oppignorato emi continuo mandat; quibus, & coturnicibus, quas cœperat, prandium parat. Sero die cum Procerum præcipuos apud Archiepiscopum Toletanum cœnare intellexisset, ipse Rex nocte tectus, & pallio obvolutus, secreto illuc tendit: ubi omnia delicils diffluere vidit. Remotis mensis, varii inter Proceres sermones habiti, quantum quisque copiarum sub se haberet, quantum ex regiis vectigalibus perciperet. Rex indignatus, postera die valetudine simulata, Proceres ad se evocat singulos. Sub meridiem ferro tectus, districtoque gladio ingreditur in magnum conclave, ubi rei eventum suspensis animis expectabant. Assurgunt illi, Rex assidet, trucique vultu Toletanum rogat, quot Reges antea nosset? idem ex aliis quærit; aliis tres, quibusdam quatuor, aliis quinque respondentibus, Rex omnes ait mentiri; cum hac sua ætate minimum viginti Reges in Castella regnent. Mirantibus dicti causam, Vos, inquit, omnes Reges estis, magna Reipublicæ calamitate, & nostri Nominis ignominia. Sed ne diutius imperetis, neque Regem ludibrio habeatis, vestris capitibus continuo sanciam; simul magna voce lictores evocat, militesque sexcentos, quos arcano paratos habebat. Procumbentibus tamen, ac veniam petentibus, dedit quidem, sed non ante, quam Regiis arcibus traditis omnibus, aurique pondere præsentato, quod erat 150. millionum Maravediorum, quod occupatis Regiis vectigalibus debebatur.

Subditi Regum suorum simiæ.

Juglar. in veris. 1. §. 6. & 10. CCCXXIII. Galli omnes sine cincinnis mox comparuere, ubi Rex Franciscus saucius in capite, coactus est illos deponere. Idem fecere Hispani, quando Carolo V. in morbo Barcinonæ capilli exciderunt. Cum Dionysius Siculus cæcutire cœpit, omnes Siculi cæcitatem affectabant, studio a lancibus in mensa aberrantes. Ægyptii juxta Diodor. l. 3. c. 1. soliti sunt sibi oculum eruere, aut pedem vitiare, quoties Rex aut luscus, aut claudus esset. Joannes III. Rex Lusitaniæ vino abstinuit, & ecce mox tota Lusitania vino abstinuit, & Regis exemplo facta est abstemia. Josina Rex Scotiæ Chirurgis, & Medicis erat amicus; illico non fuit Baro Comes, qui non sua manu voluit sanguinem mittere, aut scarificare, ac plagas sua manu curare. Rege Tunquinensi aliquando aratrum ducente, nemo non agros coluit.

Vindictæ dulcedo.

Idem ver. 1. §. 1. CCCXXIV. Theophilus Imperator plecti capite jussit Theophobum sororis suæ maritum, Persam: & cum esset ipse in extremis, ad quamdam refocillationem jussit ad lectum sibi afferri caput ejus, quod amplexus suspiravit: Nec tu, ait, Thophobus amplius, nec ego Theophilus ero, & expiravit.

Tributa remissa Regem, & populum ditant.

Idem ver. 16. §. 3. CCCXXV. Bela Rex Hungariæ, cum adiisset regnum penitus exbaustum ob onera eis imposita, aliquot annis extraordinaria eis tributa remisit; Unde adeo ditati sunt etiam cives, ut Rex fuerit inde cuivis hosti formidabilis.

Pauperes canes venatici.

Idem ver. 17. §. 11. CCCXXVI. B. Amadeus, Sabaudiæ Dux, Legatis Mediolenensibus percontantibus, quam bene instructus canibus venaticis esset, mane quodam omnis sexus, & ætatis pauperes ostendit, quibus ad mensam præcipui Ministrorum serviebant: Et hi sunt, inquit, canes venatici, & vertagi mei.

Consiliarii pauci boni.

Kuner. l. 3. c. 18. n. 1. CCCXXVII. Cathalariis consultum censentibus, si Regi Alphonso adhuc adolescentulo septem viri ad gubernandam rempublicam adjungerentur, qui Deum timerent, qui justitiam colerent, cupiditatibus suis imperarent, neque muneribus tangerentur: Alphonsius consilium lau-

laudavit, ac si unicum tantum dederitis, non dico septem, continuo illi regimen, & regnum ipsum concessero.

Crudelitas inaudita.

Idem c. 21. n. 1. CCCXXXIII. Aetiolinus Patavinus, Tyrannus in singulis suæ ditionis urbibus, ac oppidis teterrimos carceres struxit, in quos injustorum agmina retrusit; putrescentium cadaverum inibi fœtore vivos enecabat. Vivi homines in frusta cultris lanionum secabantur. Capitale fuit tortori, maturare mortem aut supplicia. Lugentibus suorum interitum oculos eruit; fugere parantibus pedem amputavit; alienam miseriam querentibus linguam præcidit; mares castravit, aut monoculos, aut unipedes, aut unimanos fecit. Supra triginta millia omnis generis, & sexus hominum occidit.

Aliud exemplum.

Sab. l. 8. CCCXXIX. Pervetus ast fama & opinio ab omnibus recepta, nullum tyrannidem crudelios Phalaride exercuisse; quippe exquisitissimis non contentus suppliciis, æneo usus est tauro, cui miseri mortales inclusi mugitus edere viderentur; cum medio cruciatu ingemiscerent, in quo illud primus crudeliter fecit, quod tam monstrose machinæ artificem omnium primum invento affecit supplicio.

Aliud exemplum.

Ibid. n. 3. CCCXXX. Blodos Moldaviæ principatum adeptus, suspectos conjurationis cum universa familia palis infixit. Patibula, & pali locum septendecim stadiorum in longitudine, septem in latitudine occupabant.

Conradini Tragædia.

Idem l. 6. cap. 41. n. 11. CCCXXXI. Conradinus Imperatoria, & Regia stirpe juvenis, ultimos Ducum Sveviæ fuit. Pater ei Conradus Rex Neapolis, & Siciliæ fuit; Mater e Ducibus Bavariæ; Avus Fridericus II. Imperator; Avia Constantia, filia Ferdinandi Hispaniæ Regis. Sed statim a puero regna Neapolitanum, & Siculum, jure debita, Maufredus patruus jure invasit, vi tenuit. Cum ille abiisset, aut pulsus esset, auctoritate Pontificis (Clemens IV. tunc erat Gallici sanguinis, & Gentis fautor) Carolus Andegavensis advocatus invasit. Quem Conradinus dum pellere nititur, copias contrahit, e Germania in Italiam venit, multa nobilium manu: Inter eos Fridericus erat Dux Austriæ cognatus ejus, pugnat cum Carolo: Conradinus initio victor, dein vincitur, & fugit cum Friderico Austriaco per ignotam Italiam trepidi, agasonum habitu se occultantes. Ita Asturam ventum, ubi consilium capiunt navis conscendendæ, & Diras dirigendæ, sociam, & fidelem urbem. Conveniunt cum naviculatore, jam in navi erant; sed panis, & commeatus deerat. Mittitur ipse nauta, ut comparet, & quia pecunia defuit, anulum e digito detrahit rara gemma ornatum Conradinus. Aurifex miratus, cum sibi a sordido homine deferri, ad Dynastam rem, & annulum defert, qui tunc e gente Frangipanum urbi præerat. Qui suspicatus id, quod erat, juvenes jubet ad se duci; comparent, & sive avaritia, sive pravitate Dynastæ, Carolo produntur. Qui statim cum copiis terra marique advolat, & captivos Neapolim ducit: Concluditur tollendos eos e medio, plectuntur in publico foro. Conradinus animose loquitur, Carolum excusans, se accusat: Deum invicem invocat, & jus suum in hæc regna Henrico Castellano amitæ suæ filio donat. Hujus rei tesseram chirothecam exuit, & abjicit. Tum Fridericus geniculare jubetur, & caput inciditur, quod sublatum e tabulato Conradinus pectori adpressum, deinde ori applicuit, & fortem ejus miseram deflevit, cujus ipse author esset. Tum, & ipse in genua provolutus, fortiter carnificem expectat, qui caput amputat. Id cum fecisset, statim alius carnificem interficit, ne extaret, qui generosum illum sanguinem a se sublatum jactaret. Carolus ausus est hujus Tragædiæ ipse spectator esse, occultus in alta quam turri.

Piscium pugna terrestris.

CCCXXXII. Paulo ante Henrici II. Anglorum Regis mortem e quodam lacu in Normania pisces noctu in terram exsilientes, tanto strepitu congressos ferunt, ut multi homines eo accurrerint ad contemplandum miraculum; & cum nullum in lacu piscem amplius superstitem vidissent, magis admirati sunt. *Ibid. c. 42. n. 1.*

Equorum amor immodicus a Deo punitus.

CCCXXXIII. Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus viginti tribus annis præfuit. Equos aluit ducentos, quos dactylis, amygdalis, pistaceis, pinorum fructibus, croco, cinnamomo, balsamo, vino odoratissimo, aliisque fructuum, & aromatum generibus pavit. Adeo enim equorum amore insaniit, ut eis tam pretiosum pabulum affundere non erubuerit. Pridie Parasceves die cœnæ Dominicæ, cum in templo sub re divina de insignis equæ partu nuntium accepisset, ipse officium divinum deferens, mox ad stabulum properavit, ut pullum videret, & spectato satis recenti partu ad templum rediit. Sed luit; nam aliquando parieti adequitans, a petulantiori equo illisus muro, sanguinem cœpit vomere. Hoc morbo biennium laborans, demum in hydropem incidit, & mortuus est. *Drex. in Norm. c. 11. §. 1. causa 3.*

Gallicorum Hugonotorum in Catholicos furor.

CCCXXXIV. In Gallia ab Hugonotis Catholici vivi aggesta humo sepulti, ac obruti sunt; pueri medii ferro secti; Sacerdotum viscera suste intorta sextim exacta; quinque millia Sacerdotum variis suppliciis enecta. Plurimi sulphureo pulvere instructi, lardoque peruncti accendebantur: alii candentibus verubus vivi per posteriores partes infixi: aliis clavis ferreis in abrasam capitis partem adactis extincti. Monacho exsecta verenda coctaque devorare sua coegerunt, & ut scirent, quid de cibo actum esset, medium secuerunt. *Furores Gallici.*

Prudens pueri factum, & responsum.

Ex relat. privatis. CCCXXXV. Clementis VIII. nepotulus sub mensam adibat, & sellæ Pontificiæ, ultra quam leges urbanitatis ferrent, se inclinavit. Monitus a cæteris adstantibus, ut urbanius ageret; respondit: Quomodo melius possum sustentari, quam summo Pontifice? Quæsitum studiose fuit, num fuisset ad hoc edoctus; sed compertum est, eum hoc suapte sponte dixisse.

Libri multi ab uno scripti.

Drexel. in Aurif. CCCXXXVI. Joannes Fernelius Ambianensis in Præf. Medicinæ ad Henricum II. Galliæ Regem ait, Galenum scripsisse libros de re medica supra quadriogentos; de aliis disciplinis ducentos quadraginta. Servius Sulpitius de Jure Civili centum octoginta libros edidit. Magni nominis Ecclesiastes S. Augustinum affirmat triginta millia librorum scripsisse. S. Hieronymus ait, sex millia librorum Origenis legisse. Alphonsus Tostatus vixit annis tantum quadraginta, & tamen viginti quinque Tomos edidit. Zoroastres de sola magia vicies centena millia versuum edidit. Plinius lib. 3. hist. nat. c. 1. Theophrastus trecenta volumina reliquit. Laertius Chrysippus septingenta volumina scripsit. Suidas, & Volater. lib. 13. c. 4. Aristarchus Grammaticus Alexandr. sub Ptolomæo Philopatore ultra centum commentarios edidit. Didymus Grammat. quatuor millia librorum scripsit. Suidas Eusebius Palæstinæ Episcopus edidit infinita volumina, teste S. Hieron. de Script. Eccles. in Euseb. Mercurius Trismegistus scripsit triginta sex millia librorum, quingentos viginti quinque, ex Tamblico lib. de Myst. Ægypt. Drex. in Aurifod. p. 1. cap. 7. Ego quidem censeo, salva aliorum sententia, eos per tot libros aliud non intellexisse, quam folia chartarum (saltem majorem partem) quæ ficbat ex arborum libris, seu tenuiori e corticibus membrana. Quis enim credat, trium sæculorum hominem triginta sex millia librorum alio sensu scribere? eodem sensu credo acceptanda esse tot volumina.

Infelix Alvari Lunæ exitus.

Idem p. 2. c. 2. CCCXXXVII. Alvarus Luna ab humili fortuna ad summum pervenit; in præceps eum ambitio dedit: Nihil ei ad regnum præter nomen defuit. Tandem bona ejus omnia occupata, ipse Majestatis damnatus, mula ad supplicii locum vectus est. In medio foro theatrum, in eo crux alta, & geminæ faces, tapete substrato, Luoa conscendens locum, crucem veneratus, anulum signatorium, & galerum Amanuensi puero dedit. Ea fortunæ facies omnibus lacrymas excussit. Erat uncus ferreus sublimi ligno confixus; rogat carnificem, in quem usum paratus sit? Ille, ut abscissum caput imponatur. Subdit Alvarus: Post mortem de corpora facito, quod lubet; viro forti mors turpis esse non potest, nec immatura. Simul diloricatis tunicis, intrepide caput securi subjecit, aooo 1453. 5. Julii triginta annis in aula dominatus est, ut nihil a rege nisi eo arbitrio ageretur, ita ut nec Joannes III. Rex Castellæ vestem mutaret, eo non conscio. Truncus in theatro relictus, pelvi juxta posita, ad colligendam stipem, qua sepeliretur homo, paulo ante Regibus potentia exæquandus. Prioribus annis vatem consuluit, Id prædixit, Cadahalsum exitio fore. Et oppidum hujus nominis in Hispania, quod semper vitavit Luna, sed & ferale theatrum significat, quod vitare non potuit.

Admirandus mendicorum Sinensium mendicandi modus.

CCCXXXVIII. Legati Hollandi in China videre mendicos inaudito modo mendicantes; duo enim in se ex adverso ruentes ita capita collidebant, ut spectantibus illis horrorem incuterent, & istam collisionem toties solent repetere, dum stipem accipiant: si nulla detur, non desiount se arietare mutuo, etsi demum mortui humi cadant, quod sæpe contingit. Ibidem alium mendicum videre genibus innixum, qui ceu sibi ipsi obmurmuraret, mussans: dein caput nigro, ac rotundo saxo illisit, tanto impetu, ut quasi terra tremeret; & hoc erat alterum, & crudele mendicandi artificium. *Itin. Holland.*

Mirum desperationis consilium.

CCCXXXIX. Nobilis in Provincia Kiangsi Matrona, filia ditissimorum parentum, marito præmature mortuo, ad parentes rediit; ibi etiam parentibus paulo post mortuis, mœsta, sumptus, & opes omnes in pontem impenditæ multis porticibus operose factum, in quem jam absolutum progrediens inde se in subjectum flumen præcipitavit. *Ibid. c. 11.*

Crocodilis rei objecti.

CCCXL. In Provincia Quangsi Rex Pego dicitur aluisse in lacu, Po dicto, decem crocodilos, quibus reos objecit, qui eos solos invadebant, illæsis innocentibus, qui dein sunt ab eo liberi dimissi. *Ibid. c. 17.*

Apostasia graviter punita.

CCCXLI. Auctor est Leonius Chalcondylus in Histor. Turcica, & Cuspinianus in Mahomete I. cum Constantinopolim obsideret, primarium virum genere Patricium Imperatori infensum ad hostem ex urbe profugum, traditionem ejus, magna vi auri, & argenti, & unius filiarum Mahometis ooptiis pactum esse; annuit Mahometes, & Kal. Junii 1453. cum proditor mercedem exigeret, Mahometes immensum auri, & argenti pondus afferri jubet, & ad eum conversus: Quia Christianus es, ait, & filiam cum hac dote petis, cutem veterem te exuere necesse est, & jussit vivum excoriari. *Lirous de imitat. Christi l. 1. c. 1.*

Crudelitas mariti in uxorem.

CCCXLII. Silvanus aurifaber, nobilem viduam Genuensem inaudito modo occidit anno 1646. Nobilis illa pullis suis cibum objecit, accurrit etiam Gallus Indicus aurifabri, & se probe farcit, quem illa fuste abigens in pe- *Hist. Aug. impressa. 1646.*

pede læsit. Id ægerrime ferens Silvanus acerbe in auctorem invehitur. Fœmina fatetur, se fecisse; sed delictum non mereri tantam tempestatem, magis inde furit aurifaber: Intervenit famulus dominæ, gladio instructus, volens heram defendere: sed mox glande eum faber trajicit, accusatur, pellitur patria ad tres annos. Minatur ferox homo fœminæ; illa ex arce in urbem migrat; petit conciliari aurifaber; non vult domina. Intra duos annos nil audiunt de aurifabro: ergo domina redit ad arcem, exploratur ab aurifabro, qui eam cum sociis obruit in castello: claudit post se portas, capit famulam, obturat os strophiio, alligat ad lignum; fœminam vero in saccum trudunt, ducunt in vineam ejus. Ibi eam crinibus apprehendit Silvanus, exprobrans injuriam, alligat caudæ equi a capillis, ita in area aliquoties raptat: alligat arbori, dexteram partem pectoris amputat, post quadrantem vero sinistram partem. Dein in foveam projicit, in qua stare erecto corpore homo possit, & inibi sepeliri. Aperit ei pectus, cor inde eripit, & præ rabie dentibus invadit, & lacerat, deinde sepulchrum terra obruit; & cum promineret solum caput, illum abscindit. Sed brevi post captus Genuæ, in carcerem conjicitur, forcipibus discerpitur, in quatuor partes secatus, & fere eo modo tractatur, quo ipse fœminam excarnificavit.

Crudelitas parentum erga filios.

Prement. CCCXLIII. Manlius Torquatus filium securi percussit Latino bello, quod contra imperium in hostem dimicasset, nec profuit juveni, quod victor, quod hostilibus ornatus spoliis ad patrem rediisset: valuit plus imperii majestas apud Manlium, militarisque disciplina, quam paterna pietas, aut filii strenuitas.

Venia negata causa geminæ damnationis.

CCCXLIV. Anno 1618. e Polonia in Germaniam scriptum, duos in eo regno Religiosos ejusdem Ordinis, levibus initiis offensicularum irritatos, aliquamdiu odia etsi lethalia dissimulasse. Alter ex eis fatali morbo corripitur, & alterum vocat conciliandi ei se gratia; sed is renuit, moritur æger. Sedentibus ad mensam religiosis nuper mortui umbra adest, cumque universos oculis obiisset, & inter eos capitalem inimicum, eum evocat, aitque: *Scelestum caput; & fere causa unica damnationis meæ, qui mihi noluisti ignoscere, me quoque efferasti, in quo affectu mortuus sum, & ad orcum ivi. Ut sis ergo meus civis, mecum ambula.* Hoc dicto larva misero elisit animam.

Sal. l. 6. mala spei h. 2. §. 7.

Canonicis parentes ostensi.

CCCXLV. Joannes Teutonicus obscuris parentibus, & illegitimo thoro natus, ob doctrinam tamen factus est Canonicus Halberstadiensis a Collegiis vero ob generis, & originis vilitatem contemptus, eos ad convivium vocat, & inter alios lepores quærit, num singuli cupiant videre patres suos. Annuentibus illis, malo carmine elicit patrum umbras; ubi alii patrem suum viderunt morionem, alius stabularium, &c. quorum facies se in paternis ædibus vidisse meminerant, suum quoque patrem ostendit pinguem Sacerdotem. Dimissis inde larvis: Eja, inquit, dicite, cujus patrem nobiliorem judicatis? ex eo tempore omni convitio in eum abstinuete, de sua origine pudefacti.

Delrio disquis. Mag. l. 2. q. 20. sect. 2.

Judicium sapiens.

CCCXLVI. Civis Parisiensis, dum Præposito vineam suam vendere recusat, quod bonum esset hæreditarium, contigit paulo post mortuo cive, præpositam duos Scabinos seu Consules adire pecunia corruptos, quos noctu secum duait ad sepulchrum; terra egesta summa cadaveri in manus dat, quam pro vinea olim obtulerat, & tum ad Scabinos conversus ait: Vos domini, testes estis, quod ille talem summam a me acceperit, quam ille manu tenet, nec contradicit? Dicentibus illis: Testes sumus, pecuniam recipit; ac mane iis testibus adhibitis, vineam sibi vendicavit. Sed uxor asseverans, nil simile fuisse, pecuniam nec maritum vidisse, recurrit ad Philippum Regem Galliarum; Ille negotium quibusdam committit, qui vineam Præposito adjudicant. Uxor de injuria ad Regem expostulat desperabunda. Rex testes citari jussit, quemque seorsim examinavit. Primum interrogat, num sciat recitare Pater noster: recitat ille jussu Regis, quo in vicinum cubiculum dimisso, alterum serio aggreditur: sciret socium ita veritatem confessum; quantæ sunt veritatis verba S. Scripturæ; quod si ab eo dissentiat, actum esse. Hinc in genua provolutus totam rem exposuit. Rex vineam vicinæ restituit; Præpositum vivum sepeliri jubet.

Nieremb. Strom. l. 1. c. 34.

Puella lasciva repente mortua, sed salvata.

CCCXLVII. P. Gregorius Witweiler narravit P. Felici, se eum adhuc Sacerdos sæcularis ex Italia in Germaniam rediret, venisse in hospitium: Filiam hospitis comitatam fuisse ad cubile, solicitasse se ad flagitium: sed se abominatum facinus, eam tamen non destitisse, sed leviter etiam saltasse, usque dum caput impegit in lecti angulum lignaum, quod impetu, & vulnere extincta fuit. Witweiler hospitem vocat, recenset factum: quin incredulus eum vi retinet, ceu in custodia; dum tormenta metuit, apparet filia noctu hospiti patri suo minitans, ne advenæ illi molestus esset: se in momento illo agonis contritam fuisse, doluisseque de peccatis, & ita damnationem evasisse.

Idem.

Pauperum spoliis templum ædificatum.

CCCXLVIII. Arsanus Bassa Ægyptius, ut sine magno suo sumptu templum struere posset magnificum, proclamari ubique jussit consilium suum: quod opus ut succederet, statuisse se publicam stipem omnibus advenientibus dare, diemque, & locum nominavit. Erat area ingens multorum millium capax; huc infinitus hominum numerus e tota Ægy-

Lyr. de Imp. Chr. l. 7. c. 1. dect. 15.

pto, & regnis vicinis accurrit. Affanos autem indusiorum, & tuoicarum iogentem vim parari curavit. Ab hac itaque tam vasta area per muri aliquot porticellas ad aliam homines eleemosynam accepturos transire jussit, quam ut quisque ingressus erat, statim omnibus vestibus exutus, eas ibidem relinquere, atque indusium, & tunicam oovam accipere cogebatur. Sic e priore illa area in posteriorem transibatur, ignorantibus interim, qui in area remanserant, quid cum illis, qui aream ingressi erant, ageretur. Et licet quilibet veteres pannos libenter retinuisset, cum soleant eis pecuniam insuere, cogebantur tamen novas accipere vestes, & viam abire. Quibus digressis, mos omnia igne injecto cremari jussit, unde tantum auri argentique conflavit, quantum ad excitandam Moschæani, cui modo nomen Aromele est, necessarium fuit.

Suspicio adulterii sapienter sublata.

Ioann. Bapist. Laurus de annulo. E. V.

CCCXLIX. Hugo Hetruriæ Marchio ex Huberto seu Adelberto, Wila natus, credebatur ab initio ex adulterio natus. Cum enim ab Lotharii Imp. obitu Otho primus Italiæ Rex inauguratus esset, & forte hujus iram Hubertus incurrisset, in Pannoniam profugit: neque inde abscessit, quam, reddita denuo Othonis gratia. Interea uxor, quæ absente marito, sapienter rempublicam gubernabat, e marito, ante ejus abitum gravida, filium peperit: quem reversus Hubertus videns, ut alienum rejecit, & Wilam adulterii ream accusavit; sed res explorata innocentem probavit. In amplissima domus area conventus hominum longe frequentissimus est habitus, & Hubertus in promiscua turba, nulla subsellii, aut vestium veritate dignoscendus, sedere jussus. Puer continuo solus dimittitur, qui aliquantum in magna multitudine nemini alludens, tandem ad Hubertum pervenit, eique, perinde ac patrem agnosceret, blande adhæsit. Ita infamia abstersa puerum pro filio habuit.

Principis optimi qualitas.

Ibidem.

CCCL. Idem Hubertus privato habitu sæpe se suorum subditorum cœtibus immiscuit ignotus, & de imperantis domini rebus obloquebatur ipse, ut justas de se, ac proceribus querelas eliceret, & emendaret. Hinc optimi vocabulum promeruit, & tandem a Marchione Dux est creatus Romæ.

Mira mendici ditatio.

Nic. Eric. ep. 82.

CCCLI. Opifex re in Medicos omni longo morbo impensa depauperatus, cum aliquando famelicus mane oberrans Romæ forte ad templum venisset, ubi tunc Divi illic culti Natalis dies celebrabatur, inter alios, qui pro more solebant aram maximam osculari, ac donum illic offerre, ipse osculo illo tantum nummorum ore accepit, quantum os capere potuit, & abiit. Quibus nummis cum ligulas, acus & hujusmodi mercimonia coemisset, statim cum quæstu divendidit, & pretium rursus in alias merces expendit, unde pauper fiebat ditior; ubi ita profecit, bona fide tot ad templum illud nummos retulit, quot ante osculo abstulerat: eumque Sanctum deinceps pro Patrono ad res omoes adhibuit, fuitque exin numquam egens.

Crudele spectaculum gratum.

CCCLII. Annibal, cum fossam sanguine humano plenam vidisset, dixit: O formosum spectaculum! Volesus sub divo Augusto Proconsul Asiæ, cum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera cultu superbo, quasi quiddam magnificum conspiciendumque fecisset, exclamavit: O rem regiam! *Seneca de ira l. 2. c. 5.*

Opera parva.

CCCLIII. In nuce inclusam Iliadem Homeri in membrana scriptam tradidit Cicero. Idem, fuisse, qui perviderct 135. millia passuum, Strabonem dictum, solitum in Punico bello a Lilibæo Siciliæ promontorio, exeunte classe Carthaginis portu, etiam numerum navium dicere. Callicrates ex ebore formicas, & alia parva fecit animalia, ut partes earum a ceteris cerni non possent. Myrmecides quadrigam ex eadem materia fecit, quam musca integeret alis, fabricatam; & oavem, quam apiculæ sinus absconderet. *Plinius l. 7. c. 21.*

Thesaurus inventus causa fatalis tristitiæ.

CCCLIV. Rusticus, cum thesaurum repe- risset, eum apud se retinens, in tantam melancholiam & tristitiam incidit, ut paulatim præ angore & nimia sollicitudine, quod nesciret, quid de illo faceret, contabescens, tandem exspirarit; rem autem, quam narro, vere contigisse, mihi constat certo, ait S. Theresia. *S. Theres. vit. c. 18.*

Violati fœderis pœna.

CCCLV. Refert Orosius, quod, cum Romani misissent Legatos ad diversas gentes, quas nominat, ipsæque eos recepissent in pace, data utrinque fide; subita seditione & proditione irruentes in eos, in suis civitatibus occiderunt. Ad hujus perjurii detestationem sanguis e scisso pane a Romanis erupit; animalia etiam domestica & cicurata cum ululatu ad montes & silvas oberrabant. Milites autem illi, omnes cum suo Imperatore Alvio & Pompejo in campo victi & occisi sunt, exceptis quatuor millibus, qui ad alta montium confugientes, Dei tamen judicium non effugerunt. Nam lapidum instar congelati, & immobiles facti, ita obligueruntur, ut erecti stantes viderentur vivi, dentibus & oculis ab eis decidentibus in terram. *Oros. l. 4.*

Nomen Patris sub aure prolis.

CCCLVI. Nobilis Juvenis, qui Bruntruti studuit, ex utero materno paternum nomen secum natum protulit post aurem expressum. Mater enim illius ante conjugium ita sponsum afflictim amabat, ut, quidquid manu arriperet, in eo statim sponsi nomen insciberet. Prægnans postea, forte territa, aurem fricuit, quo contactu id nomen, quod animo intuebatur, fœtui eleganter impressit. *Stengel. de monst. c. 4. §. 11.*

Astro-

Astrologi mendacium facto refutatum.

S. Ber. Sen.to.3.l. 6.n.1.f.1. CCCLVII. Astrologus aliquando mœsto vultu visus, rogatur a nobili viro, cui ita tristis esset; cui respondit, se tristari, quod prævidisset, eum intra annum moriturum. Hinc dominus ille mœstus cœpit decumbere, sola mortis formidine. Hoc ubi miles nobilis audivit, & intellexit, morbum ex Astrologi prædictione provenisse, Astrologum rogat, num verum sit, eum intra annum moriturum. Annuentem iterum rogat, ecquando ipse esset moriturus Astrologus? cumque alter diceret post 14. annos, illico eum gladio confodit, & mendacem ostendit. Eo nuncio æger lætus, posito metu convaluit.

Oratio Dominica astu docta.

Idem t. 4. fer. 2. Ci. p. 1. fer. 2. CCCLVIII. Quidam triginta jam anno natus, a Sacerdote, cui fuit confessus, dicere *Pater noster* jussus, dicebat se nescire, neque se adiisse unquam scholas; objurgatus a Sacerdote, respondit, se numquam posse addiscere. Tunc Sacerdos ex eo quæsivit, quid dare vellet eam orationem docenti; cumque alter diceret viginti ducatos, ait Sacerdos, se illum velle docere intra annum, sed ea conditione, ut singulis, quos ad eum esset missurus, mutui loco daret tres frumenti modios. Quod si intra annum didicerit *Pater noster*, ab iis frumentum non repetat; annuit ille. Igitur Sacerdos pauperem unum ad eum misit, ut peteret duos sextarios frumenti, & diceret ei, se vocari *Pater noster*. Alio die misit alium, qui se diceret vocari, *qui es in cælis*, & sic alios, donec absolvit *Pater noster*. Avarus fideliter nomina debitorum retinuit, & finito anno videns, quod Sacerdos nihil diceret, aut doceret, uti promiserat, omnes pauperes ad judicem vocavit, ac frumentum repetiit, quod tamen ne darent, jam ante a Sacerdote fuere moniti. Adsunt illi, ac se monitos a Sacerdote ajunt, ne quid darent. Sacerdos citatus rogat avarum, quid ei cum pauperibus illis, quorum nomina nesciret. At ille dixit, se probe callere: Sic enim, ait, istum vocari *Pater noster*: & hunc *quis es in cælis*; & sic de aliis. Tunc Sacerdos ei dicit: An non tecum ita sum pactus, ut, si te intra annum docerem *Pater noster*, frumentum esset istorum; Objiciente altero, toto anno sibi Sacerdotem numquam esse locutum, nec docuisse *Pater noster*, respondit: Hoc est *Pater noster*, quod didicisti in nominibus debitorum tuorum. Et sic triticum perdidit, & didicit *Pater noster*.

Convivium funebre lautum & insanum.

Engel. in Panth. in ast. Corp. Christi mir. 4. CCCLIX. Anno 1655. in Principis Acatholici funere constat impensos boves 170. vitulos 330. verveces 800. porcellos Trojanos 400. juvencos 248. agnos 6000. sues 200. gallos Indicos 300. capones 400. anseres 600. gallinas 11000. pullo gallinaceos 22000. ovorum 23000. butyri centenarios 1000. plaustra vini 400. cerevisiæ urnas 3000. salis modios 100. lucil piscis centenarios 600. carpionum 3000. præter feras, apros, cervos, lepores, cuniculos, perdices, turdos sine numero. Pretio horum omnium quinquaginta millium & ducentorum florenorum helluatio stetit summa; nec tamen ultra triduum duravit.

Convivium ex meris cerebellis avium.

CCCLX. Carolus V. ut ex P. Vivero ipse accepi (ait Engelgr.) Franciscum Galliarum Regem Madriti excepit, dum centum lances argenteas mensæ ejus inferri jussit, non nisi cerebellis avium instructas: alias insuper centum aureas, totidem porcellanas, omnes cerebellis avium instructas. Mensisque remotis Regem per duodecim conclavia deducit, harum omnium volucrum plumis convestita. Ibidem.

Amor insanus mariti.

CCCLXI. Joanna Regina Castellæ & Aragoniæ, maritum suum Philippum I. Pulchrum nomine ita dilexit: ut numquam a corpore ejus jam mortuo potuerit separari, in dies enim sarcophagum aperiri jubebat, & secum ubique asportari voluit. Huic olim Philippo regia magnificentia Hispaniam ingredienti, vetula quædam vaticinata est, magis illum post mortem, quam in vita, ambulaturum. Ibidem, mir. 5.

Templa plurima a Regibus Hispanis ædificata.

CCCLXII. Scribanius Solit. in præfatione alloquens Philippum IV. ait: Memineris, te ab iis venire, qui in solo occidente supra septuaginta templorum millia ditissima pietate exstruxerunt: & Jacobo Aragonio, qui solus bis mille templa Dei Matri ædificavit. Ibidem.

Helvetii Austriacorum osores.

CCCLXIII. Narrat Spondanus Annal. Eccl. ann. 1454. n. 14. pag. 30. Helvetios adeo odisse nomen Austriacum, ut audire non possint: & si quis de iis bene loqueretur, aut ostenderet, eis se fidere, fuisset sine judicio occisus; ejus insignia gentis ex omnibus locis sacris & profanis abrasere. Et quia Duces Austriæ gestant in galea pavonis caudam, nullum ipsi in tota terra sua pavonem patiuntur. Si quis in pileo gestasset pavonis pennam, sine quæstione interficiebatur. Ibidem.

Monile pretiosum.

CCCLXIV. Carolus IX. Galliæ Rex pretiosum monile illustri feminæ donavit, hisce Gallicis verbis inscriptum: Qui m'a n'a faute de riens: idest, qui me habet, nullius eget. Ibidem, mirab. 6.

Mira uxoris in maritum dilectio.

CCCLXV. Rodericus Sancius sic scribit: Cum Eduardus primogenitus Regis Angliæ transfretasset ad Christi sepulchrum, proditorie Mauri alicujus intoxicato gladio percussus fuit. Frustra consulti Medici, vulnus coalescere nequibat: saucius domum defertur: & ecce uxor Filia Regis Hispaniæ vulnus curavit, quotidie id lingit, & fugit virulentum illud vulnus, & tamdiu exsuxit, dum convaluit maritus. Ibidem.

Idem.

Fulg. l. 6. CCCLXV. Depulso Cloemene Spartanorum Rege ab Antigono Macedonum Rege, cum is in Ægyptum ad Ptolomæum Regem se recepisset, ac Pantheum sequi uxor vellet, a parentibus prohibita, magno studio servabatur. Cæterum ipsa astu ingenti adinvento equo, ad mare nocte se contulit, atque incognita navem conscendens, in Ægyptum ad virum pervenit, amboque illic vitam peregerunt.

Lacte capræ educatus, ut capra saltans.

Engelgr. fest. S. Jo. Bapt. S. 1. CCCLXVI. Testibus oculatissimis & locupletissimis acceptum ast, virum religiosum & optimis moribus imbutum, in publico valde moderatum & modestum, cum se solum crederet, remotis arbitris instar capræ saltasse, & cucurrisse: rogatus causam, ait, se capræ lacte enutritum.

Assaturam latronum.

Ibid. de S. Laur. CCCLXVII. Fertur Sixtus V. initio Pontificatus sui ad terrendos & expellendos Bannitos, cohortem equitum instruxisse, qui eos infectarentur, & vivos in urbem deducerent. Primum quidem, qui in manus venit, vinculis attineri in carcere jussit, donec secundus comprehensus esset, quo capto, statuit, ut luculento igne exstructo, primus veru infigeretur, atque ab altero veru verti, & socium assari. Cumque tertium cepissent, jussit secundum assari a tertio &c. Ita grassatores a scelere revocavit.

Æsopi deformitas.

Ejus vita. CCCLXVIII. Æsopus aliquando sacerdotibus Dianæ cœnaculum dedit, & viam in urbem, quam petebant, ostendit. Altera nocte vidit in somnis fortunam sibi adstantem & linguam solutam, ac fabularum doctrinam sibi datam. Quia aliquando præfectum agri reprehendit, quod in operarios tam esset acerbus, is Æsopum apud herum traduxit, ceu monstrum, quod ominose loqui prompte subito cœpisset: Herus igitur villico illi, cui Zenas nomen, Æsopum donavit; Zenas mercatori voluit vendere: sed cum is Æsopi deformitatem damnaret, ipse Æsopus: Eme me, inquit, erit aliquis mei usus: si pueruli domi flent, ac turbulenti sunt, eis pro larva ero. Emit igitur tribus obulis Æsopum, qui cum primum fuit in domum ductus, flentes forte puerulos aspectu compescuit.

Hortulanus natura vitricus.

Ibidem. CCCLXIX. Idem præsente hero olitoris quæstionem, quam herus etsi Philosophus dissolvere nesciebat apte expedivit; rogatus enim, cur olera a se plantata, etsi solerter curata, & irrigata, tam lente provenirent, cum alia germina, & zizania sine ulla cura, & cultu sponte nascerentur. Respondit, non ut Xanthus ad divinam providentiam confugiens, sed, mulier, inquit, cum ad secundas nuptias iverit, liberis e priore viro susceptis, si virum quoque nancifcatur ex priore uxore liberos habentem, quos ipsa filios adduxit, horum mater est, quos autem reperit penes virum, horum est noverca. Et multum interest; suos enim amanter, & solicite curat, alienos odit, & cibos imminuit, ac suis dat liberis. Ita & terra eorum, quæ ipsa ex se genuit, mater est; quæ autem tu plantas, horum est noverca: ideo quæ sunt, ut legitima magis nutrit, ac fovet; a te autem plantatis, ut spuriis non tantum alimenti tribuit.

Major catellæ, quam uxoris in maritum, fidelitas.

Ibidem. CCCLXX. Xanthus Æsopi dominus alibi conviva, Æsopo de mensa analecta meliora dedit, uxori ferenda, dicens: Hæc benevolæ meæ trade; at ille domum reversus, heræ quidem illa exhibuit videnda, sed addidit, hæc non ad ipsam, sed ad benevolam Xanthi spectare, & catellæ omnia objecit; rogatus ab hero, an jussa fecisset, respondit, omnia se benevolæ ejus dedisse. Reverso marito uxor exprobrat, se cani postpositam, & divortium cogitat, & petit. Xanthus miratus, ait, se ipsi cibos misisse. At Æsopus rogatus, car id egisset, dixit hero: Hæc catella tibi bene vult, uxor autem tua ad quamvis offensam convitiatur, & abit. Canem si verberes, expellas, non tamen discedit, sed oblitus tibi iterum blanditur. His tamen illa nihil mota ad parentes redit. Tum Æsopus: An non recte dixi, canem tibi melius velle; quam conjugem? Post dies aliquot rogata uxor a Xantho, ut rediret, cum nollet, Æsopus herum consolatus, promisit, altero die se illam adducturum. Igitur ad forum ivit, & gallinas, aliaque ad convivium parandum emit; & cum transiret heræ suæ domum, ignorare se simulat, in ea heram manere. Et cum in quemdam e domo illa incidisset, rogabat, an aliquid ad nuptias utile domestici possent sibi vendere. Illo autem, cuinam opus esset, interrogante, Xantho, ait, qui cras uxorem ducet. Eo vero ascendente, & uxori Xanti hæc nuntiante, illa propere ad Xanthum redit.

Cur ovis ad mortem taceat, sus clamet?

Ibidem. CCCLXXI. Æsopus joco rogatus, cur ovis ad cædem tracta non clamaret, sus autem ita vociferaret? respondit, quia ovis assueta mulgeri, aut lanæ causa tonderi, non obloquitur, sed tacite sequitur, nec etiam arrepta pedibus aliquid grave suspicatur; sed sus, qui neque mulgetur, neque tondetur, neque novit ad horum aliquid se trahi, sed carnes suas tantum esui esse, merito vociferatur.

Gula vilem facit.

Engelgr. Dom. 2. Epiph. S. 8. CCCLXXII. Gallinæ viso pavone stetere attonitæ: At ubi viderunt eum submissa cauda, vasculo opportune conspecto, in escam, & in potum ferri, illico quasi ad æqualem sibi avem advolant, & pia familiaritate eum contemnunt. Idem contigit viro Ecclesiastico quandoque, qui in convivio assidens, ubi mulieres, ac puellæ multæ erant, cum ante esset venerabilis, ubi postea eis assedit, & in cibos, haustusque frequentes se effudit, omnium

sani-

sanitates ebibit, jam contemptui, & risui est.

Propinatio in sanitatem elusa.

Ibid. §. 4. CCCLXXIII. Quidam hausti sanaturum se urgenti vicissim ingens frustum panis obtulit: Ede tu, inquiens, ad sanitatem meam; ego bibam ad tuam. Tu hoc non potes; nec ego illud.

Crudelitas execranda.

Id. Dom. 6. Epiph. §. 2. CCCLXXIV. Wenceslaus Rex coquum ob capum minus bene assatum jussit capi instar veru ad ignem torreri. Otho Antonius montis Ferrati, & Urbinatium Princeps, puerum, quem in cubiculi ministerio assumpserat, resinato linteo atque sulphure perfuso involutum vivum in candelæ morem consumpsit, quod hora præfixa se non excitasset.

Conjugalis amor.

Id. Dom. Quinq. §. 1. CCCLXXV. Cyrus Rex Persarum aliquando ex Tigrane Rege Armeniæ cum conjuge captivo quæsiit, quid pro conjugis redemptione in lytrum offerret? Cui confestim Tigranes: Integrum, ait, regnum, o Rex, si haberem; quod quia fors abstulit, libens sanguinem, & vitam dabo. Eo responso mire captus Rex, ambos liberos dimisit, ac Regno restituit. Domi dein Tigranes familiariter e conjuge quæsivit, quid de Cyri prudentia, & regia ejus munificentia videretur; num omnem aulæ apparatum probe observasset? cui illa: Ex quo tecum, inquit, in vinculis fui, ita me devinctam habuisti, ut numquam oculos aut mentem in alium defixerim, quam in eum, qui me valuisset suo sanguine redimere.

Rebelles puniti exemplum.

Id. Dom. 6. post Pascha. CCCLXXVI. Petrus Rex Aragoniæ, ut regni turbas sedaret, seditioso parentes liberis, ne paria auderent, in exemplum proposuit. Ideo Principes sibi rebelles in palatium accivit, deliberaturus cum eis, quis campanam conflare posset, cujus sonus totam Aragoniam pervaderet. Convocati Regis consilium risu explodebant. Sed Rex cujusque sensum velle se explorare respondit: Et illico quemque in secretum cubile admissum capite plecti, & trunca cadavera in peripheriam ad campanæ formam constitui jussit. Supererat Princeps a Rege primus, qui cruento hoc spectaculo attonitus, rogatus fuit, quid huic campanæ deesse censeret; cumque hæreret, jussus dicere sententiam, tandem timide dixit, malleum ei deesse. Cui Rex: Tu eris, & mox capite plexus, in medio locatus, malei vicem explevit. Tum Rex ad interfectorum liberos conversus, jussit parentum eos malo sapere, quod & fecerunt.

Amor insanus adulteri.

Id. Dom. 27. post Pent. §. 3. CCCLXXVII. Gallus quidam primariæ vir nobilitatis, captus amore conjugis nobilis cujusdam Belgæ, quæ vicissim, & ipsum amabat: cum intellexit, amasiam suam a conjuge viro in Belgium reductam obiisse, ipse quoque se perimere statuit, sed famuli obstitere. Nihilominus ille e Picardia Antuerpiam properat, ubi tumulata erat. Postquam ei lacrymis, & suspiriis cerebris parentavit, Ægypti solitudinem sibi elegit, ut eremiram illic ageret: duplicem iconem amasiæ suæ defert, viventis, ac mortuæ. Cæterum itineris tempore quotidie bis, mane, & vespere pronus utramque effigiem adorabat, miscebatque varia amantium colloquia; famulo item imperarat, ne alios quam de illa sermones secum haberet. Dein alteri servo imperavit, ut sæpius se salutaret amasiæ nomine; præterea, quoties accumberet mensæ, semper ei propinarent haustum ad sanitatem amasiæ jam defunctæ. Postquam cum utroque famulo in Ægyptum venit, exstructo sacello, appendi utramque icunculam inter effigiem Christi crucifixi, quam etiam tunc quotidie, ut divam cælis illatam, adoravit. Tandem vi doloris exhaustus, Veneris, & Dæmonis martyr obiit.

Beneficentia severitate potior.

CCCLXXVIII. In Flandria vir quidam rustico occurrit, qui asinum sacco onustum fuste agebat sæpius impacto, nec tamen quidquam proficit. Risit alter, & objurgat ob sævitiem: tum alium ei modum ostendit asini urgendi. Inde ex agro avenæ manipulum colligit, & scipioni suo alligat: ita asinum conscendens, ad exiguam distantiam ante nares asini fasciculum prætensum gestabat, quam avenam dum asinus prensare nititur, alacrius processit. Ita edoctus rusticus, ei gratias egit. Scultet. sup. Ac. l. 1. c. 1.

Horologium admirandum.

CCCLXXIX. Puella amantis cineres, quem vivum stulte deperiit, studiose collegit, & vasculis inclusos pro clepsydra adhibuit, noctes, & dies ad eam lacrymaus. Engelgr. Dom. 7. post Pasch. §. 2.

Ambitio elusa.

CCCLXXX. Prælatus, cui proprium est viridem portare galerum, inhiabat purpureo, quem ut obtineret, gratiam nepotis Pontificii gratioso munere captare studuit mittens in argento immatura, atque omnino viridia cerasa, hoc lemmate margini adscripto: *Te sole rubescere gaudent.* Responsum accepit, cerasa sua nimis magna in umbra sita esse, & a multis majoribus obfuscari, & obumbrari. Unde videt altiores se, ac illustriores sibi præferendos. Id. Dom. 4. Quad.

Honor ridiculus.

CCCLXXXI. Oppidani quidam transeunti Carolo V. vias cum adornarent, patibulum ramis amœne contexerunt, atque inde furis cadaver dependens pretiosis vestibus induerunt. Id. Dom. 3. post Pent.

Amici vestis ad quidivis impetrandum adhibita.

CCCLXXXII. Artaxerses, Theridata mortuo, sibi præ cæteris aulicis charo, vehementer doluit; quem dolorem ut leniret, a conjuge Regina petiit, ut quando accepta sibi, & quidvis obtentura venire cuperet, Theridatis vestibus accederet induta, ut, cum aliter non posset, sic saltem sub imagine, quem mortuum lugebat, videretur intueri, quod Aspasia uxor Id. Dom. 22. post Pent. §. 3.

non

non invita fecit, ac in togis Theridatis purpureis aureisque tiaris coram Artaxerse identidem apparuit.

Occupatio terrena cæli aspectum impedit.

Ib. Dom. 20. §. 2. CCCLXXXIII. Dum Dux Albanus in Germania luculenta victoria, devicto Duce Saxone, potitus est, per Galliam iter instituens, Franciscum Regem salutavit, qui ex eo quæsivit, an verum esset, in eo prælio duos in cælo soles visos? Cui Albanus respondit, se tunc ita fuisse occupatum in terris, ut non viderit, quid in cælis ageretur.

Principis aspectus solum desideratus.

Relatio privata. CCCLXXXIV. Anno 1668. Monachii transeunte Ser. Electore in curru ad templum S. Petri, in angulo plateæ se stitit Hispanus pauper; quem cum vidisset Ser. ex Aulicis unum voluit ea eo percontari, num quid a Ser. vellet? negat ille, ex Hispanica verecundia mendicandi, se aliquid velle; cupere se tantum a Principe videri. Rogatur iterato, sed is semper respondit, non aliud se velle, quam ut a Principe videatur. Tum demum Ser. illi ducatum misit, facile affecutus, quid ea tam superba modestia sibi vellet. At Hispanus gratias egit maximas, non tam quod a Principe esset visus, quam quod ipse nummum aureum in sua manu vidisset.

Mulieres ob Regis Persici aspectum trucidatæ.

In Relat. privat. CCCLXXXV. Rex Persarum, qui P. Pistel humanissime accepit, quinque millia uxorum alit, quæ reginæ vocantur. Regia ejus intra parietes auro mero, & argento fulget. Muri sunt ex lateribus sole coctis, nostris tamen duriores. Quoties animi causa Rex exit, ad tria vel quatuor milliaria quinquaginta vel sexaginta millia hominum in comitatu habet. Illo prodeunte nulla mulier audet comparere; quare incolis terræ, per quam ire vult, per decretum indicatur, Regem transiturum: quo accepto omnes fœminas occludunt. Si quæ autem inscia occurrit, statim mactatur ab Eunuchi. Toto tempore, quo Rex prandet, luxu Persico cibi inferuntur, tamdiu donec Rex surgat. Comedente Rege, & Satrapis, licitum est adstare pauperibus, qui nullo respectu habito comedentium scutellas invadunt. Sunt Persæ in pauperes valde liberales: si quis enim illorum comedat panem, & adstantem suum videt nullum habere, suum discindit, & dimidium dat famenti.

Matrimonium filiæ male impeditum.

Ex litteris Parisiensi. CCCLXXXVI. Parisiis Præsidi Parlamenti duæ erant filiæ, quarum natu majorem procabatur nobilis quidam Gallus; parens vero nolens consentire, persuadet filiæ, ut per annum se recipiat in Cœnobium S. Mariæ Magdalenæ, tum fore se consensurum. Paret illa. Hoc advertens nobilis, familiaris factus juniori, ac prætendens alteram sororem esse in Cœnobio, matrimonium ei persuadet. Peractis nuptiis natu minor invisit majorem, quæ ita ægre hoc matrimonium tulit, ut litteras ad parentem dederit: Mi Pater, cum frivola, & inanis spes in desperationem me adduxerit, animam meam, ac me totam Diabolo tradidi. Litteras dat sorori, patri tradendas. Illa vero ex oblivione vel negligentia altero primum die tradit. Ut autem parens legit, ad monasterium accurrit, ut malum præveniat: sed jam suspensam in conclavi reperit. Ita litteræ Parisiis datæ 1654.

Pestes admirandæ.

CCCLXXXVII. Anno 1656. Neapoli intra semestre pestis in sola ea urbe trecenta hominum millia sustulit. Valentiæ in Hispania anno 1648. pestis subito exorta, primo tantum sutores invasit; & nullum alium; tandem omnes illos, qui crepidis calceisque ab iis coemptis uterentur, adorta est; tum totum regnum invasit. Compertum tandem fuit, navim Algerio soleis coriaceis suberibusque onustam non ita pridem appulisse, quæ in Africa, vehementer peste laborante, contractis contagiosis affluviis, Valentiæ sutores, dein reliquos invasit. *Athanas. Kircher de peste.* Narrat Ingolstad: de peste Mediolani subito orta: eam primo contraxit Æditiuus, dein universa civitas, cum strage quinquaginta millium. Origo fuit funis post vetustam quamdam arcam repertus, quo olim ante annos viginti quinque vespiliones usi sunt ad sepeliendos peste absumptos. Fuit sub Agathonis Pontificatu prodigiosa pestis; Dæmon spectabilis visus est domos contis impetere, tot funerum elatione, quot ictus dedisset foribus, & tanta fuit veneno vis, ut ad oscitationem, aut sternutationem homines concide-rent exanimes. Unde ea eo tempore mos invaluit, oscitanti aut sternutanti salutem precari. Anno 1617. pestis Neapoli sexaginta millia infantium sustulit, præter innumeros alios. Mediolani Monialis timore pestis, quæ tamen monasterium tunc nondum invaserat, a cæteris separata intra cubiculum suum se retinuit, omnium occursum & alloquium fugiens, & salubri odore cubile complens: at cum necessariarum rerum comparandarum causa aliquando egreditur, aperta relicta janua, reversa felem in lecto reperit, qua fugata, dum lecto se committit, peste correpta, post triduum moritur. Causa mali intellecta ex ægra, occisæ feles, & monasterium ab omni contagione immune fuit. In urbe quadam Italiæ (Senas alii putant) pueris e platea ludentibus, corvus in forum devolans a cætero agmine, magna puerorum lætitia exceptus fuit, & dum de præda, cujus fit, contendunt, pennas ei evulsas in ea contentione domum quisque suam tulit. At pueri statim male habere, & omnes, qui eorum curam habere. Vagat inde lues per urbem, & funera, non sine metu exterminii, opem tulit B. Virgo a civibus invocata.

Vestis Imperatoris loco præsidii.

Engelgr. Dom. 3. post Epiph. con. 2. CCCLXXXVIII. Cum Mahomet. II. in Hungariam veniret, deditiii Christiani ex oppido Ketschemit ei dono misere 600. oves, 100. boves, 12. currus panibus onustos, rogatusque ab eis est, ut vellet hominem mittere, qui præsidii loco adversus Turcas equites se defen-

defenderet regis nomine. Is viciffim eis mifit 300. ducatos, & veftem auro intextam, ita fe & fua fervarunt. Quoties enim turma equitum advenit, toties Prætor loci eam veftem, uti Mahomet jufferat, induit, sc fe illis in ea oftendit. Tunc equites omnes, equis defcendentes, togam illam reverenter ofculati funt, ac ære fuo rogarunt liceat fibi annonam emere, ac illic nullius offenfa pernoctare.

Reverentia Præceptori, & Idolo exhibita.

Narr. de Magiftris in relat. regni Madure. CCCLXXXIX. Neiche, five Regulus de Tangeor in Regno Madure, mire in deos fuperftitiofus, menfe Decembri folet lectum duabus ante folis ortum horis deferere, & in conclave Idoli fui ingreffus, ibi tres, aut quatuor horas poft ortum moratur. Hic locus eft deliciarum ejus, quo toto tempore fe occupat in floribus fupra caput Idoli fui fpsrgendis; qui ne defint, ex remoti regni partibus curat afferri, quotquot poffunt reperiri, quantum fieri poteft, omnes recentes. Interim in hoc filentio Regis tanto foris funt miniftri cum variis arte factis ignibus, magno ftrepitu Idolo adftrepentibus, ut ea, quæ Rex orat, largiatur. Cibi & victus Regis eo menfe a nullo alio poffunt parari, quam ab ipfo Rege, qui fuis manibus coquit in vafis aureis, & argenteis. Ea omnia nemo alius, quam fœmina illi præ aliis dilecta, fubminiftrat, eo menfe carne, & pifce abftinet. Eo tempore facit folemnem fupplicationem, fuumque Præceptorem in feretro jubet ferri, in alio feruntur ejus crepidæ, ante quas Rex thuribulo in manus fumpto per totam urbem incenfum adolet. Neque hic folum fuum Magiftrum Rex extollit, fed quoties intrat, & exit palatium regium, a viris geftatur in humeris ceu Idolus: Et Brachmanes tenentur eum femper incenfo colere. Unde ita elatus eft Magifter, ut fe pro Deo haberet, sc Regi indignaretur, quod ante mortem ei promitteret, in fignum grati animi procuraturum non folum orationes, opera pia, fed folemnes etiam exequias; fe enim, cum Deus fit, precibus non egere. Nihilominus Rex mortuo habuit folemnes exequias, qui ipfe ab una civitate digreffus in aliam venit, fcilicet Tangeor, ut illic anniverfsrium ejus celebraret.

Sequi dominum, mercede dignum.

Engelg. in fefto Circumcif. §. 4. CCCXC. Vir nobilis plures annos fervum habuit, quem tandem fine culpa prope nudum dimifit. Delatus sd Judicem, deque injuria poftulatus, cum diceret, fervum fibi nihil aliud præftitiffe, nifi quod fibi a pedibus fuiffet, idque per fex annos, nec aliud laboraffe, tum lata eft a Judice fententia. Si nihil putaret obfequii famulum fex annis præftitiffe, herum fequendo, ipfe quoque per totidem annos poft famulum iret, aut juftam illi mercedem perfolveret, quam illico præftitit.

Fur a mortuo fugatus.

P. Schleenbek. 3. tiro. Notat. CCCXCI. In Suevia noftro ævo fur mortui jam efferendi tumbam fubibat, cadaver vero ipfum in angulum abjecit, ut furari liberius valeret. Cumque alii putarent, fe mortuum efferre, vivum extulerunt: qui dum fe in tumba movet, omnes a fe terrore illo fugat. Inde egreffus fur, cum dilapfis omnibus fe videret poffe furtis impune vacare, videt repente in angulo abjectum cadaver fe movere, quo vifo fur territus, dum per domum, & publicam plateam fugit, omnibus infpectantibus, eum, cadaver, ut erat involutum, tam citato curfu infequitur: ut extra urbem uterque egreffus, nullo deinceps veftigio, ac indicio potuerit deprehendi.

Adulatorum ineptia.

CCCXCII. Dionyfius junior, & ipfe habuit adulatores, hi fimulabant, fe non acute videre inter cœnandum, quia Rex non erat perfpicax, cibofque appofitos palpabant, quafi non videntes, donec Dionyfius manus in lances porrexiffet. Cumque fæpe effet fpuere folitus, faciem fuam, ut confpueretur, porrigebant, fputumque ejus, ac vomitum lambentes, melle dulcius effe dicebant. *Athenæus l. 6. c. 6.*

Alexander M. certando in potu mortuus.

CCCXCIII. Alexander M. Rex certans poculis, cum certaret cum Prothea quem ante provocaverat, poftea provocatus ab eodem, egregie quidem bibit, non tamen ferre potuit, fed poculo e manibus demiffo in pulvinar decubuit, qua ex re mortuus eft. Plurimum bibebat Alexander, ut ob temulentiam fæpius duos dies dormiret, ac duas noctes. *Id. l. 10. c. 11.*

Cafus docuit aqua vinum mifcere.

CCCXCIV. Cum vitis in Græciam a Baccho e mari rubro fuiffet allata, & multi meraco vino immodice ufi infanirent, & capite poftea laborarent, cafus eos docuit vinum temperare. Cum enim aliquando fub dio biberet imber ingruens convivium diffolvit, craterem vero exiguum, in quo aliquid vini fupererat, relictum aqua implevit. Serenitate reverfa etiam ipfi reverfi, vinumque mixtum guftantes didicere fine noxa capitis mixtum vinum bibere. Hinc poft cœnam primum poculum Jovi fervatori, qui ita depluit, confecrare folent. *Id. l. 15. c. 5.*

Libri monitores Principum.

CCCXCV. Demetrius Phalareus Ptolomæum Regem hortabitur, ut libros de regno fcriptos emeret, ac legeret; nam de quibus amici Reges admonere non audebant, effe ea in libris fcripta, nec Regum odia timere. *Stobæus c. 46.*

Fortitudo filii.

CCCXCVI. Italico bello Pinenfis juvenis, qui Pluto dicebatur, cum obfeffæ urbis clauftris præfideret, & Romanus Imperator patrem ejus captivum, in confpectu ejus conftitutum, ftrictis gladiis militum circumdediffet, occifurum fe minitans, nifi iter irruptioni fuæ præbuiffet, folus e manibus fenem rapuit. *Val. Max. l. 5. c. 4.*

Solatium miferis focios habere.

CCCXCVII. Solon Athenienfis, cum ex amicis quendam graviter mœrentem videret, in arcem produxit, hortatufque eft, ut per omnes. *Val. Max. l. 3. c. 2.*

mnes subjectarum ædium partes oculos circumferret, quod ubi alter fecit: Cogita nunc inquit, quam multi luctus sub his tectis & olim fuerint, hodieque versentur, & post sint futuri, & desine post hac mortalium incommoda tamquam propria deflere.

Delusus a Pictore.

Schirmbek. tom. nat. prof. CCCXCVIII. Quidam a pictore in Bacchanalibus jubebat faciem suam ridicule pingi. Pinxit, & hominem sibi in speculo ostendit absoluta pictura: tum velut aliquid emendaturus, colores omnes iterum diluto pennicillo absterſit. Sic alter ceu ignotus multa in plateis stultitiæ documenta dedit, mirantibus, qui eum spectabant, hominem passim notum ita insanire. Detecto dein errore, ita erubuit, ut graviter ægrotaret.

Famuli crudelitas punita.

Idem. CCCXCIX. Viennæ famulus pistoris clam heri domum ingressus, noctu servum, ancillam, conjugem interfecit; cum autem etiam ad filiolam accederet, illa rogavit, ac dixit: Mi Paule, vitam mihi condona, omnes meas puppas tibi dabo, quam tamen interfecit. Is retractus Ratisbona, demum Viennam, excruciatus tormentis graviſſimis, omnium tormentorum vim excedere dicebat horrorem, quo concuteretur, si vocis supplicis puellulæ meminiſſet.

Apprehensio quam potens & nociva.

Idem. CCCC. Cardinali cuidam cum medici dixissent, eum melancholia moriturum, nisi se ipsum excitaret; ac ille negaret, fieri posse, ut quis ex sola apprehensione & melancholia moreretur: ut id ei medici ostenderent, hominem mortis reum a Magistratu sibi traditum jusserunt ad mortem se parare: venæ enim sectione & fluxu sanguinis eum perimendum. Contendebant enim coram eo, ceu inter se coram Cardinali differerent, hominem, si ultra sexdecim uncias sanguinis profunderet, mori debere. Igitur velatis rei oculis, simulant se illius venam incidere, & e gutturnio aquam sinunt in subjectam pelvim defluere, ceu sanguis ejus esset, ac uncias numerabant singulas. Ubi ultra sexdecim numeraverunt, reus præ apprehensione mortuus est, & Cardinalis curatus.

Somniorum mira efficacia.

Idem. CCCCI. Nostra ætate Tornaci in Belgio homo rudis natandi, noctu solitus ambulare in somnis, etiam in Scaldim fluvium descendit, dormiensque totum flumen sæpius tranavit. Vidit natantem aliquis, & obstupescens, nomine compellavit. At ille mox vigil, lapidis instar submergitur.

Mulier quadraginta annis in Ordine Minorum vivens.

Idem. CCCCII. In Polonia fœmina clam virum mentita jam quadraginta annis apud Franciscanos, ceu Religiosus exegerat; cum quidam e abraso semper mento suspicatus, quod erat, fœminæ in faciem dixit, sibi persuasum esse, eam fœminam esse. Re dein delata ad Superiores fassa est, quod erat. Tunc religiosarum monialium habitu induta ejusdem Ordinis solemni deductione ad monialium monasterium fuit translata.

Viri e Vacca nati.

CCCCIII. Fuit adhuc anno 1646. in vivis ad lacum Ætonianum vir probus, qui fuit e vacca natus: numquam visus est ridere; cum rogaretur causam mœroris, cum gemitu respondit, meminiſſe, se unde sit natus, quæ recordatio ridere prohibeat. Alibi quoque Monachus e vacca natus, cæteroqui prudens, nisi quod singulis mensibus certo tempore furore correptus, in horto manibus pedibusque reptans: gramen instar vaccæ carperet. Idem.

Filiæ miserabilis casus.

CCCCIV. Anno 1650. Mense Februar. prope Ingolstadium hospita filiam Ingolstadium misit panes emptum, & pecuniam puellæ crinibus intexuit, adversus prædones, videntibus in duobus militibus, qui illic jam familiares, tunc iterum diverterant. Cumque puella in itu esset, milites illi puellam insecuti, caput ei præciderunt, ac sacco injecerunt. Eos mox alii tres equites adorti quærunt, quid ferant; cumque illi dicerent, caput vituli se ferre, ac illis pretium offerentibus, negarent illi, caput id sibi venale esse; equites vi saccum eis eripuere: & mox ad hospitium delati, cum putarent, caput vitulinum se habere, matrem familias coquere id jusserunt. Sed mater mox aperto sacco cognovit filiam suam esse. Idem.

Mulier mirabiliter a morte liberata.

CCCCV. Æque recens est, quod prope Viennam Austriæ contigit. Erant ibi tres latrones infames diu impune grassati, quorum scelus aliud scelus detexit, & punivit. Molitor dives, sed uxoris prægnantis pertæsus, eam jussit in crastinum secum in sylvam secedere, se muliebrium filiorum saturum ferre in domo eam amplius nolle. Illa tristis & male sibi metuens, fratri, qui venator erat, rem aperit, a quo animata, jussaque est cras maritum sequi, sibi vitam ejus cordi fore. Mane altero molitor uxorem in sylvam tribus latronibus, ut emptam sistit, pretiumque postulat, si puellum e prægnante excindant, 800. florenos; si puellam, 300. numerari jubet. Illi adhuc incerti, quid utero fœmina ferret, puellæ pretium persolvunt, si puer esset, reliquum addituri. Ita misso molitore latrones nudata muliere, in eam cultros acuunt, prius alearum jactu periclitati sortem, quis primus manum admoveret. Interim frater in peregrina veste sororem latenter secutus viso discrimine, latronem primum sternit, alterum altero sclopeto graviter sauciat, tertioque dilapso sororem alligatam arbori exsolvit, ac lento passus redire domum jubet. Ipse prævius ad molitoris ædes, eum reperit pretium parricidale numerantem percontatusque, ubinam soror esset, altero nescire absentiæ causam fingente, inde ad Magistratum properat, & rem ei totam enarrat. Tum molitor in vincula conjectus. Idem.

capi-

capitis damnatur. Postridie uxor gemellos parvulos enixa est.

Humanitas Legati Moscovitici.

Idem. CCCCVI. Anno 1662. Londini in Anglia ægrotanti Legato Moscovitico Rex Carolus II. unum ex Aulicis misit, qui eum suo nomine salutaret ac solaretur: se, nisi convalesceret, ipsum ad eum venturum. Tum Legatus: Si, inquit, in sinu Abrahæ forem, inde Regi occurrerem, ne ad me veniret, & tantam humanitatem deprecarer.

Fur liberatus, & iterum suspensus.

Ex literis CCCCVII. His annis in Germania quidam fuit ob furta suspensus, qui, cum prætereunte rustico videretur adhuc moveri ac vivere, rusticus commiseratione tactus, funem præcidit, & miserum currui imponit, ut ibi se colligat; fur jam restitutus sibi a curru desilit, & alio pergit, actis gratiis. Interim noctu observat, ubi cum curru & equis rusticus diverterat, & clam stabulum ingressus servatori suo equos aufert. Rusticus mane equos juncturus currui, cum non reperiret, aliis equis conductis suos inquirit, & in via intelligit, duos equos ab aliquo non procul fuisse abductos; insequitur igitur & assequitur furem, ac retractum reducit ad patibulum, & eodem loco, unde liberavit heri, denuo suspendit, & occidit.

Suspendi malens, quam vivere.

Schirmbek. to. 3. morat. CCCCVIII. Circa annum 1633. cum Serenissimus Elector Maximilianus Brunovii esset, fuit rusticus quidam ob furta suspendendus, cui cum in scala fatali jam stanti nuntiaretur, vitæ ei gratiam fieri, nihil inde gavisus, secum ajebat: Operose scalam ascendi, nunc si vivere porro velim, laboriose descendendum erit: postea primum ad tormenta bellica vehenda condemnatus (hoc ei in pœne locum injungebatur) nolens militiam sequi, jussit se suspendi, recusata vitæ gratia.

Medicus per Eclypsin ditatur.

P. Henric. Rott. Missionar. in Mogore. CCCCIX. P. Henricus Rot in Mogore medicum novit, Gallum gente, qui erat Regi ob artis peritiam gratus. Is, quia sciebat, Regem cum tota gente superstitiose eclypses observare, ac ut fatales metuere, Regi in proximam eclypsin suasit, ut purpura se optima indueret, ac totum se auro ac gemmis oneraret: ita enim pestem eclypsis omnem vesti, auro & gemmis adhæsuram. Audiit Rex monentem, evasit lætus eclypsis, quam timuit, malignitatem. Tum primum Rex dubitare cœpit, quid sibi cum pretiosa veste, & tot gemmis agendum esset, utpote cælesti veneno afflatis, ut putabat. Medicus autem ei suasit, omnia esse abjicienda, aut certe ut Rex ea sibi donaret, ut jam inutilia. Ita Medicus ditatus est omni illa auri, & gemmarum copia: ac præterea, quod tam sana suasisset, tria millia ducatorum a Rege accepit.

Aurum Tolosanum.

Gellius l. 3. c. 9. CCCCX. Aurum Tolosanum dictum inde, quod, cum oppidum Tolosanum in Galliæ Q. Cepio Consul diripuisset, multumque auri in ejus oppidi templis fuisset, quiquis ex ea direptione aurum attigit, misero exitu obiret.

Galli Regis jactantia.

CCCCXI. Cum Carolus V. Regi Galliæ scribens, longos titulos a suis Provinciis præfigeret titulo ad multas lineas; Franciscus I. tantundem spatii occupavit, eodem Galliæ nomine repetito: Franciscus Rex Galliæ &c. *Raynaud in laud. brev. S. 2. n. 4.*

Ferculum pretiosum Cæsari oblatum.

CCCCXII. Æneas Silvius narrat, Carolo IV. Imperatori data a cive Pragensi, accepto chirographo, auri nummum centum millia mutuo; postridie civis invitatus ad epulum, lauteque habitum, illata mensa secunda, & etiam chirographo securitatis inter bellaria in lance aurea Cæsari proposito, ita loquitur: Reliqua Cæsar, tibi ac Principibus tuis fuere communia fercula; hoc vero solius Caroli Imperatoris est, non item Optimatum, aurum, quod mutuavi nudius tertius, tibi dono, omneque debitum remitto. *Nadasi in anno mor. hebd. 3. n. 1.*

Ferrarum captores vita non privandi.

CCCCXIII. Ferdinandus I. Imperator præcepit, ut ferarum captoribus oculi eruerent; cum vero reo id supplicium esset aliquando inferendum, revocavit edictum, ut inhumanum: neque enim decere, ut feræ causa homo vitam aut oculos amittat; si enim quempiam fortunis mulctet, posse illas a se restitui, non item vitam, vel oculos. *Zeiler. collect. in c. 3. p. 2.*

Crudelitas punita.

CCCCXIV. Micha Archiepiscopus Salisburgensis virum egenum, qui cervum agello suo noxium confecit, & cum suis absumpsit, in cervi illius pellem consui, & in forum duci jussit, ut ceu fera inibi a canibus laceraretur. Sed ipse altero die in venatione ab equo in morbum lapsus obiit. *Id. cent. 2. ep. 20.*

Sapiens astus Judicis.

CCCCXV. Carolo Calabriæ Duci nobilis fuit accusatus, quod virginem vitiasset; is non negavit, ajebat tamen, id illa etiam volente factum. Dux ei centum florenos pendi a nobili jussit: clam tamen nobilem eumdem subornavit, ut puellam inde discedentem invaderet, ceu pecuniam ablaturus. Quod dum facit, illa obluctatur, clamat, & ad Ducem Judicem redit. Is puellam increpat, & si ita fuisset, ait, vim inferenti pudicitiæ obluctata, facile fuisse evasuram: & nobili jussit peccuniam reddi. *Id. cent. 2. ep. 87.*

Pudor studiorum fomes.

CCCCXVI. Sveno Episcopus Arnhusiæ in Norwegia initio fuit Regis sui Sacellanus admodum indoctus: Unde ejus emuli ut eum *Ibid. ep. 81.*

ludo

ludo haberent, in oratione illa. *Deus regem famulum tuum protege*: syllabam, *fa*, erasenunt. At ille rudis litterarum, semper legebat: *Regem mulum tuum*: Id ubi postea rescivit, adeo fuit commotus ac pudefactus, ut studere cœperit, & brevi ita profecit, ut omnes superaret, & postea omnium consensu Episcopus fieret.

Judex mirabilis.

Ib. ep. 17. CCCCXVII. Fuit Judex, qui omnes lites alearum jactu decidit: & tamen ausus est contendere, sua judicia æque justa esse, ac Curiæ Parisiensis.

Canis rex constitutus.

Ib. cent. 1. ep. 2. CCCCXVIII. Gunnarus Rex Svetiæ Regnaldum Norwegiæ Regem jam senem vicit. Et ut Norwegis metum & timiditatem, vel incuteret, vel exprobraret, canem eis præfecit, ac ministro constituit, qui omnia canis nomine ceu regis administrarent, sanxitque capitis pœna, ut pares regibus honores cani deferrent.

Conspiratio crudeliter punita.

Ib. ep. 21. CCCCXIX. Iwan Basilievix, Moscoviæ Dux crudelis socio conspirationis contra se anno 1567. initæ omnes delevit, cum familia, uxore, liberis, servis, pecudibus, canibus, felibus, ipsis in aqua piscibus, & quidquid erat illorum; cumque milites pulchro infanti pepercissent, ipse infantem, ante e cunis suaviter milites arridentem, ad se allatum primo complexus, & osculatus, dein ter cultro confossum occidit: milites vero illos post infantem e fenestra ursis & canibus objectum, pariter occidi jussit.

Concio de Passione causa Judæorum cæsorum.

Zeiler t. 3. ep. 66. CCCCXX. Anno 1350. Egre quidam Franciscanus cum feria V. Cœnæ Domini de Passione Christi fervide concionaretur, forte præsens miles rudis ita excanduit, Christum ab impiis Judæis tanta passum, ut eas injurias ulturus sub concione altare conscenderit, & deinde arrepto crucifixo vociferans populum rogarit, ut secum Christi mortem ulcisceretur, se ducem fore. Inde populus gregatim illi se associans omnes Judæos occidit, & spoliavit, & prædam inter se divisit: libros vero Magistratui tradidere, qui etiamnum extant. Hæc quamvis fierent inscio Magistratu, tamen Bohemiæ Regi aliquot milia florenorum mulctæ nomine pendere debuere.

Latro crudelis.

Ibid. ep. 69. CCCCXXI. Anno 1361. Gert Birnbaum Saxo septingentos a se occisos fassus est non pecuniæ causa, sed ut venustos homines videret, quales in morte essent: alios occidit ut hostes, ut sibi nomen fortis crearet: Obiit sine confessione & dolore. Fractis membris rotæ vivus est alligatus, in qua triduum vixit. Si monebatur, ut de peccatis doleret, dicebat, se dolere, quod non plures occidisset.

Simulata fidelitas fructuosa.

CCCCXXII. Talis Falsobordone Concionatori e familia S. Francisci Mediolani loculum obtulit, in quo fuere 300. scuta, quem se dicebat in via reperisse: & forsan fuisse illuc a dæmone positum, ut suum sibi meritum auferret. Statuisse enim se ac novisse, quod corrogata stipe vellet peregrinationem obire: rogare se, vellet e Cathedra populum commonere, si quis loculum amisisset, editis legitime signis ab ipso repeteret. Dein rogabat, ut vellet suam inopiam simul & fidelitatem populo commendare. Fecit id Orator liberaliter; nam mendicus ille multam inde stipem sequenti die accepit. Princeps etiam ipse, intellecta hominis fide, tantum illi pecuniæ dedit quanta bis inventam fictæ pecuniam superaret. Sic actis gratiis fraudator discessit. Altero die adfuit ejus socius, ad hoc subornatus, mercatori habitu, qui explicatis rite signis omnibus trecenta scuta recepit, qui ad duos illos nebulones spectabant. *Scir mbdz 10.1. Vos. profan.*

Exemplum aliud.

CCCCXXIII. Civis Camerinus in patria sua civibus imposuit, socium sibi adscivit, qui eum in temere compacto curru & carro, ut ægrum, involutis tibiis, brachiis, & toto corpore in urbem pertraheret. Ab eo igitur fuit tractus in templum Cathedrale, & positus in sacello aliquantum obscuro S. Venantii: ibi socius ejus miserabili voce illius inopiam & miserias explicare: addebat post multas ambages, eum hominem esse sanctum, lepra obsitum, aliisque morbis, alios tamen vi suarum precum sanasse. Ajebat, illum futura & occulta agnoscere, ac prædicere, dicebatque illum vocari beatum Thomam de Assarsante. Mulierculæ curiosæ & credulæ multa post allatam stipem cum Georgio (ita veræ æger simulatus vocabatur) loquebantur. Omnes ipse noscebat, etsi omnibus ignotus, loco præsertim obscuro; & veste alia. Eis dicebat, quæ volebant de rebus præteritis, & inde etiam futura præsagiebat, dicebatque verisimilia, ita miti & placito sermone omnes a se dimittebat recreatos. Inter alias mulieres etiam uxor ejus adfuit, ignara, se cum marito loqui; cui ille submissa & gravi voce respondit: Scito maritum esse salvum, & sanum, & paulo post domum cum multis opibus reversurum. Is cum a te discederet, quatuor scuta seu coronatos in parvo scrinio cubilis tui reposuit ad dexteram, prope lectum, quos credo illic reliquisse, ut inde tuæ necessitati consuleret: sed postea fuit oblitus. Tu modo domum redi, & absconditam pecuniam quære: quod si mea peccata non faciunt hac vaticinandi gratia indignum, reperies, ut dixi. Mulier egens avide reversa, ubi pecuniam eo loco reperit, læta viciniam omnem complet fama veræ prædictionis. Unde crevit Georgio auctoritas, fuitque tantus ad eum accursus, ut necesse fuerit baculo multitudinem corceri: cum felicem se crederet, cui licuisset eum aut videre, aut tangere, pecuniæ, vestes, & eleemosynæ tanta copia afferebantur, ut eis capiendis, & reponendis locus *Idem ex Raphael Frianor, c. 8.*

locus deesset. Matrona quædam pretiosam vestem cum variis ornamentis ad quadraginta coronatos dedit, & sic aliæ plurimæ. Ita dictatus simulator aliquando noctu clam se subduxit, & male partis, posita persona fruebatur.

Hospes astu delusus.

Laur. Forer. in M. S. CCCCXXIV. Hispanus, cum solvere hospiti symbolum deberet, ei, si sine pretio dimitteret, promisit artem traditurum, qua posset ex eodem dolio tria vini genera educere. Itaque postulans terebram; accessit ad dolium, ac primo foramine facto, jussit hospitem opposito digito dexteræ manus id tantisper obstruere: donec & in altera parte id faciat: quo facto jussit & sinistræ manus digitum foraminis apponere; demum in medio quoque cum fecisset foramen, os jussit admovere: quo facto aufugit.

Sermones hominum sensim deficiunt.

Schlemb. Nat. 10. 3. CCCCXXV. Quidam ardenter quidpiam expetebat, sed famam, & hominum sermones timuit, cujus timori ut mederetur socius, tale quid commentus est: Asinum, inquit, habemus, quem a pictore curabo viridi colore pingi. Sic asinus pictus dum per urbem ducitur, spectatores habuit, & comites pueros, & puellas: sed & senes erant curiosi. At eum asinus aliquot dies per easdem vias circumduceretur, tandem & spectatores amisit & comites. Tum alteri: Vides, inquit, plebis mores? aliquot dies rem novam mirantur, paulatim minus, tandem mirari, & curari desinunt.

Credulitas crudeliter vindicata.

Idem. CCCCXXVI. Altobellus, civis Tudertinus, suæ patriæ bellum intulit, & expugnavit: Cives vexavit, & mactavit plurimos, vicina oppida etiam diripuit. Tandem a Pontificis exercitu victus est. Ipse in pœnam publico loco tabulæ affixus fuit, ut illum læderent, quot ab illo erant læsi. Accursus ingens, multis, prographiis, & cultris, dentes, fuere, quibus eum dilaceraverunt: oculi eruti, viscera extracta: mortui tandem caro in macellum deportata, dissecta, & ad pondus iis, qui nondum satis ulti erant, divendita.

Vindicta servi crudelis.

Pontanus l. 3. de obed. CCCCXXVII. Majoricensis civis servo severius castigato peregre profectus est. Regressus domum clausam reperit, servum videt in suprema domus parte cum tribus filiis, & uxore vincta. Ac primo unum e filiis præcipitat, spectante patre: dein & alterum: post & conjungem heri dejicit. Tandem clamat, si pater filium ultimum velit salvum, nasum sibi amputet. Id cum pater fecisset (alii referunt, plura membra patrem amputare jussum paruisse) servus irridens, seipsum taodem præcipitavit.

Amor optimum ad studia incitamentum.

Pausanias in Attic. CCCCXXVIII. Atheois olim io vestibulo Academiæ posita palam extabat ara Amoris, ut intelligerent ingressi, amorem ad studia afferendum.

Elector in coronatione suffocatus.

CCCCXXIX. In Alberti Imperatoris Austriacæ gentis secundi, cum Aquisgrani esset, coronatione, tanta fuit multitudo, & compressio, ut Elector Saxo in turba comprimeretur, & suffocaretur. Felix Reineckius l. 1. c. 3. ill. fem.

Ultio servi crudelis.

CCCCXXX. Henricus Dux Ligniniæ, Pinguis dictus, astu captus, dum in flumine lavat, nudus Hennio Duci Wratslaviensi traditur a proprio servo, cujus patrem sceleris reum ante plecti jubebat. Is Hennius cognatum suum captum ferreæ cistæ inclusit, in qua nec jacere, nec stare, nec sedere poterat, & erant in ea tantum duo foramina, per quorum unum cibus ei dabatur, per alterum, ut naturæ satisfaceret; in hoc carcere dimidium annum fuit servatus, donec sex illis mensibus a sordibus, & vermibus prope exesus triginta millia marcarum argenti, & quinquaginta traditis urbibus se redemit. Idem l. 1. c. 3. ill. fem.

Perfidia punita.

CCCCXXXI. Cruentum novem annorum bellum inter Fridericum III. Austriacum, cognomento Pulchrum, & Ludovicum Bavarum, originem ab unius Legati perfidia traxit. Cum enim in electione Imperatoris vota utrisque essent paria, anno 1309. cum Trevirensis, Moguntinus, & Rex Bohemiæ pro Ludovico starent; Coloniensis vero, Palatinus, & Saxo pro Friderico: Brandeburgicus absens Waldemarus Legatum misit Nicolaum Bokh cum litteris authenticis, quibus Imperatorem Fridericum nominaret. Legatus eraso Friderici nomine Ludovicum posuit. Inde bellum. Ipse autem redux fuit; nam a Principe in carcerem conjectus fame novo more fuit enectus. Jussit enim ad eum multos, ac pretiosos cibos afferri, quos constabat Nicolao sapere, sed nihil ei dabatur, & milites custodes eo spectante omnia absumebant; tandem fuit extinctus. Ibid. c. 1.

CCCCXXXII. Antonius Spinola qui a Genuensibus Corsicæ Præfectus, cum data fide in consilium ac simul in convivium multos Corsorum Principum vocasset, contra datam fidem caput omnibus ademit: cujus perfidiæ justas pœnas luit, siquidem veneno a Corsis sublatus est. Fulg. l. 9.

Amazonum origo.

CCCCXXXIII. Apud Scythas duo Regii Juvenes, Plinos, & Scolopythus, (aliter Scolpithus) per factionem Optimatum domo pulsi ingentem juventutem secum traxere, & in Cappadociæ ora juxta amnem Thermodoonta consedere, subjectosque Themiscyrios campos occupavere. Ibi per multos annos spoliare finitimos consuevere, conspiratione populorum per insidias trucidantur. Horum uxores arma sumpsere, finesque suos summoventes primo, mox inferentes bella defendunt. Nubendi quoque finitimis animum dimisere, servitutem, non matrimonium appellantes. Auxere Rempubli- Justinus l. 2.

publicam fine viris, &, ne felicieores aliæ allis viderentur, viros, qui domi remanferant, interficiunt, ultionem quoque cæforum conjugum excidio finitimorum confequuntur. Tum pace armis quæfita, ne gens interiret, coneubitum finitimorum ineunt. Mares interficiebantur, fi qui nafcerentur. Virgines in eumdem ipfum morem, non otio, neque lanificio, fed armis, equis, venationibus exercebant, Inuftis Infantium dextris mammis, ne fagittarum jactus impedirentur: unde Amazones dictæ funt. Duæ Reginæ his fuere, Marthefia, & Lampedo (alii Lampades) quæ in duas partes agmine divifo, inclytæ jam opibus, vicibus gerebant bella. Itaque majore parte Europæ fubacta, Afiæ quoque nonnullas civitates occupavere. Ibi Ephefo multifque aliis urbibus conditis, partem exercitus cum ingenti præda domum remittunt. Reliquæ, quæ ad tuendum Afiæ imperium remanferant, concurfu Barbarorum eum Marthefia Regina occidunt. In cujus locum filia ejus Orithya regno fuccedit, femper virgo, focia regni forore Antiopa affumpta. Aliæ duæ forores, Nenalippe & Hippolyte, ab Hercule captæ. Orithyæ Penthefilea fucceffit. Tandem fub Minothea feu Taleftri Amazonum nomen intercidit.

Servi imperium contra dominos vindicantes.

Idem l. 18. CCCCXXXIV. Tyrii fervis fuis multitudine abundantibus indigna fupplicia perpeffi funt, qui confpiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt. Atque ita potiti urbe, lares dominorum occupant, Rempublicam invadunt, conjuges ducunt. Unus ex tot millibus fervorum fuit, qui miti ingenio fenis domini parvulique filii ejus fortuna motus, dominofque non truci feritate trucidavit, fed pia mifericordia, ac humanitate refpexit. Itaque, cum velut occifos alienaffet, fervifque de ftatu Reipublicæ deliberantibus, placuiffet regem e fuo corpore creari, eumque potiffimum acceptiffimum diis, qui folem orientem primus vidiffet, rem ad Stratonem (hoc hero nomen fuit) occulte latentem detulit. Ab eo informatus, cum medio noctis omnes in unum campum proceffiffent, cæteris in Orientem fpectantibus, folis occidentis regionem intuebatur. Id primo aliis videbatur furor, in occidente folis ortum quærere: ubi vero dies adventare cœpit, editiffimifque culminibus urbis oriens plaudere, expectantibus aliis, ut ipfum folem afpicerent, hic primus omnibus fulgorem folis fummo faftigio civitatis oftendit. Non fervilis ingenii ratio vifa. Requirentibus auctorem, de domino confitetur. Tunc intellectum eft, quantum ingenua fervilibus ingenia præftarent, malitiaque fervos, non fapientia vincere. Igitur venia feni filioque data eft, & velut numine quodam refervatos arbitrantes, regem Stratonem creaverunt. Poft cujus mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes, tranfit. Celebre hoc fervorum facinus metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit.

Tria figna amoris.

CCCCXXXV. Francus quidam diferte docuit, tribus hifce amor comprobari: *Primo, honorando amicum præfentem. Secundo, laudando abfentem. Tertio, juvando egentem.* Incredibile enim eft, quam afficiat, fi intelligat fe abfentem ab altero, quem fubinde fufpectum habet, luculenter collaudatum. *Engelgr. p. 3. Luc. Evang. f. 140.*

Optimum quod præmium.

CCCCXXXVI. Pericles Dux, & Orator nobiliffimus, cum Rempublicam Athenienfem quadraginta annis feliciter & prudenter gubernaffet, lenta tabe confumptus, ad extremam vitæ lineam pervenit. Eique jam prope animam agenti præftantiffimi cives, & amici, qui convenerant, virtutes bellicas, res geftas, ac victoriarum palmas commemorabant; quos interrumpens Pericles emortua voce, *Miror*, inquit, *hæc a vobis commemorari, quorum partem fortuna, partem aliena induftria, & militum robur fibi vendicat, & quæ pluribus Ducibus obtigerunt; quod vero præftantiffimum judico, prætergreffi eftis; Nemo ex omnibus civibus mei caufa pullam veftem induit.* Voluit dicere, neminem unquam prudens aut volens læfi, nemini caufam doloris, exacerbationis, aut afflictionis animi præbui. *Ibidem.*

Promotiones quid impediat.

CCCCXXXVII. Prælatus quidam, cui proprium, viridem geftare galerum, inhiabat purpureo, quem ut obtineret, gratiam nepotis Pontificii gratiofo munere captare ftuduit, mittens ei in difco argenteo immatura atque omnino viridia cerafa, hoc lemmate margini infculpto: *Te fole rubefcere gaudent.* Refponfum accepit, cerafa fua nimis magna in umbra fita effe, & multis majoribus obfufcari, & obumbrari. Quo facile vidit, & invidit, illuftriores, ac eminentiores fibi præferri. *Ibidem f. 237.*

Amoris infani ingeniofum inventum.

CCCCXXXVIII. Infanus amor ingeniofam non ita pridem clepfydram efformavit: Puella amantis cineres, quem dum viveret, ftulte deperierat, ftudiofe collegit, atque intra vitrea vafcula conclufit, horafque ad illos dilecti fui cineres, noctes, & dies lacrymando metiebatur: cui horologio hoc Chrftianum documentum pius Poeta adfcripfit. *Ibidem f. 201.*

Irrequiete cinis, miferos teftaris amantes,
More fuo nulla poffe quiete frui.

Non ceffabat nocte & die plorare ad hanc clepfydram mortem amantis, hominis mortalis.

Epitaphium Bucanani.

CCCCXXXIX. Hic jacet Veneria *procus*, anagrammate porcus, *Ibidem f. 23.*
Tenebrio noctu diuque *ebrio* fimilis.
Cui in vita virtus invita.
Sola volupia pia.
Et in *amoribus moribus* fuit.
Huic cælum libidinum *obfcænum cænum.*

Et

Et *pollutum*, *lutum*.
Sed quæ *misero sero* sors *obvenit*?
Quæ mors *insecuta*, *secuta* hunc porcum orcum *Inquietis*: *quietis* enim illius locum focum *Insignem ignem*
Non in pace, sed in pice esse *creditis*, *ditis*.
Hæc sors mors ei *debita est*, *ista est*.

Vis Magicæ artis.

Ib. f.124. CCCCXL. Sub Carolo nono Gallorum Rege grassari hæresis cœpta est, quam dum extirpare, & regno expellere satagit, ipso in ætatis flore contabescere, intemperiis variisque cruciatibus agitari cœpit; malum omnem Medicorum peritiam superabat. Dum tandem festo S. Bartholomæi deprehensa cerea imago, forma regia, in quam nefarii homines impie fuerant debacchati, quidquid punctionum ac vulnerum huic cereo simulacro infligebant, id Rex innocens in se tenerrimo sensu percipiebat, donec tandem succubuit, & fatis concessit.

Morsus malæ conscientiæ.

Ibidem. CCCCXLI. Dionysius Syracusanorum Tyrannus tonsoris metu tondere filias suas docuit, nec his adultis ferrum est ausus comittere, sed candentium juglandium aut nucum putaminibus barbam sibi & capillos aduri jubebat; lectum quasi castra lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte adducto recipiebat.

Superbia Tyrannica.

Ib. f.137. CCCCXLII. Horatius Tursellinus scribit, Bajazetem Turcarum Regem anno a partu Virginis 1040. a Tamberlano Tartarorum Rege, celeberrima illa victoria (qua Tartarus, quidquid terrarum est a Tanai flumine ad Nilum, domuit) non modo victum captumque, & in cavea ferrea ad ludibrium asservatum, verum etiam coactum fuisse, cœnante Tamb. catena collo injecta inter canes cibum sub mensa sumere, insuper insolentis atque post hominum memoriam inauditæ superbiæ edidit argumentum. Etenim fama fert, Tamberlano equum conscensuro Bajazetem tergum præbuisse, & fastu plane barbaro, hujus cervice calcata, equum conscendisse.

Idem.

Vulget. l. 9. CCCCXLIII. Sapor Rex Persarum immani in Publium Cornelium Licinium Valerianum Imperatorem usus est, quem cum prælio superatum cœpisset, non solum veluti canem vinctum tenebat, verum ergo ejus etiam pro scamno utebatur, ut commodius in equum conscenderet.

Stratagemate mirabili urbs occupata.

Ib. f.471. CCCCXLIV. Urbs Atrebatensis hoc stratagemate a Burgundis occupata est anno 1492. cum Atrebatum quindecim annis sub Francis gemuisset, die quinta Novembris, dum Præfectus urbis Cardonius cum multis militibus Creveceurium evocatus esset, Joannes Marius civis Atrebatensis, Grifardus vulgo a canitie dictus vir tenuis fortunæ, sed acris ingenii, suique Principis perstudiosus, hoc stratagemate usus est. Multis compotationibus perquam familiarem se reddidit Channio Franco, cui claves urbis commissæ, & portas urbis claudendi ac referandi provincia demandata erat. Jamque ita Channii animum occuparat, tantamque gratiam & fidem invenerat, ut Channio non semel ad pocula confidente ipse cum militibus urbis portas occluderet. Quod cum sæpius fideliter factitasset, quodam vespere ad id muneris cum aliquot præsidiariis progressus, ex condicto, in itinere a conjuratorum uno semipotum se simulante, & poculum vino plenum ostentante, intra, ut bibat, invitatur. Rogat Grifardus socios, ut paululum præcedant, se quam mox subsecuturum. Ingressus reperit ceream materiam paratam, cui claves imprimat. Sicque Grifardus ad portas tendit, claudit, & ut consueverat, ad Channium compotaturus accedit. Claves cera impressas mox conjuratus ille Duacum fabricandas defert; tertius conjuratus (hic dictor erat) Melunium, Vaudrejum, aliosque Burgundos ad stratagema incitat. Stato die 5. Novembris Grifardus signum constitutum, tritam Atrebati cantilenam exorsus est. Eam in vallo contenta voce alacriter Grifardo cantante. Burgundi iter placide faciebant: sed attendite, quam silenter a equorum soleis panno laneo suffultis, hinniendique facultate eis impedita procedebant. Atque ipso Grifardo tacente, ex condicto, consistebant. Vesperi hora nona conjuratorum unus in turrim conscenderat (nam & hujus clavem expresserant) ac ferream campanæ linguam adstrinxerat, ne ad arma signum dari posset. Duo insuper vigiles in muris vigilabant, dum socii cum Francis conjurationis ignaris, largius vinum potitantes, in porta excubant. Sub noctis duodecimam lictor ostiolum portæ Haigernæ clam aperit, & ad Burgundos adventantes contendit: omnia salva denuntiat, cantilenam Grifardi dumtaxat observent, atque tesseram, quæ erat S. Georgii, tum D. Michaelis. Sicque ad suos cum tredecim Burgundis in urbem prorepti, qui signo dato portæ custodes invadunt, valvas nemine obsistente aperiunt, Burgundos equites peditesque admittunt, Grifardo semper, jamque alacrius, concinente; atque ita sub tertiam matutinam Burgundi urbe potiti sunt, & septimo die Novembris Magistratus renovatur, omnesque conjurati in eum adlecti, Grifardo urbis Prætore constituto.

Singularis filii in parentes amor.

CCCCXLV. Mortui jam in cinere, seu igne, seu aliter abierant dulcissimi parentes Indi pueri, de quo Causinus in Symbolis l. 3. 38. semper illi in oculis lacrymæ, in ore dulcia regiaque patris matris nomina perennabant, adeo ut lacrymæ in os fluentes dulcia illa nomina deprehenderent semper illic. Ingeniosum vero doloris stratagema fecit pius amor, quando in suo ipsius capite Regius puer vulnus aperuit, dissimulatoque præ amore sensu doloris in hiante capitis vulnere paternos ac maternos cineres, qua potuit, sepelivit ut semper aliquid patris ac matris secum haberet in capite. *Nadasi in ann. crucif. hebd. 29.*

Verbera gratanter accepta.

Ibidem hebd. 42. CCCCXLVI. Augerius Busbequius refert, baculis adeo nonnumquam contusos Turcas, ut integras vitiatæ per verbera carnis fibras exscindere debuerint e partibus percussis. Lictori tamen pro singulis verberibus percussi solvebant, & illum, cujus jussu percussi erant, reddebant acturi gratias, & manus exosculabantur, fustem, quo cæsi sunt, aurum habebant, eredebantque delapsum e cælo.

Campana admiranda.

Ibid. in ann. mor. hebd. 7. n. 7. CCCCXLVII. Novam, & admirabilem Ramiri Regis campanam narrat Hispania, in qua rotundo circumgyro appendi curavit optimates, totidem veluti trophalos seu malleos; Rex, ad visendam inspectatam, novam, ac mirabilem campanam Proceres alios invitavit. Hæsere illi attoniti; dum inaudito spectaculo præstantissimos quosque e Procerum ordine viros in ferali illo & inusitato patibularis campanæ suspendio spectarent amici. Sonabat nimirum, Ramiro pulsante, illa campana in Procerum animis, ut ne quis impune se contra Regem audere posset.

Elephas ingeniosus.

Lett Gron. var. lect. l. 2. l. 3. c. 30. CCCCXLVIII. Cælius Rodiginus ait, se vidisse elephantem, qui in terra molli proboscide scribebat. Tevetus Cosmographus scribit rem a se auditam ut verissimam, & ab Indis recensitam, ut sequitur. Cocini, quadam Insula in Indiis attestatio extat ante annos 30. (ait auctor, qui hoc opus vulgavit anno 1613.) conscripta & excerpta per Notarium publicum a multis testibus: scilicet elephantem quemdam fuisse locutum, & cibum a Magistro petiisse, qui negavit se daturum, eo quod lebes, in quo coqui pro eo oriza solebat, aperta esset. Ergo animal vas illud ad fabrum cuptiarium portat, qui unum foramen quidem obstruxit, aliud vero non advertit. Sed ubi Magister vidit, ac invenit vas necdum aquam capere, elephas iterum ad fabrum illud refert. Sed ille foramen tantum obiter refecit. Cum elephas ad mare pergens infusa aqua explorat denuo vas & videns perfluere aquam, ad fabrum indignabundus redit: qui tandem seu metu, seu delectatione permotus vas integre refecit. Elephas ubi iterum eumdem portum advenit, & vidit aqua vase contineri, signum dans grati animi, ad Magistrum refert, qui ei cibum denique paravit.

Alius Magistri sui mortem ulciscitur.

Ibidem. CCCCXLIX. Indus quidam in Regno Guravit reperit parvum elephantem in palude; quatuor circiter menses natum, & a matre relictum, quem magna cura educavit per quinque annos, ac multas artes docuit, præ aliis docilem. Rex igitur elephantem ab Indo petit semel, ac iterum, qui tamen, quod animal id mire diligeret, distulit facere jussa. Et quia sciebat, Regem non destitutum postulata urgere, cum elephante intra montes abscedit, sperans, Regem interea utriusque obliturum. Sed crevit inde Regis cupiditas in dies, quare comperto latibulo eorum, milites misit, qui eos caperent. At Indus cum elephante suo in rupes enititur, & inde pugnat, saxa in subjectos devolvens proboscide. Tandem cincti sunt, & Indus fuit sagittis confixus, & occisus. Elephas viso mortuo suo nutritio in medios sicarios irruit, & decem eorum occidit, totidem vulnerat, reliqui rem Regi nuntiant. Interea elephas Magistri sui cadaver ad latibulum reducit, & ei adjacens omnia signa dat maximi doloris. Cumque Rex jam multo plures mitteret ad elephantem ad se adducendum, reperiunt eum misere vociferantem, neque tollere possunt, neque efficere, ut a cadavere discedat, verbis, ac promissis omnibus irritis, sed nec minis nec verberibus quidquam possunt. Denique juxta Magistrum suum extinctus est, omni cibo repudiato.

Simii collusores, & combibones.

CCCCL. Visi sunt simii in novo orbe aliqui cum Barbaris pro pecunia ludentes, & in lusu victores ad popinam collusores suo invitantes, & lucro parta pecunia potum solventes. De uno narrat Eus. Nieremb. hist. nat. l. 9. c. 44. Cum aliquando militibus colludentibus adstans, omnia observasset, & abeo, qui plus lucratus erat, nummulum exorasset, mox accepto poculo ad tabernam vinariam properasse, poculum cœnopolæ obtulisse, & data pecunia vino plenum ebibisse; cumque superaret pecunia, ut vice altera vino impeleretur, vas obtulisse, atque haustum vinum bibisse iterum atque iterum, donec de pecunia, qua solveret, nihil superesset. *Ibidem.*

Alterius fidum ministerium.

CCCCLI. Alius ab hero ad cœnopolium cum poculo, & pecunia missus, nonnisi impleto poculo pecuniam exhibebat: donec domum rediens nec quidquam ex illo, etsi vini admodum appetens, gustavit, sed hero fideliter retulit, infestantes per plateas pueros lapidibus arcebat. Si quando occurrerent curiosius ornatæ circa caput mulieres, in eas irruebat, erinium turres revellebat, totumque illum mundum, & ornatum muliebrem detrahebat. *Ibidem.*

Canis vindictæ minister.

CCCCLII. De cane scribit Ditmarus Episcopus, qui in aula Henrici Imperatoris Aucupis dicti, in mediam se multorum hominum turbam suspenso gressu inferens, unius de turba minime cogitantis manum arreptam non prius dimisit, quam præmorsam dentibus avulsit; atque ita tamquam re bene gesta, ad suos capite, & cauda sibi plaudens rediit, mirantibus id aliis, fassus est homo ille, divinam hanc voluntatem; se enim herum canis alicubi in via demorantem, malo impulsum genio occidisse, atque tum quidem pugnantis pro domino canis rabiem evadere potuisse, nunc vero nihil minus, quam de cane cogitante cognitum pœnas dedisse. *Ibidem.*

Alius nuntii munus obiens.

CCCCLIII. Alius in urbe Lovanio litteras collari insertas, & aptatas, signo ab hero ac- *Lipsius in ep. 44.*

ce-

cepto, cursim Bruxellas deferebat in notam ibi domum terramque, atque ibi religabat, canem pascebat, litteras a se aut aliunde acceptas iterum inferebat: & fidelissimi, sed, & celerrimi nuntii vice canis eodem die referebat.

Alius canis bajulus.

Ibidem. CCCCLIV. Bruxellæ inquit Lipsius, me puero, canis fuit Britanni generis, ex illis grandioribus, quibus cerdones uti solent ad currum coriis onustum in forum, & e foro trahendum, Ille præter hanc operam doctus fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, carnem referre. Id fiebat in hunc modum: corbem collo appendebant, pecunia in tot libras carnis imposita. Ille recta, & nusquam resistens ferebat: in macello apud notum lanionem se sistebat: carne accepta redibat; sed eveniebat interdum, ut in via canes alii odore moti quasi erepturi accederent; tum ille corbem deponere, in orbem depugnare, fugare, & si copia, & robore vinceretur, una irruere, & partem de præda capere.

Alterius fides in occisum herum.

Idem cent. 1. ep. 44. CCCCLV. Idem Lipsius refert de cane, ut sequitur: Æmulus aulicus Galliæ Regis æmulum ex insidiis cæsum in avio agro sepelit. Venaticus canis tunc heri comes diu sedit in tumulo; post fames pietatem superavit, atque in aulam sine Domino reversus est; rati illius contubernales, canem temere vagari, cibum ei dari jubent, fatur ille ad tumulum redit, it, redit toties, ut primum suspicio invaderet animos, heri desiderio id fieri; abeuntem persecuti, cadaver effossum, sepultura afficiunt. Canis exequiis peractis, socius fit eorum, quibus fuerat dux ad investigandum. Tandem aliquando in aulam ubi homicida rediisset, canis eum conspicatus, allatrat, & vix ab impetu cohibetur; unde aucta in hominem cædis suspicio, constantia autem canis Rex permotus, jubet hominem causam dicere. Negat ille. Canis orationem negantis latratibus, & assultibus interpellat; nemine de cædis auctore jam dubitante, eo res deducta est, ut jussu Regis homicida cum procuratore cane singulari certamine dimicaret. Picta est canis victoria in cœnaculo quodam regii palatii Parisiis.

Fames carne matris pulsa.

Pedag. I. mi. c. 4. j.ll. 7. CCCCLVI. Octennem puerum vidit in Transilvania vir illustris Sigismundus Samagasthenus assidere cadaveri, in quo carnis nihil, nisi in pedibus, manibus, ac capite superfuit. Rogatus, cujus esset illud corpus, respondit, matris fame enectæ, cujus ipse urgente fame cum canibus carnes edisset, esurus, nisi Deus aliter juvaret, etiam reliquum. Quo cognito dominus ille misericordia motus, eum puerum pone se sustulit, & domum suam asportavit.

Camelus saltans.

CCCCLVII. Vidi, inquit auctor, Parisiis Camelum saltantem, qui ad hunc lusum ita fuit institutus. Camelus adhuc pullus in locum fuit ductus, instar hypocausti, ubi per dimidiam horam detinebatur, pavimento probe calefacto. Interea unus quispiam pulsabat tympanum. Tunc Camelus non ob sonum, sed ob calorem pavimenti pedes attollebat saltantium in morem. Ita per decem menses, aut annum integrum assuefactus, ubi ductus est in publicum, quam primum audiit tympani sonitum, saltare cœpit. *Leys Gyl. l. c. l. 4. c. 22.*

Leones formidant gallos.

CCCCLVIII. Leonibus gallos gallinaceos esse formidini, exemplo constat. In Anglia enim Elisabetha Regina id volens experiri duos gallos leonibus addidit, sed intra decem aut duodecim dies leones ita sunt emaciati, & timidi redditi, ut crederentur morituri. Galli contra pinguescebant, & nihil leones timebant. *Ibidem l. 4. c. 37.*

Detestanda hostis in hostem solertia.

CCCCLIX. Vesontio civitas est in Sequanis, & ampla & elegantia ædificiorum illustris, tecta domorum fastigiata, & declivia quam maxime. Artifex cum hujusmodi tecto istruendo daret operam, respectans forte in subjectum vicum, adventare prospicit hominem; in quem odio flagrabat. Et o inventum non humanum, sed maxime inhumanum, ac ne hominis quidem, sed diaboli! ut perderet, quem habebat exosum, & impune perderet, citra forensis mulctæ discrimen, ubi loco, in quo laborat ipse, subjacere hostem suum vidit, ultro casum fortuitum simulans, per tectum, & fugrundia in virum dejecit sese, mole coporis inimicum obtriturus; quod, & fecit, fere illæsus, ac incolumis: Nam suppositum hostis corpus ruentem illisiones prohibuit, sed non absque oppressione sua, & contritione. Quis strophamin tanto ruentis discrimine suspicaretur, aut, quis hominem sanum ultro adire tale exitii sui periculum credat, tantum ut inimicum obterat, obterendus ipse, & in corporis, ac animæ exitium ruiturus, si tantillo spatio hostem antevertisset, vel subsecutus esset, prolabens? Adeo tam affabre, & feliciter hic planus libravit dejectionem, ut omnia ex voto cesserint. Et Magistratus a cognatis cæsi interpellatus, quo nequitiæ impactæ reum revinceret, non habuit. *Theoph. Rayn. in Prot. Spirit. §. 29.*

F 2 §. III.

§. III.

CATALOGUS

Historicorum celebriorum.

Ordine Alphabetico cognominum concinnatus.

A.

I. SANCTUS Antonius patria Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ac postea Florentiæ Archiepiscopus, vir doctissimus, & Sanctissimus, obiit anno Domini 1459. ætatis sexagesimo, quem in Sanctorum Catalogum retulit Adrianus VI. Pontifex.

B.

II. Baronius Cæsar S. Rom. Eccl. Cardinalis, virtute, & doctrina celeberrimos Antistes, scripsit, dum adhuc Congregationis Oratorii Presbyter erat, Annalium Ecclesiasticorum Tomos duodecim, quos Sixtus V. tanti æstimavit, ut nec addi quidquam, nec demi voluerit: sed & alii passim judicium, sinceritatem, & accuratiooem in iis admirantur.

III. Bartoli Daniel Soc. Jesu natione Italus historiam Societatis Italice, Asiam vero, & Europam pluribus Tomis scripsit; sed & vitas S. Ignatii, & S. Fraocisci Xaverii, & P. Vicentii Caraffæ.

IV. Beda Venerabilis in Britannia ex Anglo-Saxonum genere oriundus, in Girwensi territorio non longe a Tinæ fluminis ostiis natus est aono 673. a puero Mooasticam vitam amplexus, in ea per multos annos perseveravit sub Benedicto, & Ceolfrido Abbatibus Monasterii BB. Petri, & Pauli ad Tinam Diœcesi Dunelmensi, vulgo appellatus Presbyter Anglus, ac Venerabilis; obiit aooo 735. die 16. Maii. Sicripsit Historiam suæ gentis, & variorum Sanctorum vitas.

V. Boetius Hector Scotus scripsit libros 17. historiæ Scotiæ. Scripsit etiam descriptionem Regni Scotiæ, & Regum Scotorum.

VI. Bollandus Joannes natione Belga S. J. instituto epistolari commercio cum viris tota Europa literatis, subsidia operis undique conquisivit, obtinuitque, ut latentia io regionibus, etiam dissitis acta Sanctorum ad se trasmitterentur. Nactus deinde vastissimi operis, quod desigoabat adjutorem P. Godefridum Henschenium emisit in lucem primo acta Sanctorum Januarii, tum Februarii, qoinque tomis prægrandibus; qui omnium ubique eruditorum admirationem teouerunt, & applausum.

C.

VII. Cassidorus Magnus Aurelius Senator, Consulatum anno Christi 514. solus gessit, & Theodorico Ostrogothorum Regi, ejusque ex filia nepoti Athalarico charissimus fuit, a secretis eorum atque epistolis, ex quibus conflati sunt Variarum libri XII. Vivebat adhuc anno 562. nonagenario major, obiitque circa hoc tempus in suo Vivariensi, sive Castellensi prope Scyllitanam Urbem io Calabria Monasterio, quod extuxerat, ac referta libris optimis Bibliotheca ditaverat. Scripsit tripartitam Historiam, quam ex Græcis Auctoribus, Socrate Sozomeoo, ac Theodoreto per amicum suum Epiphanium Scolasticum latine redditis concinoavit.

VIII. Calistus Nicephorus Historicos Græcus vixit tempore Andronici Senioris Imperatoris, cui dedicavit historiam suam: proinde vixit post aonum Domini millesimum trecentesimum. Historia, quæ nonc extat Nicephori Callisti, continetur libris octodecim, & iocipit a Nativitate Christi, ac desinit in annum ejusdem 615.

IX. Choniates Nicetas floruit post annum 1200. Scripsit eoim Historiam, quæ extat Græce, & Latine, ab aono 1118. usque ad annum 1205. id est, ab Imperio Joanois Comneni, Alexii filii, usque ad obitum Balduini primi ex Latini Imperatoris Constantinopolitani.

X. Curopalates Joannes Scylitzes dignitate atque officio Curopalates, vixit extremo Christi sæculo undecimo sub Alexii Comneni Imp. initia. Scripsit Historiam ab anno 813. usque ad 881.

D.

XI. Dauroltius Antonius S. J. natione Belga scripsit Catechismum historicum, seu Flores Exemplorum ex SS. Patribos, & Historia Ecclesiastica collectos. Tempus omoe suum utilissimis transegit operibus. Totis novem annis bis quot septimanis Monachorom cœnobium adire fuit solitus, excipiendis ipsorum coofessionibus, & magnis iocrementis disciplinam Monasticam apud eos pietatemque promovit. Sanctorum statuas, ea regione quam motis in locis Hæreticorum scelere aut deturbatas, aut comminutas, ut publica auctoritate impensaque restituerentur, effecit suadendo, magna proborum voluptate, & divini cultus propagatione non mediocri. Dum Catechismi sui tertium volumen prælo subjiceret, & gravi membrorum sopore occupatus est, & imbecillitate memoriæ tanta, ut repente omnium oblivisceretur; quibus malis spatio trium annorum discussis, seoecta morboque victus religiose aoimam exhalavit.

E.

XII. Evagrios Scholasticus Epiphania Syriæ urbe oriuodus, post Eusebium, Socratem, Soaomenum, atque Theodoretum, *libros sex Ecclesiasticæ* conscripsit *Historiæ*, ab anno circiter 431. quo Nestoriana impietas in Concilio Ephesino damnata est, usque ad annum 597. Mauritii Imperatoris 12. ut ipse in fine narrat; ubi etiam asserit, scriptum a se aliud quo-

que

que opus fuisse, quod Relationes, Epistolas, Decretas, Orationes, Disputationes, resque alias ejusmodi complectebatur, seque duos honoris gradus consecutum, & primum quidem a Tiberio Constantino ad Quæsturam evectum, tum a Mauritio munus adeptum servandarum Tabularum, iu quibus non tam nomioa, quam ipsa Præfectorum acta inscribebantur.

G.

XIII. S. Gregorius Papa Sanctissimus, & Doctor eximius & merito Magnus appellatus, floruit, Justini Mauritii, & Phocæ temporibus, & anno decimo quarto Pontificatus sui, salutis autem sexcentesimo quarto obiit. Scripsit Dialogorum libros quatuor, passim citari solitos.

XIV. Gordonus Lesmoræus Jacobus Scotus S. J. SS. Theologiæ Doctor, doctrina, eruditione, & vitæ probitate præclarus, scripsit opus Chronologicum, Annorum seriem, Regnorum mutationes, & rerum toto orbe gestarum memorabilium seriem, Annumque a Mundi exordio ad nostra usque tempora complectens, tomis duobus; Item opuscula tria, Chronologicum, Historicum, Geographicum tertiis curis aucta.

XV. Gretserus Jacobus Germanus S. J. patria Marchdorfensis, Acronitanus, fortissimus Athleta, ac vigilantissimus veritatis defensor, magnus Lutheranorum domitor, ac malleus Hæreticorum, & calumniatorum Societatis terror, cui laus ingens est in Ecclesia Dei, cujus Scriptorum veritatem, multitudinem, eruditionem jure miramur. Unde Senatus Marchdorfensis, quo in oppido natus est, quando non potuit corporis effigiem comparare, animi saltem effigiem, omnia ipsius opera publico ære comparata, æterno monumento, in curia sua ad posteros servanda reposuit. Scripsit P. Jacobus præter innumera alia diversi Ordinis Historias Bambergensium, & Eustetensium Tutelarium.

H.

XVI. Hieronymus, Stridone in Dalmatiæ, Pannoniæque confinio, patre Eusebio natus est circa annum 329. Romam cum Bonoso veniens, Donatum audivit, atque in adulta jam ætate Baptismum suscepit; in Gallis inde profectus multisque peragratis Græciæ Asiæque provinciis, constituit in Syriæ eremo Monasticam vitam agens, Antiochiæ a Paulino anno 378. Presbyter ordinatus. Inde Romam reversus anno 382. Damaso Papæ adsuit in scribendis epistolis, eoque mortuo, anno 385. Roma discedens navigavit in Syriam, & media ferme hyeme Jerosolymam intravit anno sequenti. Ægypti monasteria lustravit, per duos menses Didymi auditor Alexandriæ fuit. In Bethlehem tandem migravit, ibique in monasterio scribendo & commentando consenuit grandi admodum ætate usque ad diem 30. Septembris ann. 420. Theodosii junioris 13. ætatis 91. quo ex hac vita migravit. Scripsit plures vitas antiquorum Patrum, præsertim S. Pauli Eræmitæ, Hilarionis, Malchi &c.

L.

XVII. Josephus Flavius, Matathiæ filius, maternum genus ex Hasamoneorum stirpe deducens, secta Pharisæus, ac Sacerdos. Dux belli ac miles, Historicus & Scriptor, natus anno Christi 37. Caii Caligulæ Imperatoris Romanorum primo captus in Castro Jotapata anno Christi 68. Vespasiano mortem Neronis atque Imperium prædixit, ductusque Romam, ac benevole habitum, animum ad scribendum appulit, tum res suo tempore gestas, tum Judaicas origines a primo usque ævo. Vixit saltem usque ad extrema Domitiani tempora, annumque Æræ Christianæ 93. Olimpiadis 218. Scripsit antiquitatum Judaicarum libros 20. ab exordio mundi, & prima hominis creatione usque ad annum Neronis Principis duodecimum, Christi 66. Item de bello Judaico libros septem.

M.

XVIII. Maffeus Joannes Petrus Italus S. J. vir, si quis alius nostro sæculo, Latine Italiceque scribendi peritus; scripsit perelegantí stylo Historiarum Indicarum libros 16. vitæ S. Ignatii libros tres. De Japonicis rebus libros 5. septendecim quoque Coofessorum vitas.

XIX. Martinius Martinus Italus S. J. bis in Sinas non sine gravibus vitæ periculis & itineris molestiis profectus; scripsit opus laudatissimum. Atlantem Sinensem, seu Descriptionem Imperii Sinensis. Item Decadem primam Sinensis Historiæ. S. B.

N.

XX. Nauclerus Joaones Præpositus Tubigensis, vivebat anno 1500. Scripsit ingens Chronicum, continens res memorabiles ab initio mundi usque ad annum Domini millesimum quingentesimum. Opus distinguitur in duo volumina; & primum quidem continet generationes 63. ab Adam usque ad Christum; alterum continet generationes quinquaginta & unam.

XXI. Nadasi Joannes natione Hungarus S. J. scripsit mortes illustrium Heroum Societatis, & plures ejusmodi historias ad eandem pertinentes. B. S.

XXII. Nierubergius Joannes Eusebius Hispanus S. J. vir non minus sanctitate vitæ, quam doctrinæ & eruditioois fama clarissimus; sicut Historiam naturalem 14. annis docuit; ita præclaros quoque de illa commentarios vulgavit, sed & vitas virorum illustrium S. J. magna accuratione conscripsit B. S.

O.

XXIII. Orosius Paulus Presbyter Hispanus, Tarracone ortus, S. Aug. discipulus, vir eloquens, & historiarum cognitor; floruit initio quinti æræ Christianæ sæculi sub Honorio Imperatore. Circa ann. 415. a S. August. in Palæstinam ad S. Hieronym. missus pro discenda aoimæ ratione, cum rediret anno 416. repertas paulo ante S. Steph. Protomartyris reliquias primus intulit occidenti, & in Africam secum deportavit innumerabilibus miraculis, quibus Lutherana, Meminniana, ac Calvinistica impietas invictissime atteritur. Scripsit Historiarum ab exordio mundi libros septem usque ad an-

num Christi 416. ad S. Augustinum Hipponensem Episcopum cujus hortatu opus illud fuerat aggressus adversus querulos & infamatores Christiani nominis, qui dicebant defectum Romanæ reipublicæ Christi doctrina invectum.

XXIV. Orlandinus Nicolaus Italus. S. J. literarum laude apprime floruit cultu Latinæ limataque orationis. Hinc Neapoli evocatus Romam ad scribendam Societatis Historiam anno 1598. Quamvis valetudini diffideret, & longa styli intercapedo terreret, arduam tamen provinciam libens accepit. Tantum ex obediendi studio sumebat animi ad conandum. Medio in cursu gravissimo implicitus morbo succubuit. Jamque vitam ejus omnes desperaverant, præter ipsum, qui cum tantum usuræ lucis expeteret, dum Generalatum S. P. N. Ignatii, quem singulari pietate ob primorum memoriam Patrum colebat, exequeretur, visus est voti compos effectus; valetudinem enim recuperavit, opus intermissum repetiit, & proxime ad metam perduxit; tum rursus languore prostratus necessitati religiose concessit Romæ anno Domini 1606. die 17. Maii.

P.

XXV. Parisiensis Matthæus natione Anglus ac Monachus in Cœnobio S. Albani O. B. Congregationis Cluniacensis, ut ferunt, scripsit notam cunctis Historiam Anglicanam, quam primum perduxit ab anno 1066. usque ad annum 1250. Ipsemet deinde continuavit usque 1259. quo vivere desiit.

XXVI. S. Prosper Aquitanicus S. Augustini, ut nonnulli volunt, discipulus, certe doctrinæ ejus solertissimus ac nervosissimus Defensor, Laicus fuisse creditur, ac conjugio implicatus. Scripsit integrum Chronicon ab Adami, mundique ortu ad annum 4555. cum adnotatione Consulum Romanorum, a duobus geminis Consulibus & anno Christianæ æræ usque ad Valentiniani Augusti VIII. & Anthemii Consulatum.

R.

XXVII. Ribadeneira Petrus Hispanus S. J. scripsit vitas Sanctorum, & etiam nostrorum aliquot, puta S. Ignatii, P. Jacobi Laynez, P. Alphonsi Salmeronis. S. Francisci Borgiæ.

XXVIII. Rosweidus Heribertus Belga S. J. vir antiquitatis peritissimus, scripsit Historiam Ecclesiasticam a Christo usque ad Urbanum VIII. Vitas Sanctorum & Vitas Patrum notis illustravit.

S.

XXIX. Sacchinus Franciscus Italus S. J. unde viginti annos in Historia Societatis conscribenda consumpsit, cujus quatuor posteriores partes post primam, ab Orladino scriptam feliciter absolvit. S. B.

XXX. Salianus Jacobus Gallus, vir vitæ integritate & indefesso labore conspicuus, scripsit celebre Annalium Ecclesiasticorum opus, & seorsim Epitomen seu medullam ex illis collectam.

XXXI. Strada Famianus, Italus S. J. Historicus tota Europa celebris, scripsit de bello Belgico tres Decades; quos cum Uladislaus IV. Rex Poloniæ ac Sueciæ legisset, datis ad P. Mutium Vitellescum Præpositum Generalem literis: *Armorum*, inquit, *motus in Belgio singulari cultoque stylo ad sinceræ veritatis Historiam expositi a P. Famiano Strada tanto omnium Ordinum plausu excepti sunt, ut homines profecto non desinant, aut hosce Annales admirari, aut eorum continuationem ardenter exposcere. Nos, qui eos singulari voluptate legimus & admirati sumus, nec minus quam alii idem exoptamus, haud nescii, quantum & circumspectio in homine tantæ existimationis, & virtus fugiendæ publicæ laudis, eum ab hac continuatione remoratura sit. Idcirco nostris hisce litteris P. Vestram compellavimus cupientes ab ea operam adhiberi, ut is non omittat, quæ supersunt, in lucem edere, ad hujus sæculi gloriam, ad Societatis laudem, & Scriptoris famam* &c.

XXXII. Sulpitius Severus, æqualis & amicissimus fuit S. Paulini, ut notum est ex epistolis invicem scriptis. Scripsit libros duos de sacra Historia. Item vitam S. Martini Turonensis. Item Dialogum de conversatione Orientalium Monachorum.

XXXIII. Sylvius Æneas, patria Senensis, vir doctus, prudens, & magni animi, ac primum a secretis Imperatoris, deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique summus Pontifex Pius Secundus, dum expeditionem magnam adversus Turcas Christiani nominis hostes moliretur, obiit anno Domini 1464. Scripsit de rebus Ecclesiasticis contra Thaboritas librum unum.

T.

XXXIV. Trigantius Nicolaus Belga S. J. Missionarius Sinensis, scripsit Historiam de Chinensi expeditione, item Annales Sinenses, ac Christianos Triumphos in Japonia. B. S.

XXXV. Trithemius Joannes natione Germanus Abbas Spanehemensis, Ordinis S. Benedicti vivebat anno 1500. & obiit anno 1519. ætatis suæ 57. Scripsit opera plurima, sed notiora sunt Historica, quæ simul edita sunt Francofurti anno 1600. Scripsit igitur de illustribus viris Ordinis S. Benedicti de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Z.

XXXVI. Zonaras Joannes Monachus Græcus, scripsit lib. 3. Annalium, quibus complexus est historiam universalem ab orbe condito usque ad obitum Alexii Comneni Imperatoris Græcorum, qui obiit anno Domini millesimo centesimo decimo octavo.

IN-

INDEX CONCIONATORIUS.

In Evangelia Festorum, & Dominicarum.

UT Index iste tanto magis servire possit Lectori, tria circa eundem breviter præmonendum censui.

Primum est, me, dum fusius nonnihil materiam pro concione aliqua digessi, non ea intentione id fecisse, quod velim, Concionatorem adstringi conceptu a me designato, sed ut leviorem aliquo modo rederem laborem iis, qui majorem in ejusmodi conceptibus digerendis difficultatem experiuntur: unde quibus conceptus ejusmodi non placet, poterunt solam in illo conceptu virtutem, vel vitium assumere, & pro suo genio formam concionis ex locis pro tali conceptu designatis disponere.

Alterum est, ut meminerit Lector illius modi, quem Instructione VII. optimum, & facillimum esse dixi in concionibus formandis, scilicet 1. Scopum aliquem practicum seu in quotidianos usus venientem, v. g. vitium aliquod, aut virtutem, eligat. 2. Illius sensum bene declaret, v. g. in quo virtus aut vitium illud consistat, aut quomodo exerceri, vel vitari debeat; ostendat. 3. Unam vel alteram rationem popularem, cur doctrina talis practicari debeat, afferat, eamdemque authoritate S. Scripturæ, SS. Patrum, similitudine, vel eruditione confirmet. 4. Historiam etiam aliquam inserat, si placet, qua Auditores magis ad eandem praxin incitentur. 5. Interdum objectionem quoque unam, vel alteram, quæ Auditoribus contra talem doctrinam facile occurrere possent, proponat, & apte solvat. 6. Denique fervente, & apto Epilogo Auditores ad practicandam talem doctrinam excitet, & impellat: ad quem finem copiosam illi quivis titulus materiam suggeret, aut præter electionem doctrinæ nulla propemodum re alia ei opus sit futurum.

Tertium est, ut, quando tam in hoc Indice quam in ipso contextu Bibliothecæ inter conceptus aliquos prædicabiles assignavero Allegoriam aliquam, sciat, neutiquam me velle, ut Concionator in illa Allegoria probanda immoretur, sed ut ea per modum acus, qua filum doctrinæ introducatur, usurpetur, atque adeo ut potissimus labor in ipsa doctrina probanda, & inculcanda impendatur; alioqui enim sterilis erit Concio, & nullum alium fructum, nisi quod hunc vel illum Sanctum ingeniose, & apte huic vel illi rei comparatum fateri debeat, reportabit Auditor, quod utique est contra finem, & institutum Concionis.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

I. *ET vocatum est nomen Jesus.* Luc. 2. Potest donari Auditoribus SS. nomen IHS pro Xenio, & Clericis quidem littera I, Conjugibus littera H, juvenibus S, cum variis doctrinis ipsorum Statui congruentibus offerri, ut videre est tit. Christus, & in Instruct. mea VII. in concion. pro novo anno.

II. Ex eodem themate potest SS. Jesu nomen Oleo comparari juxta illud Cantic. 1. Oleum effusum nomen tuum: & fructus ex invocatione hujus SS. Nominis reportari soliti demonstrari; de quo vide tit. Christus §. 11. n. 8. & §. 3. a n. 10.

III. Potest idem ostendi, quomodo annum novum bene inchoare debeant, scilicet duas facies a Jano (a quo Januarius dictus est) mutuando, per quarum priorem uno oculo respiciant ad accepta priori anno beneficia: altero ad commissa peccata, & pro illis gratias agant, pro istis veniam petant. Per posteriorem faciem uno oculo respicient ad actiones sequenti anno suscipiendas, ut illas fructuose peragant: altero ad tribulationes supportandas, ut eas fructuose sustineant; pro quo vide tit. Gratitudo. Pœnitentia. Intentio bona patientia, & tit. Opera bona. Item Instruct. VII. conc. pro hoc Festo.

IV. *Completi sunt dies octo, ut circumcideretur Puer*, Luc. 2. potest eulter, quo Christus circumcisus est, pro Xenio variis Personis offerri. 1. Clericis, partim ut privatim proprias cupiditates malas circumcidant: Partim ut publice in concionibus vitia Populi commissi resecent, 2. Magistratui, ut eo utantur velut Medici respectu corporis, id est, Reipublicæ, & tum putrida membra abscindant, aut incidant: tum dividant per justitiam cuivis, quod suum est. 3. Patribus familias, ut in domesticis præcidant inutiles ramos disciplinæ domesticæ nocentes. 4. Cuivis personæ, ut in horto animæ suæ vitulamina spuria præcidat; quo virtutes Christiano dignæ tanto melius crescant. Excitentur ergo Auditores, ut illa Jerem. 4. verba sibi applicent: Circumcidamini Domino, & auferte præputia &c. item illa Act. 15. quia nisi circumcidamini, non potestis salvari, nam ideo Christus etiam nomen Jesu, seu Salvatoris non aliter obtinere voluit, nisi per circumcisionem &c. Vide tit. Mortificatio.

V. *Et vocatum est nomen ejus Jesus.* Luc. 2. ostendi potest, quomodo quisque per Jesum salvari, & ut bonum semper annum habeat, efficere possit, scilicet si observet id, quod David. Psal. 33. dixit: Quis est homo &c. Declina a malo &c. explicetur ergo 1. quid sit bo-

nus annus, nempe is, in quo habemus, quod volumus, cum autem nemo eertius habeat semper id, quod vult, quam qui vult id, quod Deus vult, recte infertur, eum habiturum semper bonum annum: qui voluntatem suam perfecte cum divina conformat, uti ipse Christus S. Catharinæ Senensi revelavit. Ostendatur ergo practice, quomodo per annum voluntatem suam in agendo, sustinendo, & patiendo conformare debeant. Vide tit. Resignatio. §. 11. n. 3. & §. 12. n. 3.

VI. Ex occasione ejusdem thematis possunt Auditores excitari, ut more Societatis Jesu renovationem instituant, in eaque tria observent, quæ in imagine renovanda solent observari, nempe 1. Ut abluatur imago pet pœnitentiam, velut aquam calidam a sordibus, seu peccatis. 2. Ut in iis partibus, quæ obliteratæ sunt, novi colores, id est, virtutes Christi per imitationem obducantur. 3. Ut velum obducatur firmi propositi, aliorumque mediorum, quibus pulvis imperfectionum arceatur, & antiquæ oceasiones vel consuetudines tollantur. Vide tit. Pœnitentia. tit. Christus, & Consuetudo. Plures item conceptus in Instruct. 7. pro Festo Circumcisionis.

VII. Pro Xenio potest offerri imago Christi Puetuli, sed diversis statibus diversa. Et Clericis quidem aurea, ut inde discant. 1. Sicut aurum prestantius est omnibus aliis metallis, ita statum suum omnibus aliis superiorem esse, atque adeo etiam virtutibus excellere debere. 2. Sicut aurum omnia pectora ad se trahit, ita ipsos omnes sæculares exemplo, & verbo ad se trahere debere. 3. Ut aurom mire cor confortat, ita ipsos consolari, & roborare animas sibi commissas debere. 4. Ut aurum ex igne purius exit, & percussum non frangitur; ita ipsos cum S. Paulo dicere debere: Quis me separabit a charitate Christi? Conjugibus argentea imago offeratur. 1. Ut discant, se suo stato inferiores esse Sacerdotibus, atque adeo debitam reverentiam exhibere debere. 2. Sicut argentum purum est valde, nec sordes facile contrahit, ita ipsos puritati conscientiæ adeo studere debere: ut dicere possint cum Christo: Quis arguet me de peccato? 3. Sicut argento omnia necessaria pro se, & aliis emi possunt, ita ipsos domesticis omnia ad vitam necessatia procurare debere. 4. Ut argentum crebro manibus versatum eaidem maculat; ita ipsos cavere debere, ne vel liberiori conversatione, vel nimio opum usu animas commaculent. Juvenibus cerea imago offeratur. 1. Ut discant, ceræ in modum tractabiles esse. 2. Ut meminerint, statum suum fragilem esse instar cereæ imaginis, atque adeo caute vivant. 4. Ut conentur instar imaginis candidæ, & rubicundæ, puritatem animi com verecundia conjungere. Famulis offeratur imago fictilis, ut discant. 1. Statu suo contenti esse, memores quod fictilis imago Christi perinde ut aurea æstimatur, & colitur. 2. Ut Christi exemplum, qui a juventute in laboribus erat, ob oculos ponere, & imitari studeant. 3. Ut meminerint, sicut terra frugifera est, ita statum suum occasionem præbere præstantissimarum virtutum, puta humilitatis, obedientiæ, patientiæ, charitatis geminæ, & perseverantiæ, exercitio. Infirmis, & tribulatis lignea imago offeratur, ut discant. 1. Sicut lignum est aptissima pro igne accendendo materia; ita tribulationes optimam præbere occasionem charitatis divinæ exercendæ. 2. Ut discant se tractabiles exhibere Superioribus, Medicis, Chirurgis, Infirmariis, sicut & lignum pro libitu secari, & dolari se permittit. 3. Ut meminerint, sicut lignum durum est, & non facile frangitur; ita nec ipsos doloribus, & molestiis morbi cedere, frangique debere, cum gaudeat patientia duris, justa commune proverbium: *Dum detnem Ubel weiche nit, sondern thin keck entegegen trit*. Vide Instr. 7. fol. 570.

VIII. Ex occasione thematis: *Et vocatum est nomen ejus Jesus*, ostendatur, quod in hoc nomine maxime verificetur versus ille: *Conveniunt rebus nomina sæpe suis*. Eo quod Christus triplici in occasione se Salvatorem ostendere soleat. 1. In universali Redemptione generis humani; cujus beneficii magnitudo ostendatur ex dictis tit. Passio Christi, & inferatur cum Sanct. Bernardo: Si totum debeo pro me facto, quid addam pro me refecto? 2. In Justificatione cujusvis hominis privati; cujus beneficii magnitudo ostendatur ex similitudine Rei ad ignem, vel rotam damnati, cui pœna ob pauca verba pœnitudinem significantia dimitteretur, simulque inter Amicos Regis ostensi cum magnis donis reciperetur inferaturquæ æquum esse, ut, cui multum dimittitur, multum diligat. 3. In liberatione a variis miseriis, & tribulationibus, & tentationibus, uti S. Bernardus indicavit dicens: Nihil ita &c. & tristatur aliquis vestrum &c. vide tit. Christus §. 3. numer. 11. unde suadendum, ut morem Judæorum sequantur Auditores, dicentium in adversis casibus: Eamus ad Filium Mariæ, ut hilares fiamus.

IX. Ex eodem themate ostendatur, quale sit hoc nomen, & quam magnum ex triplici titulo. 1. Quia a magno Domino datum, scilicet a Deo. 2. Quia significationem magnam habet, uti Josephi Ægyptiaci, sed magis Salvator Jesus, id quod ex comparatione beneficiorum ostendatur. 3. Quia per magna facinora obtentum est, dum humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Crucis. Incitentur proin Auditores, ut dicant cum Josepho & Azaria. 1. Mach. c. 5. Faciamus & ipsi nobis nomen &c. per similia facta.

X. Ostendi potest, quomodo felicem annum, imo & totam reliquam vitam habere possint Auditores, scilicet per voluntatis suæ cum divina perfectam unionem, pro qua doctrina implenda conducere possunt ea, quæ Christus San. Catharinam Seneolem docuit, uti Tit. Resig. §. 12. n. 3. videre est.

XI. Offerri potest pro Xenio Calendarium, quod certo indicet, qualem annum quisque habiturus sit; nempe qualem voluerit; sicut Rusticus quidam dicebat, se semper optimam habere tempestatem, eo quod aliam habere noluerit, quam a Deo missam, & ideo fruges, & messem semper optimam habuerit;

ide

de quo vide tit. Resignatio §. 5. num. 32. n. 22. & seq.

XII. Offerri potest pro Xenio doctrina, qua bene se, & alios dirigere, & sic felicissimum annum obtinere queant, ad quem finem narretur in primis historia de Philosopho Regi Juveni Sapientiam vendente, & hanc doctrinam: *Nihil incipe, donec exitum consideres*: suggerente. Dein ostendatur, quomodo in praxi usurpari debeat hæc doctrina. 1. In occasionibus peccandi. 2. In actionibus quotidianis perficiendis. 3. In tribulationibus perferendis. De quo vide tit. Prudentia. §. 7. & §. 12. num. 1. & fusius in Instruct. 7.

XIII. Simili modo offerri potest pro Xenio triplex doctrina a philomela aucupii data, 1. Rem, quæ apprehendi nequit, apprehendere ne tentes; scilicet libertatem ab omni tribulatione in hac vita. 2. Rem, quæ non est verosimilis, non credito, scilicet felicitatem veram in divitiis, honoribus, voluptatibus consistere. 3. Rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito, videlicet jacturam divitiarum caducarum, amicorum, mortuorum, temporis. De quo conceptu vid. tit. Prudentia §. 12. n. 9. & tit. Divitiæ, ac Tempus, ac Felicitas.

XIV. Ex occasione thematis: *Completi sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, ostendi potest, quomodo se quisque spiritualiter circumcidere debeat, tollendo præputium concupiscentiæ, & quomodo per hanc circumcisionem obtineat circumcisus Salvatoris nomen, dum suam, & aliorum salutem efficaciter per hanc circumcisionem procuret. Unde de hac circumcisione intelligenda est sententia Act. 15. Nisi circumcidamini, non potestis salvari. De quo vide tit. Concupiscentia. §. 3. 9. & 10. n. 3. & 4.

PRO FESTO EPIPHANIÆ.

I. *Obtulerunt ei munera*: Ostendi potest, hoc Festum præter alios titulos Festum donorum appellari, & apud Germanos *die Geanacht*: ut ostenderetur, in hoc Festo præcipue liberales esse debere, tum erga homines, tum & maxime erga Deum, qui hoc die Gentiles ad se vocando Catholicam fidem fundavit; quia vero non omnes sciunt, quod donum Deo gratissimum sit, dicat Concionator se id ostensurum, & dividat concionem in tres partes. In prima ostendat, nil gratius offerri posse, quam cor. Eum in finem narret ex Philippo Diez, quod Eremitæ cuipiam petenti assidue, ut ostendere Deus dignetur, quid ipsi gratissimum offerri queat, diabolus in specie Angeli apparuerit, & dixerit, gratissimum Deo fore, si dimidiam Lunam, rotunditatem Solis, & quartam partem rotæ offerret. Cumque Eremita hoc non intelligens explicationem a Deo peteret, verum Angelum apparuisse, & dixisse, quod per dimidiam Lunam litera C, per Solis rotunditatem litera O, per quartam partem rotæ litera R, atque adeo per earum conjunctionem vox Cor intelligeretur; hos enim præ aliis peti a Deo Proverb. 23. Fili præbe &c. hinc Psalm. 32. singillatim illud creasse dicitur, & Prov. 4. omni custodia servari cupit, omniaque se daturum 1. Jo. 3. promittit, si cor nostrum non reprehenderit. In secunda parte ostendat, quomodo debeant cor offerre, si scilicet hujus doni plenam dispositionem, & possessionem, ipsi per amorem relinquant, nullum alium Compossessorem admittendo; hinc dicit: Diliges Deum ex *toto* corde, & Thomas Kemp. l. 2. cap. 7. Dilectus tuus talis est naturæ &c. In tertio exponat causas, cur cor offerre debeant, narrando ex Speculo magno exempl. V. Dilectio, ex 2. historiam de Virgine, in cujus corde rupto aureis litteris scripta sunt hæc verba: Diligo te plus quam me, quia creasti, redemisti, dotasti me, in Incarnatione, Eucharistiæ institutione, justificatione, prædestinatione; quæ omnia ex dictis in titul. Caritas confirmari possunt.

II. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*: Matth. 2. Ostendi potest, per ista tria dona tres virtutes Theologicas, significari, quæ ideo offerri voluit Deus, ut ostenderet, per hæc dona præcipue honorari Christum, gratiamque illius & favorem acquiri. Ostendatur ergo, quomodo per myrrham fides ob difficultatem amara, per thus spes rursum ascendens, & per aurum ex elementis pretiosissimum Charitas virtutum præstantissima designetur; & declaretur ulterius, quomodo tres Reges has virtutes exercuerint, & quivis Christianus eos imitari debeat; in quem finem servire poterunt, quæ titulis de Fide, Spe, & Caritate sunt dicta.

III. *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*: Matth. 2. Dici potest, varias causas a variis assignari, cur aurum, thus, & myrrham Deus per tres Reges offerri voluerit, præcipuam tamen videri, ut ostenderet, per quæ opera Christiani (quorum primitiæ fuerant tres Reges) suam vocationem certam facere debeant, scilicet per myrrham jejunii, per thus orationis, per aurum eleemosynæ, ostendatur, proin, quam apte his operibus dona Magorum comparentur, & quomodo per ea quivis Christianus vocationem suam certam facere, & signum prædestinationis obtinere possit; ad quod servient dicta in titulis Abstinentia, Oratio, Eleemosyna.

IV. *Et procidentes adoraverunt eum*. Matt. 2. Ostendatur, quomodo Magi modum vere, & fructuose orandi, & templa frequentandi docuerint, docendo, quid ante ingressum, in ingressu, & post ingressum faciendum sit; de quo vide dict. tit. Oratio §. 12. n. 9.

V. *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. Matth. 2. Dicatur, esse laudabilem morem quorumdam Religiosorum, ut in Festo principali renovent vota sua; hunc autem morem Christiano cuivis in hoc Festo utpote principali Christianorum imitandum esse, ideoque præstanda tria, quæ in dicta renovatione votorum præstare solent Religiosi. Et 1. reficetur memoria beneficii per vocationem collati, pro quo tit. Fides serviet. 2. Examinetur, quomodo vocationi satisfecerit, ut errores commissi per confessionem deleantur, mediaque

que apta pro emendatione inquirantur; de quo videatur tit. Pœnitentia, præcipue §. 7. & 10. 3. Ut renoventur vota & proposita Christiani in baptismo facta, de quo vide tit. Baptismus. Hinc suadet Thomas Kemp. l. 1. c 19. Circa Festa principalia &c. & fructum hujus renovationis ostendit, dicendo ibidem. Secundum propositum nostrum cursus professus nostri Vide tit. Christianus §. 3. 5. & 7.

VI. *Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde*. Matth. 2. dici potest, varias causas assignari ab Authoribus, cur Deus Magos per stellam vocaverit; potissimaio videri, ut indicaret, sicut Magi velut primi Christiani per stellam ad Christum vocati sunt, ita reliquos quoque Christianos per veram fidem, quam stella repræsentat, ad Deum in cælis inveniendum, adorandum, & illo fruendum pervenire debere. Unde in duas partes concio dividi potest. In quarum prima osteodatur, quomodo, stella Magorum omnes veræ fidei proprietates habuerit, de quo vide tit. Fides. In secunda, quomodo Magi se erga hanc stellam gesserint, videlicet 1. quod videntes eam gavisi sint gaudio magno valde, quod idem faciendum Christianis, & quidem tanto magis, quanto plures & digniores fuerunt, quibus hæc stella non est orta. Vide cit. tit. 2. Quod ejus ductum secuti sint; hinc & Christiani juxta principia fidei vivere; certe S. Teresia dixit, omnia vitia Christianorum ex defectu fidei oriri; hinc M. Avila dicere solebat: malos Christianos aut Hæreticorum carcere dignos esse, si non credant articulos fidei, aut stultorum cavea, si credant, quæ de cælo & inferno revelata sunt, & tamen tam male vivant. 3. Etiam Herodi & alii eam annuuciaruot, & publice confessi sunt; sic & Christiani non tantum corde, sed etiam ore & opere confiteri debent juxta illud Rom. 10. Corde creditur &c. uti fecerunt SS. Astion & Epistetus Martyres, ad omnes quæstiones Præfecti nihil aliud respondentes, quam Christiani sumus, ut in vitis Patrum legitur apud Rosweid. ut dicere possint cum S. Paulo 2. Tim. 4. Bonum certamen certavi, fidem servavi &c. Vide plura tit. Fides §. 5. & tit. Christianus. Item Instruct. VII. Exempl. 9. fol. 104.

VII. Ex occasiooe thematis, *Obtulerunt ei munera*: ostendatur, quod munus sit gratissimum, illud videlicet, de quo Thomas Kemp. l. 3. c. 8. ait in persona Christi: Quid magis a te requiro, quam ut te studeas mihi ex integro resignare? onde declaretur: Quid sit se offerre, scilicet alterius arbitrio & voluntati se committere. 2. Quis fructus ex tali oblatione sperari possit, scilicet ut Deus vicissim se totum possidendum offerat, sicque dicere possit offerens: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo. Vide tit. Resignatio, & Deus.

VIII. Ex occasione thematis: *Videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde*: ostendi potest magnitudo gaudii, quod ex Fide divina percipitur, quod ostendi potest ex beneficio visus cœco restituti. Unde in prima parte comparetur carentia Fidei cum cæcitate corporali, ut de qua verius dicatur illud Tobiæ cap. 4. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? in secunda parte ostendatur, quomodo Fides interna, & externa sint duo oculi animæ, simulque eorum utilitas ex aptitudine ad vitandum lapsum, & errorem itineris, ad functiones peragendas, ad objecta delectabilia cum voluptate aspicienda, declaretur. Vide tit. Fides §. 3. & 5.

IX. Ex occasione thematis: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam*. Matt. c. 1. dici potest, hos Magos ex Gentilibus fuisse primos Christianos, atque adeo in exemplum proponi deberi, quomodo vitam Christianam ducere oporteat, scilicet, ut, quemadmodum quidam S. Pater advertit, sit in corde Christiani charitas, in ore veritas, in corpore castitas; quæ proin fusius explicanda erunt.

X. Ex occasione thematis: *Et procidentes adoraverunt illum, & apertis thesauris obtulerunt ei munera*, ostendi potest, non sufficere solam fidem ad nomen Christiani obtinendum, sed etiam opera requiri, uti fusius ostendi potest ex iis, quæ tit. Christianus. §. 5. n. 1. & 3. & tit. Fides §. 13. sunt dicta.

XI. Ex occasione thematis: *Videntes stellam gavisi sunt*, potest per stellam præsentia Dei intelligi, & ostendi, quantam lætitiam illa pariat, si ob oculos versetur, seu antecedat in quotidianis actionibus, in tribulationibus, in tentationibus, ad quæ deducenda servire multum potest titulus Dei præsentia.

XII. Ex occasione thematis: *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*: declarari potest, quæ potissimum munera a Christianis offerri debeant, scilicet aurum charitatis, seu observationis mandatorum, thus orationis, & myrra mortificationis; de quibus vide titulos speciales.

PRO FESTO PURIFICATIONIS.

I. *Tulerunt puerum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*: Luc. 2. Persuadenda sui ipsius oblatio ad exemplum Christi, ideoque in Exordio narrandum factum Æschynis pauperis Philosophi, qui teste Seoeca l. 1. de benef. c. 7. cum aliis Socrati Magistro varia dona offerens, ipse quoque accessit, eumque sic allocutus est: Video, o Magister, varia tibi ab aliis dona offerri, ego vero cum aliud non habeam, nisi meipsum, hoc unicum quod habeo, totum offero, rogans, ut boni hoc donum consulas, memineris que alios, dom multa tibi obtulerunt, plura sibi ipsis reservasse. Quo audito Socrates respondit: Æquo animo esto Æschynes, profecto enim tu liberalitate tua omnes vicisti. Accipio ergo te, daboque operam, ut te tibi meliorem restituam. Ex cujus historiæ occasione dividi potest concio in tres partes, & in prima quidem, quomodo oblatio sui sit facienda, per resignationem scilicet voluntatis suæ. 2. Quas ob causas hæc oblatio sit prompte, & libenter facienda, quia scilicet donum hoc est *maximum*, cum nihil sibi offereos reservet: *facillimum & obvium*, cum ab omoibus etiam pauperrimis offerri possit: *Deo gratissimum*, quia nihil magis requirit, teste Thoma Kemp. l. 4. c. 8. Quid magis a te requiro &c. *Multiplici titulo debitum*, ut S. Bernardus testatur l. de dilig. Deo, dicens: Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto &c. quam sententiam vide

vide in tit. Passio Christi §. 3. In tertia parte dicatur, quod Deus quoque fit hoc donum benignissime accepturus, & meliorem sibi quemque restituturus, meliorem scilicet *in temporalibus bonis*, juxta promissum Christi Matth. 6. Quærite primum regnum Dei &c. & exemplum Agricolæ tit. Resignatio, narratum. Meliorem *in meritis*, cum de tali dici possit, sicut de Christo Luc. 2. Proficiebat ætate, & sapientia &c. nam profectus noster in hac resignatione maxime consistit, teste Thoma Kemp. l. 3. c. 25. Meliorem quoque *in pace*, *& quiete animi*, juxta testimonium Isajæ 44. v. 8. Utinam attendisses &c. & Thomæ Kemp. l. 3. c. 37. Dixi tibi &c. Vide plura in hunc finem c. tit. Resignatio.

II. *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*: Luc. 2. Potest ostendi, quod non tantum in veteri testamento, sed etiam novo Deus primitias requirat, cum hoc sit testamentum, & lex gratiæ, atque adeo majorem gratitudinem, & professionem excellentiæ, & potestatis Dei super omnes creaturas exigat. Ostendatur ergo, quales primitiæ sint offerrendæ, nempe 1. Primitiæ *vitæ rationalis* seu *Adolescentiæ*, juxta illud Ecclef. 12. Memento Creatoris, quod tanto promptius faciendum, quanto major inde fructus sperandus; bonum enim est Adolescenti, si jugum portaverit ab adolescentia sua, Thren. 3. v. 37. bonum scilicet ad conservandam innocentiam & gratiam; bonum ad facilitatem & consuetudinem in virtute obtinendam; bonum ad fruenda merita, & gloriam; bonum ad fruendam consolationem magnam ante, in, & post mortem. Taliter merito Tobias Filium ab infantia timere Deum docuit. Tob. v. 18. de Anna & Samuele. l. 1. Reg. c. 1. v. 25. 2. Primitia *diei* per orationem exemplo Davidis Psal. 2. Deus &c. ad te de luce vigilo, quod ut nos quoque prompte faciamus, monet S. Chryf. in Psal. 6. dicens: Si os nostrum per orationem munierimus, divinæ actionis pulchrum fundamentum jacimus. Idem S. Climacus grad. 25. suadet, dicens: Da Domino primitias diei tuæ, erit enim ista illius, qui prior occupaverit; unde Dæmonem specialem, qui *præcursor* vocatur, & primas diei cogitationes vendicare sibi conatur, constitutum dicit. Vide de hoc plura in Fabro conc. 2. in hoc Festo. 3. Primitias *cujusvis actionis* per bonam intentionem: juxta monitum D. Pauli. 1. Cor. 10. v. 30. Si ergo manducatis &c. & exemplum Abelis Gen. 4. adipem offerentis, adeps autem est gloria divina, quæ per intentionem bonam quæritur; sicut enim Deus dixit c. Gloriam meam alteri non dabo; ita & de adipe dixit Lev. 3. v. 16. Omnis adeps Domini erit jure perpetuo. Sic S. Greg. Naz. fecit, dicens: Tibi Christe vivo, tibi loquor, tibi Christe sedeo, tibi incedo, quandoquidem me manu regis. Sic & Ecclesia præit exemplo, omnes horas incipiens a versu *Deus in adjutorium &c.* Quo fructu autem hoc sit faciendum testatur S. David Psalm. 1. dicens: Et erit tamquam lignum &c. expeditius S. Petrus Luc. 5. v. 5. in Verbo Christi laxans rete, & copiosam piscaturam faciens.

III. *Lumen ad revelationem gentium*. Luc. 2. potest dici Foliettam Historicorum Genuensem, ut indicaret, utilitati eorum studendo se consumere, candelam ceream ardentem in symbolum assumpsisse cum hoc lemmate: *Vestros consumor in usus*; hoc autem potiori jure Christum dicere potuisse, ut qui vere per cereum significatur, quia ex virginea carne velut purissima cera factus: tum quia animam quoque purissimam & tenerrimam velut lychnum aptissimum igni fovendo convictam habuit, & quia, accensus charitate, nostros in usus consumptus fuit, unde S. Bern. f. 3. in circumcis. ait: Totus mihi datus, & totus in meos usus consumptus. Imo Guerricus f. de Purif. quasi prodigum esse dixit: O Deus, si fas est dicere, prodigum se præ desiderio hominis; an non prodigum, qui non solum sua, sed & seipsum impendit, ut hominem recuperaret, non tam sibi, quam ipsi homini. Ostendatur dein quomodo hunc cereum in manus sumere, id est, cum fiducia invocare debeamus. 1. Tempore orationis exemplo Ecclesiæ omnes orationes cum clausula *per Christum* claudentes, hinc ipse Joannis 16. v. 13. hortatur: Amen dico &c. 2. Tempore tempestatis, spiritualis præcipue, seu tribulationis; si enim cereus materialis toties contra hanc profuit, quanto magis Christus proderit, a quo ille virtutem accipit! Experti Apostoli in tempestate maris; & S. Catharina Senensis, quæ gravissima tentatione carnis pulsata, cum Christum ipsam visentem quæreret, cur se in illa tentationis tempestate reliquisset, eumdem respondentem autem audivit: In medio tuo pectore eram, & te custodivi, ne consentires tentationi, 3. Tempore mortis, juxta illud Christi Luc. 12. 35. Sint lumbi &c. tunc dicendum cum David Psal. 22. v. 4. Si ambulavero &c. cum S. Paulo Rom. 2. 8. v. 3. Si Deus pro nobis quis contra nos? aut cum Job c. 17. v. 3. Pone me, Domine &c. Sic dicemus cum Simeone Nunc dimittis &c. Vide Engelgr. Cæl. 3. in hoc Festo, & Bibl. tit. Christus.

IV. *Lumen ad revelationem gentium*. Luc. 2. Potest sacrorum cereorum cæremonia explicari, & defendi, eum in finem pro exordio narretur, olim apud Romanos ludum fuisse, in quo singuli certantes lumen manibus ferre cogebantur ea conditione, ut vinceret, qui lumen inextinctum servabat. Subinferatur, similem ludum a Christo institutum per cereorum usum; hinc Luc. 12. v. 35. dicebat: Sint lumbi &c. verum Hæreticos conari omnibus viribus extinguere hos cereos, unde ostendendum 1. quam sapienter instituta sit hæc cæremonia referendo, & explicando fines, ob quos instituta est. 2. Refutandæ sunt objectiones Hæreticorum quatuor, velut totidem venti aquarum plagis mundi flantes, nempe quod hæc cæremonia superstitiosa sit: quod sit Ethnicas quod prodigalitati obnoxia: quod ridicula, dum de die lumen accendimus, quasi Deus parum videret; ad quæ omnia susius proponenda, videri possunt Faber in hoc festo c. 7. & Georg. Scherer concil. 3.

V. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*, Luc. 2. Dici potest, sponsam Cant. 1. v. 4. mi-

mirabilem sententiam de se protulisse, dum dixit: Nigra sum, sed formosa; si enim nigra fuit, quomodo formosa esse potuit, neque enim nigri homines inter formosos numerantur. Sed hoc dubium ipsa statim solvit, dum addidit; Sicut tabernacula Cedar &c. quæ foris quidem nigra erant propter tempestatem: intus autem auro pulcherrime exornata; sic ergo & sponsa foris quidem & in conspectu hominum se nigram, & vilem esse reputatam fatetur: sed intus seu in animo totam formosam fuisse, uti David Psalm. 44. de ea testatur, dicens; *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*. Quod sponsa de se fassa est, id pariter de se B. Virgo in sua Purificatione fateri poterat, & dicere: *Nigra sum, sed formosa*: ad quod in ipsa concione fusius demonstrabitur, quæ proin in 3. partes dividetur.

In prima ostendatur, quomodo B. Virgo tempore Purificationis nigra fuerit, seu se humiliarit, dum instar aliarum mulierum, quæ in peccato conceperunt, ideoque purificari debuerunt, purificationis legem implere voluit; cujus humiliationis difficultas, & magnitudo ex dignitate Personæ fusius demonstretur.

In secunda parte ostendatur, quam formosa fuerit B. Virgo in conspectu Dei ob hanc humilitatem, id est, quantopere Deo placuerit; Nihil enim, teste Sanct. Hieronimo ad Celantiam, nihil est, quod nos ita hominibus gratos, & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, sed humilitate infimi sumus; nam, ut S. Bernardus super Missus est, ait: Non magnum est esse humilem in abjectione, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata. Ostendatur ergo, quam magna in dignitate constituta fuerit B. Virgo (pro quo probando tit. Hyperdulia Mariana §. 3. videri potest) quantaque adeo humiliatio fuerit, dum peccatricibus mulieribus annumerari voluit, & per consequens, quantopere Deo per hunc actum placuerit, ac in ejus conspectu formosa fuerit.

In tertia parte ostendatur, quo medio B. Virgo usa fuerit ad tantam humilitatem exercendam, scilicet eodem, quo sponsa usam se fuisse fatetur dicens: *Quia decoloravit me Sol*: id est, Christus exemplo suo, id quod more suo pulchre S. Bernardus s. 3. in purif. indicat, dum B. Virginem sic loquentem inducit: Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum templum factus est Spiritus Sancti? cur non ingrediar templum, quæ Dominum genuit templi? Vere, o B. Virgo vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione; sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione. Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & Filius tuus sic est in numero peccatorum. Excitentur proin Auditores, ut & ipsi studeant excitare se gemino hoc Christi, & B. Virginis exemplo ad similem humilitatem exercendam; nec current, si nigri, id est, quoad statum, aut æstimationem viles sint apud homines: sed potius gaudeant se esse formosos, & gratos in conspectu Dei; nam, ut recte S. Ambrosius dixit, si gloriandum est Christiano, de sola humilitate gloriandum est, utpote de qua sola crescitur apud Deum. Dicant proinde cum Sanct. Paulo Gal. 6. Mihi autem absit gloriari &c. sibique applicent consilium Ecclesiastici c. 11. v. 22. Confide, & mane in loco tuo &c.

VI. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen erat Simeon, & homo iste justus, & timoratus*. Luc. 2. Ex hoc themate potest occasio sumi excitandi Auditores ad dispositionem pro felici morte suscipiendam; quem in finem concio dividi potest in duas partes.

Et in prima quidem ostendi, quanti intersit uniuscujusque hominis felicem mortis articulum fortiri, utpote a quo tota felix aut infelix æternitas dependet; quamque adeo merito Christus toties in Evangelio hortatus sit, ut homines ad mortem se pararent: Sint lumbi &c. Et vos estote parati &c. Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

In secunda parte doceatur exemplo Simeonis, quæ sit dispositio optima ad mortem, scilicet triplex. 1. Ut quis, sicut Simeon, sit justus, & timoratus; nam vita optima est optima dispositio ad mortem, juxta notum axioma: Qualis vita, mors ita. *Wie das End, also die Lend*. 2. Præsentia B. V. quæ sudorem detergit, ut fecit viduæ in Spec. Exempl. tit. Bona ex 8. & contra dæmones fortiter protegit, terribilis illis ut castrorum acies ordinata; hinc Ecclesia illam præcipue pro hoc articulo invocare docuit in salutatione Angelica. 3. Si Christum in ulnis, imo in pectore, habeamus; tunc enim dicere audacter poterimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? & cum Simeone: Nunc dimittis &c. hinc ab Ecclesia per modum viatici datus in ulnas offertur. Excitentur proinde Auditores ad hanc triplicem dispositionem procurandam, ut cum Joanne Berchmano e Societate, Regulas, Rosarium, & Crucifixum in manibus gerente dicere possint: Cum his tribus libenter moriar. Vide plura tit. Mors.

VII. Ex occasione thematis: *Postquam impleti sunt dies Purgationis*: Luc. 2. potest ostendi, quomodo B. V. se reputare potuerit peccatricem indigentem remedio Purificationis, & ex hac occasione ulterius declarari potest, quomodo se quivis homo juxta exemplum S. Francisci Seraphici & S. Borgiæ maximum peccatorum se putare & vocare poterit; quem conceptum explicatum vide tit. Humil. §. 11. q. 2. Item apud Alphonsum Rodriq. par. 2. tr. c. 34.

VIII. Ex eodem themate occasio sumi potest demonstrandi, quomodo quivis homo purificari debeat per frequentem usum contritionis, confessionis, & examinis conscientiæ; similque ostendi quantam inde lætitiam ante, in, & post mortem sit concepturus, juxta illud Thomæ Kemp. effatum l. 2. c. 6. Si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Vide titulos Contritio, Confessio, & Examen Conscientiæ.

IX. Ex occasione thematis: *Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*: ostendi potest, quomodo per bonam intentionem omnes actiones nostras velut partus nostros in Jerusalem cælestem portare, & Domino Deo sistere, seu offerre debeamus. Unde ostendi ulte-

ulterius potest, quomodo facienda sit intentio, & quem fructum quis ex tali intentione sperare possit. De quo conceptu vide plura tit. Intentio bona.

X. Ex occasione thematis: *Accepit eum in ulnas suas*: potest narrari historia de mendico semper læto inter adversa, qui præter alia dicere solebat, se Deum duobus brachiis tam arcte complexum fuisse, ut numquam ab eo separari queat; hæc autem brachia esse humilitatem, & charitatem; quorum proin exercitium breviter ostendendum erit; pro quo servient tituli Humilitas, & Charitas, & Heliotropium Drexelii lib. 2. cap. 1.

XI. Ex occasione thematis: *Lumen ad revelationem gentium*: Luc. c. 2. possunt juxta morem receptum cerei distribui Sacerdotibus, senibus, viduis, virginibus, conjugatis, & monstrari, quid singuli a Simeone, Anna Prophetissa, Beata Virgine, Josepho in præsenti historia addiscere possint: quem conceptum fusius explicatum vide apud Fabrum in Festo Purificationis c. 8.

XII. Ex occasione thematis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine*: potest explicari, quæ sit optima dispositio ad mortem, ad quem finem referri potest, quod Joannes Berchman, Studiosus e Societate Jesu, in morte Crucifixum, Rosarium, & Regulas in manum sumpserit, dixeritque: Cum his tribus libenter moriar: unde inferatur, amorem Christi crucifixi, B. Virginis, & mandatorum Dei observationem esse optimam dispositionem ad mortem; de quibus vide tit. Passio Christi, & Hyperdulia.

PRO FESTO SANCTI SEBASTIANI.

I. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, Luc. 6. Ex hoc textu sumatur occasio excitandi Auditores ad S. Sebastianum omni studio colendum. Eum in finem concio dividatur in duas partes, in quarum prima ostendatur, cur S. Sebastianus singulariter colendus sit, nempe ut a peste (cujus morbi gravitas ex vehementia veneni graviter cruciantis, cito perimentis, & facile alium invadentis, *erblich*, demonstretur) nos liberet; pro cujus confirmatione narretur historia de Angelo, tempore pestis in civitate aliqua circumeunte, domos, quo tot ictibus, quot homines mori ex illa domo debebant, percutiente, postea vero ob preces publicas indictas manifestante cuipiam seni, aversum iri in hoc malum, si ara in honorem S. Sebastiani extrueretur. In secunda ergo parte ostendatur, quomodo quoque ara spiritualis a quovis erigenda sit in honorem S. Sebastiani, atque adeo 1. ponenda sit pro hoc altari erigendo basis, seu magna æstimatio de hoc Sancto concepta; ad quam æstimationem concipiendam juvare poterit, tum Dei ipsius tantopere S. Sebastiani cultum propagantis judicium; tum communis hominum erga ipsum affectus, & veneratio. 2. Erigendæ sint columnæ, & reliquæ partes Altaris, id est, firma fiducia concipienda, eaque per ser[illegible] .m, & frequentem invocationem, aliaque pia opera, v. g. devotas preces, confessionem, communionem, jejunium, eleemosynam &c. demonstranda. 3. Ipsa S. Sebastiani imago, seu vita Altari inserenda sit cum hac inscriptione: Ut impetres orationis ejus suffragium, non deferas conversationis exemplum: unde enarrentur, quæ imitari in S. Sebastiano Auditores debeant, videlicet fidelitatem, & fervorem in servitio divino, ac mandatorum observationem, zelum, & charitatem erga salutem proximi, cui assidue succurrebat lætando, & animando ad constantiam in sustinendo martyrio, quæ omnia facile ejus vita exemplificari possunt.

II. *Omnis turba quærebat eum tangere*. Luc. 9. Ex occasione hujus sententiæ excitari possunt Auditores ad pestem peccati vitandam, & ideo ad S. Sebastianum quoque ferventius colendum, & invocandum. Dividatur itaque concio in duas partes, in quarum prima ostendatur, quod peccatum velut pestis animæ multo vehementius sit timendum, quam pestis corporalis, quia hæc quidem facile contrahitur (*ist erblich*) cito perimit, ab omnibus amicis deseri facit, gravem cruciatuum affert, quæ omnia mala plus longe peccato conveniunt, ut quod etiam animum occidit; unde merito huic pesti applicari potest illud Christi dictum Matth. 10. Nolite timere &c. In secunda parte ostendatur, cum S. Sebastianus & Deum, & homines summe semper dilexerit, atque adeo illud maxime malum avertere cupiat, quod Deo magis displicet, ejusque honorem, & amorem impedit, & hominibus magis est nocivum, quam libenter concursurus, & suum patrocinium oblaturus sit pro hac longe graviori peste avertenda, qui pro peste corporali extinguenda tam propitium, & sollicitum se præbet. Excitentur proin Auditores ad novam fiduciam, vel hoc etiam titulo erga ipsum concipiendam, variaque devotionis annuæ, menstruæ, hebdomadariæ, quotidiana pensa persolvenda. Vide titul. Peccatum.

III. *Venerant, ut audirent eum, & sanarentur a languoribus suis*. Luc. 6. Ex occasione hujus textus excitari possunt Auditores, ut pro peste avertenda faciant, quod David pro aversa fecit, dum scilicet, postquam misertus est Dominus super afflictionem, & Angelo populum percutienti dixit: Sufficit, nunc contine manum tuam, altare extruxit, plaustra boum in usum lignorum concidit, & holocaustum obtulit l. 2. Reg. c. 24. Ostendatur ergo per tres partes, quomodo hæc tria spiritualiter fieri debeant. Et 1. quidem, quomodo plaustra boum comburenda, id est servilis labor deponendus, festusque dies instituendus ad honorem Dei & S. Sebastiani, ut sublato labore, divinis officiis vacari possit. Non vero a corporali dumtaxat, sed etiam spirituali labore abstineatur, eo nempe, de quo Isa. 43. c. dicitur: Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Quomodo enim grata potest esse cessatio a labore, si ad peccata, & offensas Dei adhibeatur. Certe incassum per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis

tis moribus mens dimissa vitiis dissipatur, ut S. Gregorius in Past. recte notavit. 2. Ostendatur, quomodo altare erigi debeat, idest, preces in Area Arcunæ, seu arcæ, coram Ven. Sacramento, & unanimiter; tum quia sic verificatur illud Christi Matth. 18. Si duo consenserint; tum quia sic multi minimi, dum congregantur unanimes, sunt magni, & multorum preces impossibile est non audiri, ut S. Ambrosius l. de pœn. testatur; tum quia sic preces de se exiguæ unitæ cum aliis facilius acceptantur, ut nummus malus cum multis bonis, & maxime cum precibus S. Sebastiani. 3. Quomodo holocaustum offerri debeat, tum per Sacramentum Confessionis, de quo dicitur Psalm. 50. Sacrificium Deo &c. tum per Sacramentum Eucharistiæ susceptum, quod est holocaustum Deo gratissimum, quæ omnia facile fusius deduci possunt, & ad Sanctum Sebastianum applicari.

IV. *Gaudete, & exultate in illa die, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Luc. 9. Ex occasione hujus textus potest narrari pactum Jonathæ cum Davide, & signum, quod dedit illi, gratiæ apud Saulem obtentæ, si scilicet puero diceret: Ecce sagittæ intra te sunt. L. 1. Reg. c. 20. & ostendi, nullum certius esse signum amicitiæ, & gratiæ apud Deum obtentæ, quam si dici de aliquo possit: Ecce sagittæ tribulationum intra te sunt. Id quod 1. probetur authoritate S. Scripturæ Tob. 12. Quia acceptus &c. Hebr. 12. Fili mi &c. Jac. 1. Omne gaudium &c. 2. Authoritate SS. Patrum; quos vide tit. Patientia §. 3. & 4. 3. Exemplis Christi, B. Virg. & S. Sebastiani, cujus tribulationes & martyrium breviter narretur, & inde inferatur, quam magnum oporteat esse amicum Dei, quamque adeo merito invocetur pro peste avertenda. Exitentur proin Auditores ad illum novo fervore colendum, & invocandum, atque ut preces efficaciores sint, etiam imitandum in sagittis tribulationum fortiter excipiendis, ut sicut socii passionum fuerint, ita & gloriæ sint futuri.

V. *Beati eritis, cum vos oderint homines*. Luc. 2. Ex cujus textus occasione ostendi potest, quam vere S. Job c. 7. dixerit, militiam esse vitam hominis super terram, cum etiam domestici, id est, ipsi homines ejusdem naturæ participes sint inimici hominis; quam æquum proin sit, ut omnes bene certare discant id, quod a S. Sebastiano discere poterunt. Unde concio in duas partes dividi potest, & in prima ostendi, quam bene S. Sebastianus sit functus militis officio, dum Duci suo Christo summe obediens fuit; hinc jussa magis illius, quam Diocletiani, implevit, usurpans illud Apostolorum Act. 5. Obedire oportet &c. 2. Dum pariter summe fidus fuit, nec minis, nec promissis abduci se sinens, quæ omnia ex vita demonstrentur. 3. Dum constanter usque ad finem certaminis certavit, sciens, quod nemo coronabitur, qui non legitime certaverit, & perseveraverit usque in finem. Id quod pariter ex vita demonstrandum, ita ut merito cum S. Paulo 2. ad Tim. 4. dicere potuerit: Bonum certamen certavi. In secunda parte ostendatur, quomodo se ex citarit ad hoc certamen, scilicet proponendo sibi præmium promissum; Gaudete &c. fecit proinde, quod David 1. Reg. 17. quærendo quid dabitur viro, qui percusserit Philistæum, aut Tyrannum Diocletianum vicerit; cumque audisset, quod Rex cælestis eum ditabit divitiis magnis, & filiam suam, id est beatudinem, dabit, generose eum aggressus sit, & vicerit. Unde explicetur hæc magnitudo præmii, & quam S. Sebastianum roborarit, dum Deus & Ecclesia illi quasi dixerint id, quod mater Machabæorum filio dixit: Machab. 7. Peto nate &c. Excitentur Auditores ad imitandum S. Sebastianum fortiter certando contra persecutores homines, oppugnantes dæmones, & proprias passiones velut domesticos inimicos, eumque in finem usurpetur illa S. Chrysostomi sententia in 6. Lect. diei 7. in Octava SS. omn. citata: Apostoli Christi &c. Unde tu delicatus es miles &c. Vide tit. Beatitudo.

VI. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Luc. 2. Ex hoc textu sumatur occasio demonstrandi, quomodo S. Sebastianus cum aulica, & militari vita sanctitatem conjunxerit. Dicatur ergo in exordio, multa miracula fuisse a S. Sebastiano patrata, sed maximum fuisse, quod sanctitatem cum aulica, & militari vita conjunxerit; hoc enim rarissimum & difficillimum esse miraculum. Postea in prima parte ostendatur, quam multa pericula in aula & militia reperiantur ad peccandum, maxime superbiæ, & ambitionis propter honores: luxuriæ propter fœminas pulchritudine, & vestitu decoras: gulæ, & ebrietatis propter abundantiam cibi & potus: avaritiæ, & injustitiæ propter divitias: iracundiæ & sævitiæ propter potentiam: invidiæ propter æmulos: & quomodo hæc omnia pericula superarit. In secunda parte ostendatur, quo medio sit usus, scilicet quo P. Araozius e Societate Jesu Confessarius Regis Hispaniæ usus est, qui interrogatus, quo medio se contra pericula Aulæ tueretur; respondit, per herbam timoris Dei se illæsum manere. Ostendatur ergo, quantam vim hic timor habeat ad pericula talia vitanda, & quomodo S. Sebastianus ea sit usus, ipsique etiam Auditores usurpare debeant, ut sanctitatem cum suo statu conjungant; nam quemvis in suo statu sanctum fieri posse, patet ex pluribus exemplis in vita S. Macarii apud Rosweydum narratis, ubi Deus ostendit S. Macario, illi duas uxores, & alias Mercatorem in meritis, & sanctitate parem esse.

PRO FESTO S. MATTHIÆ.

I. D*Iscite a me, quia mitis sum, & humilis corde*. Matth. 11. Ex hoc textu sumi potest occasio Auditores ad humilitati studium excitandi. Et in prima quidem parte ostendi potest, cur Christus humilitatem ante alias virtutes a se disci voluerit, nempe quia scientia hæc ante alias summe necessaria, utilissima, dignissima, jucundissima, & facillima est; pro qua assertione demonstranda vide tit. Humilitas, §. 9. In secunda parte ostendi potest,

potest, quibus mediis præcipue utendum sit ad hanc scientiam addiscendam, scilicet exemplo Christi (cum teste S. Ambrosio primus discendi ardor sit nobilitas Magistri, nec in tantum provehi possit qualibet felicitas humana, ut æstimet sibi pudendum, quod Deus in forma servi non est arbitratus indignum, ut S. Leo s. de resurr. recte advertit) & ponderatione præmii humilibus promissi; de quo vide tit. Humili §. 11. n. 8. Claudatur concio memorabili sententia in cit. tit. humilit. §. 3. n. 27. Frustra appellamur Christiani &c.

II. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*. Matth. 11. Ex quo textu occasio sumi potest aliter humilitatem commendandi, dicendo scilicet, gaudere plerumque Discipulos, si Magistri doctrinam in compendio habere possint; merito ergo Auditores gratias agere debere S. Paulo, quod in sua ad Philipp. Epistola c. 2. v. 5. compendium doctrinæ totius de humilitate proposuerit, & 1. quidem, quid sit humilitas, per illa verba: *Humiliavit semetipsum formam servi accipiens*: ostenderit. 2. Quo medio utendum sit, per illa verba: *In similitudinem hominum factus*: declararit, scilicet exemplo Christi. 3. Quis fructus inde sperari possit, per illa verba: *Propter quod exaltavit illum Deus*: indicarit. Pro quibus melius declarandis vide tit. Humilitas, §. 12. n. 4. q. 1.

III. *Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Matt. 11. Ex cujus sententiæ occasione monstrari potest, cur Christi jugum, scilicet observatio mandatorum Dei, præ omnibus aliis, maxime autem præ jugo Mundi, Carnis, & Diaboli sit suscipiendum, ad quem finem usurpetur sententia S. Bernardi in aliquo serm. dicentis: Mundus dicit: Ego deficio. Caro dicit: Ego inficio. Diabolus: Ego decipio: Christus: Ego reficio. Ostendatur ergo in prima parte concionis, quomodo Mundus deficiat; id quod probari potest testimonio Sancti Joannis 1. c. 2. Nolite diligere Mundum &c. deinde experientia Salomonis de se fatentis Eccl. 2. c. 11. Cumque convertissem &c. & tandem exemplo narrato a Discipulo Litter. M. ex. 78. quod scilicet Mundi gloria apparuerit Nobili cuipiam in specie Mulieris secundum anteriorem partem speciosæ, secundum posteriorem vero plenæ vermibus, putredine, immunditia, cumque interrogata, quæ essent, respondisset: Ego sum gloria Mundi, & hi sunt fructus mei: Nobilis detestans hanc, vanitati sæculi renuntiavit. In secunda parte ostendatur, quomodo caro inficiat, corpus quidem assimilando bestiis, destruendo sanitatem, accersendo mortem, & pœnas gravissimas in hac vel altera vita: anima vero per maculam peccati, famæque immunitionem, quæ nulla re magis, quam per carnis delicias amatas læditur. In tertia parte ostendatur, quomodo Diabolus decipiat, promittendo bona fictitia, & inania pro veris, fluxa, & momentanea pro perpetuis, & promittendo tantum, non exibendo, uti in exemplo Christi per Dæmonem tentati fusius ostendit Faber Dom. 1. Quad. conc. 2. In quarta tandem parte ostendatur, quomodo Christus reficiat, quoad corpus, dum nihil deesse patitur sequentibus se, uti Apostoli testati sunt, & experti: animam vero requie, & consolationibus cælestibus, & præcipua sua dilectione, uti S. Bernardus in jubilo testatur, canens: Tua Jesu dilectio, grata mentis refectio.

IV. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Matth. 11. Ex hujus sententiæ occasione ostendi potest, quomodo Christus reficiat, scilicet triplici modo: 1. *Adjutorio suo*, seu gratia: ipse enim est vitis, nos palmites, Jo. 15. Unde sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec nos, nisi per Christi gratiam. Unde recte quidam ex SS. Patribus ait: Qui mihi est Author, ipse erit administrationis Adjutor, & ne sub magnitudine sarcinæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Hinc S. Paulus 1. Cor. 15. cum dixisset, se plus omnibus laborasse, mox addit: Non ego autem, sed gratia Dei mecum; unde sic animatus est; ut dixerit 4. Philip. v. 3. se omnia posse in eo, qui se confortat. 2. *Exemplo suo*. Ita quondam S. Gertrudi ostendit, dum visus est illi per viam spinosam suos ducere, sed prius sua cruce spinas, id est, difficultates removere. Hinc Sophon. 3. v. 9. promisit, se effecturum, ut serviat ei populus suus in humero uno, quia scilicet altera pars jugi tamquam principatus factus est super humerum ejus. Isaiæ 9. v. 6. Si ergo proceribus Abimelech Jud. 9. facile fuit ramos de arboribus resecare, & domum ferre, quia ipsum ducem ducentem audiverunt: Quod me videritis facere, & vos facite. Si Milites Alexandri Magni per medias nives, & prærupta montium alacres perrexerunt, quia Ducem præeuntem viderunt, quidni idem potiori jure exemplum Christi efficiat? Certe ob hanc caussam Sponsa Can. 1. v. 12. Fasciculum myrrhæ, non fascem gravem: vocavit dilectum suum. 3. *Solatio suo*. Sicut enim boum juga mollibus pannis fulciuntur, ne nimium lædant, aut gravent, ita Christus jugum servis suis imponi solitum consolationibus suis fulcit. Hinc S. David Ps. 93. ait: Secundum multitudinem dolorum &c. & S. Paulus 2. Cor. 7. v. 4. Repletus sum consolatione &c. ut adeo verius Christus de suis legibus, quam M. Aurelius Imperator de suis dicere possit. Leges meæ tum juga sunt, sub quibus mali arant: tum alæ, quibus bono volitant, & libero cælo fruuntur. Excitentur proin Auditores, ut jugum hoc tollant alacriter, & portent constanter, ut in hac & altera vita refici mereantur. Vide tit. Exemplum, & tit. Christus.

V. *Discite a me, quia mitis sum*. Matth. 11. Ex hujus sententiæ occasione dici potest, esse consuetudinem aut legem in aliquibus Academiis, ut singuli Discipuli duas lectiones audire cogantur. Eumdem morem servare Christum; hinc duras lectiones præscripsisse, humilitatem, & mansuetudinem: de quarum priore quia alias dictum, nunc posteriorem commendandam. Dividatur ergo concio in duas partes, & in prima quidem ostendatur, quomodo mansuetudo sit exercenda, præcipue

pue 1. in *conversatione* exemplo Christi, de quo S. Bernardus ser. in Cœna Dom. ait: Jesus erat dulcis in voce, dulcis in facie, dulcis in opere. Hinc Sponsa Cant. 4. de ipso ait: Favus distillans labia tua &c. in *contradictione seu persecutione*; ut non respondeatur dure; nam servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, teste Paulo 2. Tim. 2. Responsio enim mollis frangit iram. Prov. 15. v. 1. ut Abigail exemplo suo docuit. 1. Reg. 25. 3. in *correptione*: juxta monitum D. Pauli Gal. 6. v. 1. Fratres, si præoccupatus &c. Hinc præclare S. Augustinus tract. 7. in Epist. S. Joannis ait: Breve ubi præceptum proponitur: Dilige, & fac, quod vis. Radix sit intus dilectionis, non potest de illa nisi bonum procedere. Vide hoc plura tit. Mansuetudo. §. 11. n. 1. & 3. & tit. Dilectio proximi. §. 3. a n. 46. In secunda parte ostendatur, quale præmium sperare possint Discipuli Christi, qui lectionem mansuetudinis diligenter didicerint, scilicet illud, quod Christus Matth. 5. v. 4. promisit dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, quadruplicem scilicet; quam dicto tit. Mansuetudo §. 12. n. 2. vide explicatam, ubi etiam plures conceptus de hac materia reperies.

VI. Ex occasione thematis: *Discite a me, quia mitis sum*. Matth. 11. ostendendum est, cur Christus pro Magistro eligendus, & audiendus. Nempe 1. Quia est artis, quam docet, peritissimus, uti pluribus exemplis docuit. 2. Quia est etiam paratus docere, ut qui ultro invitat ad scholam; & pariter multis in vita indiciis populum docendo probavit. 3. Quia habet facilem modum docendi, uti Thom. Kemp. l. 3. c. 43. in Persona Christi ostendit dicens: Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quam si decem annis studuisset in scholis. Si ergo juxta S. Ambrosium primus discendi ardor nobilitas est Magistri, facile patet, quanto cum fervore hic Magister audiendus sit, illaque pii Ascetæ verba l. 2. c. 2. ad eum dicenda: Loquere, Domine, quia audit servus tuus &c.

VII. Ex ejusdem thematis occasione declarari possunt conditiones Discipuli, quarum prima est a Christo ipso Luc. c. 14. indicata: Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest mens esse Discipulus. Secunda, ut diligenter auscultet Magistrum loquentem verbo, aut exemplo, ejusque doctrinam magni æstimet, serio ponderet, & praxin illius bene addiscat. Tertia, ut assiduo lectionem præscriptam repetat, in eaque se exerceat. Quarta, ut sæpius se super eamdem reflectat, & quantum profecerit, vel defecerit, se examinet. Quinta, ut gratiam divinam frequenter & ferventer imploret; de quibus vide tit. Humilitas.

VIII. Ex occasione thematis: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*, ostendi potest veritas sententiæ a Thom. Kemp. l. 1. cap. 2. prolatæ. Hæc est altissima & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio, & despectio; ostendendo, quod humilitas sit efficacissimum medium ad triplicem viam perfectionis, purgativam scilicet, illuminativam, & unitivam, celeriter decurrendam: vel ad triplicem finem, gloriæ divinæ, propriæ, & alienæ salutis, obtinendum; pro quibus conceptibus deducendis videri potest tit. Humilitas.

IX. Ex eodem themate occasio sumi potest, media ad veram humilitatem acquirendam demonstrandi, quorum potissimum est cognitio sui, uti docuit senex, qui quæsitus, quomodo humilitas obtineri possit, respondit: Si sua tantummodo, & non aliena mala quis consideret. Quod ipsum etiam S. Basilius confirmavit dicens: Tria sunt, quæ radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, & ponderatio rei melioris; de quibus vide citat. tit. Humilitas.

X. Ex occasione thematis: *Et invenietis requiem animabus vestris*, Matth. 11. ostendi potest, quomodo humilis triplicem requiem inveniat, scilicet *cum Deo*, qui dat humilibus gratiam, eosdem specialiter amat, & fovet: *cum Proximo*, qui humilem singulariter æstimant, & amant, unde sicut inter superbos sunt semper jurgia, ita inter humiles pax & concordia viget: *Secum ipso*, quia hoc ipso, quod honores, & gloriam hominum non appetat, ab omnibus sollicitudinibus, & motibus, quibus ambitiosi inquieti redduntur, liber est. Vide tit. Humilitas, præsertim §. 9. num. 5.

XI. Ex occasione sententiæ: *Discite a me, quia mitis sum*, ostendi potest, quam mansuetus fuerit Christus, uti tit. Mansuetudo §. 5. n. 1. videre est, & ex actibus §. 1. indicatis ulterius probari potest. Unde inferatur, hanc virtutem præ aliis decere Christianum, uti Sanctus Chrysostomus indicavit, dum accepto a Sami Præfecto colapho dixit: Repercussissem, nisi Christianus essem.

XII. Ex occasione thematis: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*: Matth. 11. ostendatur, per quæ media jugum Christi leve efficiatur, nimirum per gratiæ comparationem; hinc S. Paulus dixit: Omnia (facile) possum in eo, qui me confortat. 2. Per suum exemplum, & Sanctorum, imo filiorum sæculi, nihil enim difficile æstimatur, quod jam ab alio factum conspicitur. 3. Promissione præmii, de quo sic loquitur S. Chrysostomus: Si nautis minaces pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædesque militibus, si gravissimi ictus plagæque pugillibus leves videntur, atque tolerabiles propter spem temporalium ac pereuntium honorum, multo magis, cum cælum proponatur pro præmio, nihil ex adversitatibus his præsentibus sentiantur. Vide tit. Exemplum & Beatitudo.

PRO FESTO S. JOSEPHI.

I. EX occasione thematis: *Joseph autem vir ejus cum esset justus*: Matth. 1. potest ostendi, in quo justitiam exercuerit S. Josephus, scilicet in hoc, quod cuique jus suum tribuerit, Deo debito obsequium, per impletam perfecte ejus voluntatem: Proximo,

per

per laborem fabrilem in ejus utilitatem susceptum, & Christum Servatorem sollicite nutritum, & custoditum: Sibi ipsi, dum animæ suæ salutem studiose procuravit; unde excitentur Auditores ad justitiam hanc, pro viribus procurandam simulque fructus hujus justitiæ ostendatur, demonstrando, quod in eo impleta sit sententia Salomonis Sap. c. 8. Si justitiam quis diligit, labores hujus magnam habent virtutem; ante mortem, quia quærenti justitiam, teste Christo, omnia necessaria adjicientur; in morte, quia non contristabit justum, quidquid ei acciderit, atque adeo neque mors ipsa; post mortem, quia justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.

II. Ex ejusdem textus occasione ostendi potest, quod S. Joseph non immerito patronus eorum, qui vitam occultam degunt, dicatur, quia sanctitas ejus vere occulta erat. Itaque in prima parte declaretur, quid sit vita, & sanctitas occulta, scilicet ut opera privata, quæ extra conspectum hominum fiunt, magna cum diligentia ad Dei honorem peragantur, & generosæ quædam de seipso victoriæ soli Deo notæ reportentur. In secunda parte ostendatur, quem fructum ex hac vita occulta reportaverit, quod scilicet cum Christo, ætate non materiali dumtaxat, sed etiam spirituali (de qua S. Gregorius dixit: Vitæ Christianæ dies sunt virtutes singulæ, menses autem multiplicia facta virtutum) Sapientia, seu sapida cognitione Dei, & gratia apud Deum, & homines profecerit. Unde Auditores ad imitationem excitandi.

III. Ex eodem themate deduci potest, Josephum ita se omnibus divinæ voluntati conformasse, ut merito Deus de illo dicere potuerit: Inveni Joseph virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas, i. e. semper faciat, quæ volo, & quomodo volo, & quia volo. Unde & ulterius de eo dicere potuit: Oleo sancto meo (lætitiæ) unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortavit eum. Quos effectus etiam Auditores sperare possunt, si cum eodem viri secundum cor Dei esse studeant.

IV. Ex eodem themate sumatur occasio Josephum cum Josepho Ægyptiaco comparandi, præcipue in tribus. 1. In convenientia nominis, quod idem significat, atque augmentum Dei, vel Filius accrescens in gratia, & gloria, in qua juxta Suarez & doctos omnes Sanctos præter B. Virginem superavit. 2. In virtutibus, præcipue in castitate & patientia, in qua utraque excelluit Joseph Protex, sed magis S. Josephus. 3. In officio, & fidelitate, quia domum summi Regis, idest Familiam Christi, summa cum sollicitudine administravit. Quare excitentur Auditores, ut dictum sibi in necessitatibus suis putent: Ite ad Joseph: magnaque ad eum cum fiducia confugite.

V. Ex eodem themate potest ostendi pretium, & utilitas laborum corporalium propter Deum susceptorum, cum S. Josephus potissimam vitæ partem in laboribus corporalibus consumpserit, & tamen ad tantam gloriam evectus sit, ut merito dicere potuerit: Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Ostendatur ergo quomodo S. Josephus labores suos peregerit, quid ante, in, & post illos egerit. Vide tit. Labor, §. 6. & 10.

VI. Ex occasione thematis: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph.* Matt. c. 1. possunt Maria & Joseph in speculum conjugibus proponi, & ostendi. 1. Quomodo in desponsatione se gerere debeant, voluntatem divinam sedulo indagando. 2. In conjugio, amorem conjugalem, concordiam & fidelitatem exercendo. 3. Post conjugium, in morte conjugis modice deplorando, honeste, & pie sepeliendo, copiosis, & efficacibus suffragiis succurrendo. De quibus vide Fabrum Dom. 2. Epiph. conc. 3. & tit. Matrim.

PRO FESTO ANNUNCIATIONIS.

I. *AVe gratia plena: Dominus tecum.* Luc. 1. Ex occasione hujus textus ostendi potest, quomodo B. Virgo vere fuerit gratia plena, uti demonstrari potest tum testimoniis SS. Patrum tit. Hyperdulia Mariana §. 3. n. 45. & seq. tum ex titulis & fontibus, ex quibus hæc plenitudo processit, quos vide l. c. §. 9. num. 1. & 3. Unde Auditores ad fiduciam & venerationem excitandi, cum passim videamus, eos qui multa a Rege impetrare cupiunt, ad illos maxime confugere, quos Regi magis gratos esse cognoscunt. Vide loc. cit. §. 4. & 5.

II. *Spiritus S. superveniat in te.* Luc. 1. Ex cujus textus occasione demonstrari potest, quod B. Virgini contigerit, quod Esther olim evenit; nam & ipsa per aliquot annos præparata erat in templo, & inde præ reliquis placebat Spiritui S. ab eoque in Sponsam accepta est, ex quo dignitas incredibili ei exorta, quæ explicanda, & probanda est ex titulo Filiæ Patris, Matris Filii, & Spiritus S. Sponsæ. Unde excitandi Auditores ad amorem, cultum, & fiduciam; pro quibus vide l. c. §. 3. n. 58. & 78. & seq.

III. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum.* Luc. 1. Ex cujus textus occasione dici potest, etsi videri possit, B. Virginem tantum esse factam Matrem Christi, vere tamen etiam factam esse Matrem nostram, cum hoc ipso, quod Christum Servatorem genuerit, etiam nos regeneraverit; unde Christus hoc die, nempe 25. Martii, etiam pati, & in cruce dicere voluit: Ecce Mater tua. Ostendatur ergo in prima parte, quam perfecte materna officia generando, alendo, protegendo, hæreditatem æternam procurando exercuerit. In secunda vero parte ostendatur, quomodo vicissim officia Filii amando, confugiendo, honorando exercere debeamus; pro quo vide tit. Hyperdulia Mariana §. 5. n. 10. & seq. & §. 4. a n. 9. & ibi passim.

IV. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. Ostendi potest, quam vere officium fidelis, & humilis ancillæ impleverit B. Virgo, ita ut de ea verius, quam

quam de Davide Psalm. 88. v. 21. dicere potuerit Deus: Inveni &c. qui faciat *omnes* voluntates meas, faciendo semper, quæ voluit Deus, quomodo voluit, & quia voluit, juxta notum illud distichon.

Omne tulit punctum, patitur qui semper agitque.

Quæ vult, quoque modo vult Deus, & quia vult.

In secunda parte ostendatur, quomodo B. Virgo sicut cum Davide fidele Deo servitium præstitit, ita simile quoque præmium obtinuerit, nempe quod Deus oleo sancto unxerit eam manu sua, auxiliatus sit illi: & brachio suo confortarit eam; quæ omnia vide tit. Resignatio §. 9. n. 1.

V. *Benedicta tu inter mulieres*. Luc. 1. Ex hujus textus occasione demonstrari potest, quod, sicut Deus voluit B. V. eligere in Matrem Filii, atque adeo in reparatricem secundariam salutis nostræ, ita etiam per illam velut præcipuum post Christum instrumentum exequi voluit redemptionis, & prædestinationis nostræ beneficium, & nullam gratiam conferre, nisi per Ipsam, ita ut merito collo in Ecclesiæ corpore comparetur, per quod ex Christo velut capite omnes gratiæ descendere debent in reliqua membra. Unde S. Bernardus serm. in Nativ. Virg. ait: Ex hoc beatam te dicent &c. vide tit. Hyperdul. Marian. §. 3. num. 63. & S. Germanus serm. de Zona B. V. Nullus est, qui salvus fiat &c. ibid. num. 51. In secunda parte ostendatur, quomodo idipsum in praxi semper sit observatum, ita ut, sicut olim Pharao Gen. 41. dixit subditis aliquid petentibus: Ite ad Joseph; ita nunc dicatur Christianis aliquid petentibus: Ite ad Mariam; ad quem finem servire possunt plurima exempla cit. tit. §. 4. a n. 40. & §. 3. a n. 58.

VI. *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Luc. 1. Ex hujus textus occasione ostendatur, quod hoc fuerit symbolum B. Virginis, in prosperis æque ac adversis usurpatum, id quod totam ipsius vitam percurrendo facile probari potest. In secunda vero parte ostendi potest, quod per & propter hæc verba opere completa facta sit Mater Dei, atque adeo etiam Regina cæli; si enim juxta Senecam, Rex est, qui metuit nihil, Rex est, quique cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat; merito B. Virgo præ omnibus hominibus Regina dici potuit, ut quæ præ omnibus nihil cupierit præter Deum, ita ut cum Esther c. 14. v. 18. dicere cum veritate potuerit: Tu scis, quod numquam lætata sit ancilla tua, nisi in te Domine, Deus Abraham. Deinde vero etiam timuerit nihil, quia cum veritate applicare poterat illud S. Chrysostomi: Quid timet homo in sinu Dei positus; tu de sinu ipsius noli cadere, & omnia, quæ tibi evenerint, in bonum cedent; vere enim diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8. v. 18. unde dicebat cum S. Paulo loc. cit. Quis me separabit &c. Excitentur proinde Auditores, ut cum servire Deo regnare sit, & hoc regnum sibi quisque det, ipsi quoque veri Reges fieri studeant, assumendo B. Virginis symbolum, & ubique dicendo: *Fiat mihi &c.* eumque in fidem B. V. rogent, ut quemadmodum Bersabea Salomonis Filio impetravit regnum l. 3. Reg. c. 1. ita & ipsa gratiam saltem impetrare dignetur, qua regnum hoc nobis ipsis dicto modo procurare, sicque ejusdem velut veræ Reginæ veri Filii, & regni quoque cælestis participes fieri possimus.

VII. Ex occasione thematis: *Ave gratia plena*: potest dignitas, & plenitudo gratiæ demonstrari, quam B. V. accepit per & propter maternitatem, ita ut Suarez probaverit, eam in primo instanti conceptionis omnes Angelos & homines collective sumptos superasse, & hanc gratiam singulis momentis duplicasse. Unde Auditores ad eam condigne æstimandam, & honorandam excitentur. Pro quo concepto vide tit. Hyperdulia §. 3. n. 39. & 45. & seq. item §. 9. n. 3. item §. 11. n. 6. & 7.

VIII. Ex occasione thematis: *Benedicta tu inter mulieres*: ostendi potest, cur benedicta merito dicatur, nimirum primo, quia Mater Dei est. Secundo, quia Mater viventium. Tertio, quia Mater defunctorum. Unde excitandi Auditores, ut tamquam Matrem Dei magni faciant, & peculiari cultu venerentur, tamquam ad Matrem suam singularem semper fiduciam gerant, & tamquam Matrem defunctorum illis per varias preces, & obsequia conciliare nitantur. Vide cit. tit.

IX. Ex occasione thematis: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*: ostendi potest, quam nullam habeat causam timendi, qui gratiam apud Deum invenit, ut qui dicere possit cum S. Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ostendatur ergo in specie, quomodo non timere audeat Deum, homines, diabolos, sed merito illud S. Chrysostomi sibi applicare possit: Quid timet homo in sinu Dei positus? tu de sinu illius noli cadere, & quidquid tibi illic evenerit, in bonum cedet.

X. Ex occasione thematis: *Ecce Ancilla Domini*: potest ostendi, quomodo B. Virgo se ut ancillam vilissimam, & omni bono indignam reputarit: vilissimis in officiis se constanter exercuerit: & nihil sibi attribuerit ex laboribus, & operibus suis, sed omnia Deo lucrata sit; ab hominibus despectum, & injuriam illatam patientissime tulerit; unde inferatur, cum nos Filii simus hujus Ancillæ, & partus sequatur ventrem juxta juristas, æquissimum esse, ut nos quoque cum ea non tam verbis, quam opere per illius imitationem, dicamus: Ecce mancipium Domini.

XI. Ex occasione thematis: *Benedicta inter mulieres*: potest institui comparatio inter illam & Evam, quod scilicet sicut Eva per inobedientiam Mater morientium, sic Maria per obedientiam Mater viventium, sit facta, & ideo merito benedicta dicatur; unde hortandi Auditores, ut eam & ipsi non tam verbis, quam operibus benedicant, quod fiet, si omnia sua opera post Dei gloriam ad honorem ipsius referant, & hac ipsa de causa cum magna diligentia, & perfectione absolvere conentur. Vide tit. Hyperdulia §. 10. n. 22.

XII. Ex occasione thematis. *Ave gratia* ple-

plena: potest B. Virgo Estheri comparari ob quinque titulos, scilicet pulchritudinem, gratiam apud Deum, liberationem populi Christiani, dimidium regni (idest misericordiam) non promissum dumtaxat, sed collatum, ob duas ancillas, Angelicam, & humanam; unde excitandi Auditores, ut ad ipsam perinde ut Judæi ad Estheram confugiant, & liberari ab interitu petant.

XIII. Ex occasione thematis: *Fiat mihi secundum verbum tuum:* potest in primis ostendi, quid involvant hæc verba, scilicet, ut quis semper faciat, quæ vult Deus, quo modo vult, & quia vult, scilicet propter solum ipsius beneplacitum. 2. Demonstrari potest efficacia horum verborum, eo quod ad illorum prolationem Christus incarnatus sit, & vero etiam nunc in mentibus eorum, qui ea cum veritate proferunt, spiritualiter incarnatur, idest moraliter cum homine uniatur, ita ut dicere possit cum S. Paulo: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.

PRO FESTO S. GEORGII.

I. *Manete in me, & ego in vobis.* Joan. 15. Potest ostendi quod S. Georgius merito dicatur Eques, eo quod habuerit omnes conditiones ad verum Equitem requisitas. Nam 1. fuit *Nobilis* non profana, & falsa, sed vera nobilitate, de qua S. Bernardus dixit: Sola vera nobilitas est, clarum esse virtutibus. Unde explicentur potiores illius virtutes, præcipue Fides, Spes, Religio, Prudentia, Temperantia, & similes. 2. Fuit *Miles* fortiter certans contra Tyrannum & Dæmonem, qui per Draconem illi appingi solitum intelligitur. 3. Gestavit in pectore torquem aureum, & in eo pendentem Christum crucifixum, quia a morte Christi omnia promissa, & minas Tyranni generose contempsit, dicens, cum S. Paulo Rom. 8. In his omnibus superamus &c. &, Quis me separabit, &c. Excitentur proinde Auditores, ut ob oculos habeant S. Augustini serm. 47. de Sanct. sententiam: Quotiescumque, &c. vide tit. Sanctorum cultus, §. 3. num. 12. & ostendatur, quomodo S. Georgium imitari debeant in patientia præsertim, & certamine contra dæmones, &c.

II. *Sine me nihil potestis facere.* Joan. 15. Dicatur, quærere aliquos, cur S. Georgius in equo cum lancea Draconem perimens proponatur; ad quam quæstionem varii varie respondent; optimam autem videri, quod Ecclesia velit, ut aspiciamus hoc exemplar, & imitemur illud, perimendo Draconem toti humano generi nocentissimum. Quis autem hic Draco sit, & quomodo ad exemplum S. Georgii superandus, & occidendus, in hac concione dicendum iri. In prima ergo parte ostendatur, quod Draco iste non alios sit, quam ira, cum sit *torva* aspectu, uti in iratis patet: *insperato invadens*, cum irati, ubi minime timebatur, invadant: graviter nocens bonis fortunæ, corporis, animæ, uti patet exemplo Herodis innocentes occidi jubentis, aliorumque Tyrannorum, maxime autem illius Itali, qui inimicum suum cum in terram prostravisset, primo mortem minatus est, nisi Deum, & Sanctos abnegaret, qua abnegatione facta, mox gladium cordi ejus infixit, & postea etiam sibi ipsi, ut statim cum ipso in infernum descendere, & æternum cruciare posset. In secunda parte ostendatur, quibus mediis Sanctus Georgius Draconem interemerit, scilicet equo, & lancea; per equum intelligatur gratia divina, juxta illud Thomæ Kemp. lib. 2. c. 9. Satis suaviter equitat, quem gratia Dei portat. Hic merito illud Salomonis Sap. 8. Scio, non possum esse continens (etiam ab ira) nisi Deus det: & illud Christi Joan. 15. Sine me nihil potestis facere. Per lanceam ferro munitam intelligatur serium propositum abstinendi, quia teste Thoma Kemp. l. 1. c. 19. Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri, &c. ubi narrari potest exemplum illius domini, qui, ubi famulum suum ad iram summe pronum advertit, ob paucos nummos promissos tam facile ab ira abstinuisse; quod cum vidisset etiam ipse sibi emendationem quoad hoc vitium possibilem judicavit, & manum adhibuit. Vide plura, tit. Iracundia.

III. *Manete in me, & ego in vobis.* Joan. 15. Ostendi potest quomodo illa tria erga S. Georgium observare debeamus, quæ S. Bernardus in Festivitatibus Sanctorum consideranda esse dixit, nempe auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram; quem sententiam vide tit. 118. §. 3. n. 1. in quo loco etiam reliqua ad conceptum hunc dilatandum opportuna reperientur.

IV. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum,* Joan. 15. Ostendi potest quomodo manere debeamus, si scilicet ei uniamur per *Fidem*, firmiter credendo, quidquid revelavit: per *Spem*, sperando firmiter, quod promisit, nempe se mansurum nobiscum usque ad consummationem sæculi: per *Charitatem*, omnia ex amore illius faciendo, & tolerando juxta illud. 1. Cor. 10. Sive manducatis, &c. Hinc sponsæ Cant. 8. dixit: Pone me ut signaculum. Deinde ostendatur, quem fructum sperare possimus, si in ipso maneamus dicto modo, nempe augmentum gratiæ, gloriæ, & lætitiæ internæ, qui omnes fructus facile dilatari possunt, si inspiciantur tit. Gratia tit. Beatitudo: tit. Pax, & Conscientia.

V. *Ego sum vitis, vos palmites.* Joan. 15. Ex occasione hujus textus excitentur Auditores ad spem in Christo ponendam ob tria incitamenta spei a S. Bernardo serm. 3. de septem panibus assignata; dum dixit: Tria Considero, in quibus spes mea tota consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis; de qua vide tit. 133. §. 12. numer. 6. uti & reliqua pro probatione.

VI. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis:* Joan. 15. Potest ostendi, quomodo semper obtinere possint, quod volunt, si scilicet maneant in Christo. Unde in prima parte demonstrari potest, quid sit manere in Christo, nempe unum cum illo velle, & nolle: id quod tam per prosperos, quam adversos casus probari potest. In secunda parte

te ostendatur, quomodo talis, omnia, quæ petit, obtineat, quia nihil aliud petit, quam quod placet Deo dare, hoc autem semper obtinere possit juxta illud.
Vide tit. 118.

VII. Ex occasione thematis: *Manete in me, & ego in vobis*, Joan. 15. ostendi potest, quomodo S. Georgius manserit in Christo, ut qui tot, tantaque tormenta pro eodem sustinuerit, ut jure merito dicere potuerit cum S. Paulo: Quis me separabit a charitate Christi? Excitentur proin Auditores ad Christianam hanc fortitudinem pro viribus imitandam. Quem in finem vide tit. Fortitudo, & Patientia.

VIII. Ex occasione thematis: *Ego sum vitis, vos palmites*: ostendi potest, quam pretiosa vitis sit Christus, id quod ex vino ab hac vite producto probari potest, nimirum ex sanguine pretioso, per quem Angeli, & homines lætificantur, confortantur, inebriantur: qui tres effectus fusius explicari possunt, simulque Auditores invitari ad hoc vinum bibendum per illa verba: Venite, inebriamini, charissimi, bibite vinum quod misceo vobis. Vide Fabrum in hoc Festo conc. 1. n. 2. lit. O.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod, cum homines sint palmites hujus vitis, eosdem suo tempore circumcidi per mortificationem oporteat; demonstretur propterea modus hanc circumcisionem seu mortificationem instituendi; de quo vide tit. Mortificatio, §. 11. n. 4. & alibi.

X. Ex themate: *Sine me nihil potestis facere*: dicatur, S. Georgium plerumque ut equitem cum dracone pugnantem, & per hoc S. Margaritam liberantem, pingi, ut indicetur nobis, quomodo ad illius exemplum contra draconem ferocissimum, scilicet peccatum pro anima nostra liberanda, cum lancea generosæ fortitudinis pugnare debeamus; unde in prima parte fiat comparatio peccati cum dracone: In secunda parte ostendatur dignitas, & pulchritudo animæ, quæ merito excitare debet, ut libenter pro ea pugnemus: In tertia parte ostendatur, quam convenienter lancea cum fortitudine comparetur, & quomodo usurpanda sit. Pro quibus dilatandis vide tit. Peccatum, Anima; ac Fortitudo.

XI. Ex occasione thematis: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*: ostendi potest, quod, sicut Pater dilexit Filium suum deputando ad mortem corporalem; ita diligat Christus suos deputando ad mortem, & martyrium spirituale, per patientiam, & mortificationem explicetur propterea, quam vere dicantur hæ duæ virtutes martyrium spirituale, & quomodo fructus, & privilegia martyrum, scilicet consolationes, liberationem a purgatorio, laureolam martyrum, participet. De quibus vide Fabrum in hoc Festo conc. 5. o. 2. & 6. ac 7. Item tit. Mortificatio.

XII. Ex occasione thematis: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*: ostendi possunt fructus, quos percipiunt ii, qui per charitatem in Christo manent: quorum primum est meritum cælestis præmii: secundus satisfactio pro peccatis, & liberatio a purgatorio: tertius impetratio variarum gratiarum, & donorum cælestium: quartus ædificatio, & salus proximi; de quibus vide Fabrum conc. 7. n. 3.

XIII. Ex occasione thematis: *Si quis non manserit in me, mittetur foras*: ostendi possunt mali fructus peccati mortalis, quod scilicet 1. Mittatur foras, seu separetur a Deo, sicut palmes a vite. 2. Arescat, seu nullum fructum bonorum operum ferat. 3. Colligatur a dæmonibus, quorum potestati traditur. 4. In ignem inferni mittatur. 5. Ardeat in eodem igne. Qui omnes fructus fusius explicati videri possunt apud Fabrum conc. 3. tota. Vide etiam tit. Peccatum mortale, & Infernus.

PRO FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

I. EGo sum via, veritas, & vita. Joan. 14. Sumatur exordium a consuetudine arbores majales erigendi, & dicat Concionator, se duas arbores in Auditorum memoria erecturum, scilicet SS. Apostolos Philippum, & Jacobum, utpote qui sicut arbores majales erant *decorticati*, & liberati ab omni affectu mundano: alti propter perfectionem, & dignitatem Apostolicam, de qua S. David Ps. 72. dixit: Nimis honorati, &c. & in suprema parte *virentes* zelo Apostolico alienæ salutis augendæ; hi ergo statuendi cum epigraphæ: Aspice, & fac secundum exemplar præcipue in Christo sequendo, & vocatione implenda. Unde 1. ostendatur, quid sit sequi Christum, scilicet abnegare seipsum, & tollere crucem suam, abstinere, & pati; unde antiqui etiam Philosophi sapientiam in duobus verbis: Abstine, & sustine ponebant; hinc, teste S. Augustino, dæmon duplicem contra nos aciem educit, blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat. Nec propterea exigitur, ut omnes statum suum deserant, & divitias, ac uxores relinquant, sed tantum ut sequantur doctrinam, & consilium Apostoli 1. Corint. 7. Reliquum est, ut, & qui habent, &c. atque adeo unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 2. Ostendatur, quomodo sequi debeant, nempe 1. *vere*, id quod pauci faciunt, teste Thoma Kemp. lib. 2. cap. 11. Multi Jesum sequuntur, &c. aliter Apostoli, qui in adversis æque, ac prosperis adhærerunt Christo, ut patet, explicando martyrium eorum. Ita ergo & nos; nam ut recte S. Augustinus in Psal. 36. ait: Nemo &c. vide tit. 22. §. 3. num. 2. & 3. hinc aliqui discrimen inter veros, & falsos Christianos esse ajunt, quod est inter cereos veros ex aromatibus, & inter falsos ex pulvere factos, quorum hi igni applicati ignes evomunt, illi bonum odorem exhalant, & splendorem gratum emittunt. 2. Sequi debent *celeriter*, ut Apostoli, qui statim, omnibus relictis, secuti sunt eum; si enim Principes non ferunt tarde exequentes mandata, quanto minus Christus; Hic certe, si ullibi, locum habet illud Sancti Ambrosii: Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia; & illud Thren. 3. Bonum est adolescenti &c. & cuivis homini; bonum ad augendum meritum,

tum, & promovendum profectum, & ad facilitandum obsequium; quod experta virgo, quæ Christo relicto ad portam vocata se contulit; de qua vide tit. tom. 3. §. 5. num. 32. & §. 1. num. 11. 3. *constanter* sequi debent, ut patet ex majali arbore, in qua præmium propositum non acquirit, nisi qui apicem attingit. Vide plura de hoc tit. Perseverantia; & ostende, quomodo Apostoli usque ad mortem secuti sint, ita ut ipse Christus Luc. 22. dixerit: Vos estis, qui permansistis &c. Excitentur ergo Auditores, ut has arbores majales frequenter aspiciant, & se animent illis Thomæ Kemp. verbis lib. 3. de imit. cap. 56. Domine Jesu &c. Vere vita boni Monachi &c. & Christiani &c. Eja fratres &c. ut audiamus & nos. Vos estis &c. & Olim etiam: Venite benedicti &c.

II. *Non turbetur cor vestrum.* Joann. 14. Ostendi potest, quomodo turbari non debeant in variis occasionibus, sed sicut Sol, licet foris obnubilatus, intus serenus manet; ita & ipsi in tribulationibus se habeant. Declaretur ergo quod 1. turbari non debeant ob judicia Dei tam mirabiliter omnia disponentis, sed cogitent sibi a Deo dici illud Christi Joan. 13. Quod ego facio, nescis modo, scies autem postea in die judicii. 2. Ob judicia hominum: quibus satisfacere impossibile, ut patet in Deo, S. Paulo, & aliis. 3. Ob alienos defectus. 4. Ob tentationes Diaboli: sed potius juxta monitum S. Jacobi cap. 1. Omne gaudium existiment &c. 5. Ob tribulationes occurrentes: cum omnia fiant ad triplicem finem. Vide tit. Tentatio, & tit. Crux.

III. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Joan. 14. Ostendi potest, quod, licet hæc doctrina videatur contraria Parabolæ de patrefamilias æqualem mercedem operariis offerente, revera tamen contraria non sit, cum illa de substantiali tantum beatitudine, & sententia hæc de accidentali loquatur, in qua diversos fore homines patet ex testimonio S. Pauli 1. Cor. 15. Alia claritas Solis &c. unde, quia cum Discipulis Christi quærent utique Auditores: Quis putas major est in regno cælorum? dicat Concionator, se in hac concione ostensurum, 1. Itaque pronuntiet, majores fore *humiles*; uti Christus Matt. 18. ostendit; de quo vide tit. Humilitas. 2. *tribulatos:* Sicut socii passionum &c. 2. Cor. 1. de quo vide tit. Crux. 3. *fideliores* in talento impendendo, uti probat parabola de diversis talentis Matt. 25. nempe, Spectaculum facti sumus. 1. Cor. 4. non refert, quam personam habeamus, sed quam bene; unde S. Macarius, qui per plurimos annos in eremo cum summo rigore vixerat, cum scire cuperet, cui in meritis similis esset, jussus est Alexandriæ duas mulieres conjugatas quærere, quibus similis esset &c. Animentur ergo Auditores, ut unusquisque in statu suo permaneat, & illud Eccl. 11. Confide in Deo, & mane in loco tuo &c. ob oculos habeat, & personam suam bene agere studeat, ut audiat illud Christi Matth. 25. Euge serve bone &c.

IV. *Non turbetur cor vestrum.* Joan. 14. Ex occasione textus hujus utiliter ageretur de scrupulis, quibus plurimi homines subjecti sunt. Et 1. quidem ostendi potest, quid sit scrupulus, & quæ illius indicia. 2. Quam noxii sint tales scrupuli; utpote qui impediunt gloriam Dei, meritum proprium, pacem, & lætitiam animi. 3. Quibus mediis curandi, nempe oratione, contemptu, obedientia; de qua materia vide Instructionem meam quintam, fol. 188.

V. *Non turbetur cor vestrum:* Joan. 14. Pari utilitate possunt aliqui scrupuli in specie, a quibus plurimi homines multum vexantur, proponi. 1. Itaque proponantur scrupuli in confessione occurrere soliti; de quibus vide cit. Instruct. 5. fol. 192. q. 8. & 9. 2. Scrupuli ex tentationibus orti; de quibus vide loc. cit. q. 10. 3. Scrupuli ob orationem occurrentes; de quibus vide loc. cit. fol. 199. q. 10.

VI. *Ego sum Via, Veritas, & Vita,* Jo. 14. Proponi possunt motiva ad Christum sequendum per imitationem, & modus imitandi, nempe 1. Quia via est, id est, qua verbis, qua exemplis docuit nos ad cælum, id quod ostendendum. 2. Quia veritas est, & fallere non potest. 3. Quia vita est juxta illud Jo. 17. Hæc est autem vita æterna &c. unde merito Thomas Kemp. lib. 3. cap. 56. ait: Sequere me &c. In secunda parte ostendatur, in quo præcipue imitandus sit, nempe ut quisque humiliet se ipsum, factus obediens, usque ad mortem crucis; de quibus vide tit. Christus, & tit. Humilitas, & Obedientia.

VII. Ex occasione thematis: *Non turbetur cor vestrum:* Joan. 14. ostendatur, quod, ut sapienter Epictetus advertit Ench. c. 10. Homines non perturbantur rebus, sed quas de rebus habent, opinionibus; unde potissimum medium tollendi turbationem est phantasiæ correctio; quomodo autem hæc corrigi debeat, idem Epictetus c. 38. sic ostendit: Religionis erga deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de iis habere opiniones, ut sentias, & esse eos, & bene, justeque administrare universa; parendum eis esse, & omnibus, quæ fiunt, acquiescendum; & sequenda ultro, ut quæ a mente præstantissima regantur; sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab iis negligi te quereris. Juvabit ad hunc conceptum dilatandum similitudo imaginis, quæ a dextris Christum, a sinistris diabolum repræsentat, & secundum diversum aspectum diversos affectus cit. Vide tit. Patientia.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, homines frequenter turbari ob judicia Dei tam varia; unde narretur ipsis historia de Eremita, cui Deus per Angelum judiciorum suorum æquitatem revelavit, ut in Speculo Exemplorum narratur V. Judicium Dei, & quæ Angelus Eremitæ ibidem dixit, sententiis Doctorum, & aliis historiis confirmentur.

IX. Ex eodem themate demonstretur, quod propter tribulationes etiam, & persecutiones turbari non debeant, si triplicem finem, propter quem a Deo immittuntur, bene considerent, scilicet filialem castigationem, probationem, & amoris demonstrationem, pro qua doctrina fusius deducenda vide tit. Patientia.

X. Ex occaſione thematis : *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* : oſtendi poteſt, quemvis in ſtatu ſuo perfectum fieri poſſe, id quod triplici ex capite oſtendi poteſt. 1. Quia Chriſtus omnes ad perfectionem invitavit dicens : Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. 2. Ex natura perfectionis, quæ in charitate conſiſtit, quam ſimplex anus tam bene exercere poteſt, ac doctiſſimus quiſque, ut olim S. Bonaventura Fratri Ægidio dixit. 3. Ex revelationibus variis, quibus revelavit Deus, aliquos ſæculares in meritis Sancto Macario, Sancto Paphnutio ſimiles fuiſſe. Excitentur proin Auditores, ut illud Siracidis ſibi dictum putent : Confide, & mane in loco tuo, quia facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem.

XI. Ex occaſione thematis : *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis* : oſtendatur, cor humanum per nullam rem creatam ſatiari poſſe, uti ex exemplo Salomonis patet, qui non prohibuit cor ſuum, quin omni voluptate frueretur, & tamen in iis non niſi vanitatem, & afflictionem animi reperierit. Dein oſtendatur, ſolum Deum ſatiare cor humanum poſſe ; capacem namque Dei, quidquid Deo minus eſt replere non poteſt. Hinc cor triangulare ſingillatim factum eſt, ut innueretur, illud non per rotundum mundi globum, ſed per ſolam Trinitatem, ſatiari poſſe. Vide Fabrum conc. 6. n. 9. & conc. 7. lit. c. n. 3. Item tit. Gaudium.

XII. Ex occaſione thematis : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* : oſtendatur, cur Deus toties non exaudiat preces, nimirum. 1. Quia male petunt homines, ut in concupiſcentiis ſuis ioſumant. 2. Quia opponunt nubem peccati. 3. Quia Deus differt dona, ut magis grata efficiat. Vide tit. Oratio. §. 11. o. 6. & 10.

PRO FESTO ASCENSIONIS CHRISTI.

I. *Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet a dextris Dei*. Marc. 16. Ex occaſione hujus textus explicari poteſt Cæremonia Eccleſiæ, qua in feſto Aſcenſionis effigiem, ſeu ſtatuam Chriſti in altum attrahi curat. Dicatur ergo 1. Statuam per funem attrahi, ut indicetur charitas Dei erga nos promittentis per Oſeam c. 11. In funiculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis : Unde Chriſtus Luc. 10. Quærenti, quid facere debeat ad æternam vitam poſſidendam, reſpondit : Diliges &c. Oſtendatur ergo, quam ſuave ſit, & efficax hoc medium ; quid enim dulcius, & naturale magis quam amare, præſertim infinitum bonum &c. 2. dicatur, Statuam illam rubro veſtimento eſſe veſtitam, & vulnerum cicatricibus conſpicuam, ut inſinuetur, quod Chriſtus Diſcipulis in Emmaus euntibus dixit Luc. 24. Nonne oportuit, &c. nimirum conſtituta lex eſt ; Quoniam per multas tribulationes, &c. Actor. 14. Hæc via eſt, per quam caput intravit in cælum ; per eamdem ergo & membra intrare debent. Hinc Thomas Kemp. lib. 2. cap. 1. Suſtine cum Chriſto, & pro Chriſto, ſi vis regnare cum Chriſto. Dicat ergo quiſque cum eodem Authore lib. 3. c. 56. Domine Jeſu, ſicut dixiſti, &c. 3. Statua vexillum in manibus habet, ut indicetur, neminem coronatum iri, niſi qui legitime certaverit, 2. ad Tim. 2. hinc Apoc. 3. dicitur : Qui vicerit, dabo ei ſedere, &c. Hoſtis autem, quem vincere debemus, ſumus nos ipſi. Non enim eſt pejor animæ hoſtis, &c. Hinc Thom. Kemp. loc. cit. cap. 3. ait, Hoc deberet &c. 4. Angeli utrinque ſtipant ſtatuam, ut iodicetur, per eos animas noſtras in cælum introducendas eſſe, juxta illud Exod. 23. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. ſic Lazarus portatus, Luc. 16. ſic Chriſtus Luc. 15. dicit : Dico vobis, quod ita gaudium erit, &c. unde audiendum monitum in cit. loc. Exod. Obſerva eum, & audi vocem ejus, &c. 5. Per foramen anguſtum ſtatua attrahitur, ut indicetur, quod Chriſtus Matth. 7. dixit : Intrate per anguſtam portam &c. unde divitiarum ſarcina abjicienda, affectu ſaltem, ſi effectu non licet ; nam dives difficulter intrabit, &c. ut Matth. 10. dicitur. 6. Hoſtiæ dejiciuntur, ut indicetur, quod Eccleſia hodie canit : Aſcendens Chriſtus, &c. dedit dona hominibus. Eph. cap. 4. unde credendum, quod hodie Chriſtus dicat : Uſque modo non petiſtis, &c. Jo. 16. quid autem petendum ſit, Eliſæus exemplo ſuo docuit, petens ab Elia in altum evecto : Obſecro, fiat in me Spiritus duplex tuus. 4. Reg. 2. nempe ut declinemus a malo, & faciamus bonum. Sic enim David ſuaſit Pſalm. 36. Quis eſt homo, qui vult vitam, &c. Excitentur ergo Auditores, ut cæremoniam hanc ita aſpiciant, ut indicatum fructum quoque referant, ſicque cum Chriſto vivant in terris, ut cum eodem etiam ad cælos aſcendere mereantur. Vide pro hac materia tit. Charitas, & tit. Crux.

II. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marc. 16. Dici poteſt, Chriſtum feciſſe, quod Duces belli recuperata famoſa civitate ſolent : mittendo in omnia loca, qui nuncient bona nova de redacta in poteſtatem civitate. Feciſſe autem hoc non tantum ut gaudeamus, ſed etiam ipſi expugnare conemur, nam regnum cælorum vim patitur. Matth. 11. Dicat ergo Concionator, ſe oſtenſurum, quomodo expugnari debeat, nempe 1. per cuniculos humilitatis ; ſic enim Chriſtus humiliavit ſemetipſum, &c. hinc S. Paulus Epheſ. 4. Quod autem aſcendit, &c. Vide tit. Humilitas. 2. Muros concutiendo globis orationis, ſic Chriſtus integras noctes conſumpſit in oratione, ubi Roſarii globuli commendandi, vide tit. Oratio. 3. Scalas admovendo mandatorum Dei. Sic Chriſtus : Deſcendi, &c. Jo. 6. Hinc quærenti, quid facere deberent pro vita æterna obtinenda, reſpondit : Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, Matth. 19. hinc pulchre Euſebius Emyſſenus : Si unuſquiſque noſtrum ſubdere eas ſibi ſtudeat, & eminentia dominantis animi ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtruit, quo ad ſuperiora conſcendat. Sublimabunt nos, ſi fuerint infra nos : de noſtris nobis vitiis ſcalam facimus, ſi vitia ipſa calcamus. De hac ſca-

scala Deus Apoc. 3. dicit: Qui vicerit (vitia) dabo ei sedere, &c. Hanc Jacob Gen. 28. vidit: hanc ergo applicemus, dicendo cum Psalmista Ps. 118. Juravi, & statui, &c. 4. Portas confringendo, seu vim sibi faciendo, & multa patiendo. Sic Christus: Nonne oportuit, &c. Luc. 22. hinc Thomas Kemp. l. c. 25. Unum est &c. 5. Ignem injiciendo, id est, charitatem copiose ostendendo: Sic enim Christus: Majorem nemo habet, &c. Jo. 15. hinc Luc. 12. Ignem veni mittere, &c. & S. Joannes 1. c. 3. Filioli, non diligamus, &c. Excitentur ergo ad oppugnandam hanc civitatem, ut cum Christo ibidem æternum vivere, & gaudere valeant.

NB. Si omnes hos modos cælum expugnandi accipere non placet, unus ex illis eligatur, & quomodo a Christo adhibitus sit, & a nobis quoque usurpari debeat, ostendatur.

III. *Assumptus est in cælum.* Marc. 16. Potest narrari historia de Elia in altum rapto in curru igneo, 4. Reg. 2. & dici, quod simili modo Christus per currum igneum charitatis erga Deum, & proximum in cælos assumptus sit, quodque nos videntes eum oculo fidei taliter assumptum, debeamus clamare cum Eliseo l. 4. c. 2. Obsecro, ut fiat in me Spiritus duplex tuus, eadem scilicet duplex charitas, cujus proin necessitas, utilitas, & præstantia demonstranda. Vide tit. Charitas, & dilectio Proximi.

IV. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. 16. Dici potest, non immerito aliquos quærere, cur Christus fidem tantopere ante Ascensionem commendarit; & responderi communiter, id propterea factum, ut ostenderet, ex vivæ fidei defectu potissimum impedimentum ascensionis in cælum oriri, uti etiam S. Theresia agnovit, dicere solita, omnes imperfectiones nostras ex defectu fidei oriri; id quod enarratione impedimentorum se probaturum dicat Concionator. Et primum quidem impedimentum ac principale est peccatum mortale; unde autem hoc oritur, nisi quia vivaciter non credimus, Deum in omni loco præsentem esse. Vide tit. Præsentia Dei. Secundum est impatientia in adversis; unde autem hoc oritur, nisi quia firmiter non credimus, non esse malum in urbe, quod non fecit Dominus. Vide tit. Resignatio, & tit. Voluntas. Tertium est, quia res creatas inordinate nimis amamus; unde vero hoc oritur, nisi quia firmiter non creditur Christi dictum Luc. 18. Nemo bonus, nisi solus Deus, tamquam fons boni. Vide tit. Deus. Quartum est, quia proximum non diligimus, ut oportet; unde autem hoc oritur, nisi quia non credimus firmiter illud Christi dictum Matth. 25. Quamdiu fecistis, &c. Unde excitandi Auditores, ut has præcipue quatuor veritates firmissime credant, & in mente habeant, nec dubitent, quin salvi sint futuri.

V. *Assumptus est in cælum.* Marc. 16. Narrari potest historia Ascensionis, & inter alia dici, videri adhuc bina vestigia Christi impressa loco, unde ascendit, eaque, vestigia omni sexui, & ætati quadrare. Dicatur ergo, hæc vestigia nihil aliud esse, quam *abstine*, & *sustine*, eaque omni ætati, & sexui convenire. Ostendatur ergo quomodo hæc vestigia imitanda. Vide tit. Abstinentia, & tit. Patientia.

VI. *Assumptus est in cælum.* Marc. 16. Demonstrari potest magnitudo gloriæ Christi ex tribus præcipue fontibus orta, scilicet obedientia, humilitate, patientia, juxta illud Phil. 2. Ostendatur proin, quomodo Auditores in his Christum imitari, & majorem sibi gloriam procurare debeant.

PRO FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

I. *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit Filium.* Luc. 1. Ostendi potest, qualem Filium peperit, dicique, quod tota laus S. Joannis in compendio proposita fuerit a S. Angelo Gabriele, dum Luc. 1. de eo dixit: Erit enim magnus coram Domino. Ostendatur ergo, quid sit magnum esse coram Domino, nempe multum ipsum diligere, & multum ab eo diligi; nam quantitas cujusque animæ æstimatur ex mensura charitatis, quam habet, teste S. Bernardo serm. 27. in Cant. unde ostendatur, quomodo S. Joannes dilexerit, Deum, id quod per duos actus charitatis, qui pulsus animæ vocantur, abstinentiam scilicet ab omni inordinato amore rerum creatarum, & sustinentiam adversitatum probari potest. Vide tit. Charitas, & tit. Patientia.

II. *Audierunt vicini & cognati ejus, quia Dominus magnificavit misericordiam suam cum illa; & congratulabantur ei.* Luc. 1. Dici potest, hodie impletum esse, quod Angelus Gabriel Zachariæ Patri prædixerat: In nativitate ejus multi gaudebunt, Luc. 1. Ostendatur in prima parte, quomodo Deus, Angeli, Parentes, cognati, vicini, defuncti Patres in Limbo gavisi sint in ejus Nativitate. In secunda vero parte ostendatur, quomodo & nos simile gaudium per nativitatem spiritualem seu veram conversionem ad Deum creare possimus Deo & Angelis (ut patet in redeunte Filio Prodigo) Christo (ut patet in parabola inventæ ovis) B. Virgini & Sanctis domesticis, defunctis, nobis ipsis ante, in, & post mortem.

III. *Joannes est nomen ejus.* Luc. 1. Ostendatur, quam bene olim dixerit Poeta: Conveniunt rebus nomina sæpe suis; idque in S. Joanne maxime apparere, cujus nomen idem significat ac gratia, quæ nihil aliud est, quam amicitia cum Deo. Ostendatur proin, quam sincerus & dilectus amicus Dei fuerit S. Joannes, idque probetur ex continua familiaritate cum Deo, dein quia omnia habeat communia, & tandem quod animam suam pro amico posuerit. In secunda parte ostendatur, quod de hac amicitia vere dicere potuerit: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: Cant. 8. nam summus illi honor & lætitia inde parta est. Excitentur proin Auditores, ut ipsi hanc amicitiam quærere, aut conservare, & augere studeant. Vide tit. Amicitia & Gratia.

IV. *Quis putas puer iste erit?* Luc. 1. Dicat Concionator, se non dubitare, quin plerique

que Auditorum habentium liberos cupiant de illis scire, quales olim futuri sint; id proin se illis prædicturum, nempe tales, quales in pueritia fuerint, juxta notum illud: Quo semel est imbuta &c. & Salomonis effatum: Adolescens juxta viam &c. & exemplum S. Joannis, cujus vita puerilis cum virili comparetur, & quam similis fuerit, ostendatur. Dein excitentur Auditores, ut diligenter in pueritia instruant, aut instrui curent suos liberos in pietate, & timore, in bonis moribus, in proficuis artibus. Vide tit. Pietas, & Timor.

V. *Etenim manus Domini erat cum illo:* Luc. 1. Dici potest, eximiam quidem esse vitam, & opera S. Joannis Bapt. sed hoc mirum videri non debere, cum manus Domini fuerit cum illo, cui manui nihil impossibile est. Ostendatur ergo, quomodo fuerit cum illo in vita tam aspera continuanda: in excitandis hominibus ad pœnitentiam, in morte pro Christo. In secunda postea parte ostendatur, quomodo, & ipsi possint obtinere, ut manus Domini sit cum illis, si scilicet cum Davide fiant viri secundum cor Dei, & faciant omnes voluntates ejus: tunc enim implebitur promissum Dei: Oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, &c. in obtinendis bonis temporalibus, in administrandis officiis: in tribulationibus perferendis. Vide tit. Fortitudo.

VI. *Nequaquam, sed vocabitur Joannes:* Luc. 1. Dici potest, non frustra hoc nomen ei a Deo datum esse, sed propter officium Præcursoris, quod suscepturus erat: ad hoc enim, vel maxime conducebat, ut esset sanctus, & gratus Deo, ac non tam verbis, quam exemplis prædicaret, & prædiceret Christum, & pœnitentiam. Ostendatur ergo, quomodo S. Joannes exemplo confirmaverit ea, quæ prædicavit, maxime pœnitentiam, & patientiam, & quomodo ipsi etiam Auditores exemplo magis, quam verbis, suos instruere, & erudire debeant.

VII. Ex occasione thematis: *Multi in nativitate ejus gaudebunt*, Luc. cap. 1. ostendendum, quomodo, & nos spiritualem nativitatem, quæ consistit in firmo proposito declinandi a malo, & faciendo bonum, procurare debeamus. Dein ostendatur, quale gaudium viventes, & defuncti, præcipue vero ipse ante, in, & post mortem habiturus sit. Vide Fabrum conc. 1. in hoc Festo. Item tit. Gaudium.

VIII. Ex occasione thematis: *Joannes est nomen ejus*, ostendi potest, quomodo S. Joannes id, quod nomen ejus significavit, impleverit, & quomodo, & nos nomen in Baptismo acceptum implere debeamus, præcipue nomen Christiani. Vide tit. Christianus, & Fabrum conc. 6. n. 5.

IX. Ex occasione thematis: *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium:* ostendi potest, quomodo non tantum concipere bona proposita, sed etiam parere debeamus; ad quem finem possunt offerri adjumenta ad bene patiendum nempe gratia Dei invocata, patrocinium Sanctorum, præcipue Beatæ Virginis, obstetrix bona, seu auxilium Patrum spiritualium. Pariter possunt impedimenta felicis partus indicari, nempe appetitus noxiorum, nimius labor, & motus, nullum conatum adhibere velle. Ostendatur proin, quomodo hæc adjumenta usurpanda, & impedimenta removenda sint.

X. Ex occasione thematis? *Benedictus Dominus Deus Israel:* ostendi potest, quomodo pro beneficiis acceptis statim gratias agere debeamus, & quem fructum ex tali gratitudine sperare possimus. De quibus vide nos suo loco, uti, & Fabrum conc. 6. n. 7.

XI. Ex occasione thematis: *Quis putas puer iste erit?* potest ostendi, quam vere Præcursoris nomen, & officium impleverit S. Joannes Baptista. 1. Quia præcurrit efficaciter pro nobis intercedendo; non enim surrexit major, ergo nec gratior ipso. 2. Præcurrit protegendo; præcipue contra vitia, prædicando, & exhibendo pœnitentiam. 3. Præcurrit vitæ exemplo, præcipue innocentia, insigni contemptu mundi, humilitate, patientia, zelosa charitate, ad quas proin virtutes imitandas excitandi erunt Auditores.

XII. Ex occasione thematis ejusdem dici poterit, hanc quæstionem jam solvisse ipsum Christum, dum dixit: Non surrexit major Joanne Baptista: sed quia multi dubitabunt, unde provenerit hæc majoritas, ideo hoc explicatum iri. Dicendum itaque, eam ex generosa sui victoria provenisse juxta axioma: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris; unde ostendatur, 1. Quomodo sibi vim intulerit in victu, & vestitu moderando, 2. In asperitate vitæ, 3. In tolerando martyrio, aliisque adversitatibus. Deinde declaretur, quomodo per hanc victoriam profecerit in gratia, meritis, virtutibus, gloria.

PRO FESTO SS. PETRI ET PAULI.

I. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* Matth. 19. Dici potest, quod, sicut Carolus Imperator olim duas columnas in mari posuit, iisque inscribi curavit: Non plus ultra: sic Deus SS. Apostolis velut duas columnas Ecclesiæ, & fidei Catholicæ posuerit, iisque pariter inscripserit: Non plus ultra; credendum scilicet, quam illi verbo, & exemplo docuerint. Ostendatur ergo, quomodo fidem Catholicam non verbo dumtaxat, sed etiam opere docuerint, quamque firmiter illam defenderint, sicque vere immobiles columnæ extiterint, & quomodo Auditores quoque eosdem in hac firmitate imitari debeant. Vide tit. Fides.

II. *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Matth. 16. Potest ostendi necessitas confessionis fidei, simulque modus faciendæ professionis demonstrari, quod scilicet corde, ore, & opere sit facienda, exemplo SS. Petri, & Pauli: & quo cum fructu talis confessio sit facienda, quod scilicet verificandum sit illud Christi promissum. Qui confitebitur me, &c. Vide tit. Fides.

III. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædi-*

ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. Potest dici olim constantiam esse repræsentatam per petram in mari sitam cum hac inscriptione: Nec flumine, nec flamine, nec fulmine: (lædor, aut dimoveor) ostendatur proin talem petram fuisse Sanctum Petrum, & probetur, quod nec a flumine, seu fluxis voluptatibus, nec a flamine, seu ablatione bonorum, nec a fulmine minarum, quibus cruciatus, & mortem Tyrannus minabatur, dimoveri se a veræ fidei confessione sit passus; quomodo proin ipsum Auditores in hoc imitari debeant.

IV. *Tibi dabo claves regni cælorum*. Matth. 16. Dici potest, hæc verba præ aliis esse observanda, utpote quæ fundamentum contineant nostræ fidei; nam ex Judicis defectu necessario multas hæreses fuisse exortas, unde demonstrandum, quod hæretici non habeant verum Judicem: habeant autem Catholici, ut qui continuam successionem Judicum a Sancto Petro usque ad modernum Pontificem probare possint.

V. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Matth. 16. Ostendi potest, quomodo nos ad hanc quæstionem respondere debeamus, & dicere ad Christum 1. Tu meus es *principalis Spectator*, utpote qui solus intime cognoscis actiones meas, & de iis ferre judicium potes, & cui placere plus est, quam si omnibus hominibus simul sumptis placerem. 2. Tu meus es *Adjutor maximus*; quia tu scis, potes, & vis juvare. 3. Tu meus es *Magister optimus*, qui artem utilissimam dignissimam, & jucundissimam amandi Deum doces verbo, & exemplo, & adjutorio. 4. Tu meus es *Consolator maximus*, quia consolationes veras, solidas (id est, animum sanantes) & constantes communicas. 5. Tu meus es *Præmiator maximus*; quia mercedem summam præsentem, æternam offers, quæ omnia facile ex iis, quæ tit. Christus dicta sunt, probari possunt.

VI. *Tibi dabo claves regni cælorum*. Matth. 16. Dici potest, merito magnum beneficium collatum censeri S. Petro, dum ei claves regni cælestis collatæ sunt; non minus tamen nobis etiam collatum censeri posse, dum clavem pœnitentiæ nobis concedere paratus est, si eam acceptare velimus. Ostendatur ergo, eam esse optimum medium cælos aperiendi. Deinde pariter demonstretur, quomodo SS. Apostoli Petrus, & Paulus eamdem egerint, & exemplo præiverint, & quomodo adeo nos quoque illos imitari debeamus. Vide tit. Pœnitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Matth. 18. potest ostendi quam firma sit petra ipsa Ecclesia, utpote tot procellis Ethnicorum, Judæorum, & Hæreticorum concussa; unde excitandi erunt Auditores, ut super hanc petram ædificent fidem, & vitam suam, certoque sibi persuadeant, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

VIII. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quomodo S. Petrus & S. Paulus Ecclesiam fundarint indefesso labore prædicationis, vitæ & morum sanctitate, virtute miraculorum, martyrio & sanguine suo. Unde more Societatis Jesu eisdem tamquam fundatoribus candela ardens, id est, ob vitæ innocentiam candida, ob virtutum colores varios depicta, & per fervorem vitæ, & boni exempli accensa offerenda est. Vide Fabrum in Silva nova, seu Auctario.

IX. Ex occasione thematis: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: ostendi possunt motiva credibilitatis, præcipue ex miraculis petita, simulque Auditores excitari, ut, sicut hanc unam esse veram fidem agnoscunt, ita debitas pro ea communicata gratias persolvant, eandemque bonis operibus confirment, & condecorent. Vide tit. Fides, §. 11. n. 5. & alibi.

X. Ex occasione thematis: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: ostendendum, quam merito dixerit S. Theresia, omnes errores, & peccata ex defectu fidei vivæ oriri, atque adeo primo ostendatur, quid sit viva fides, scilicet ea, qua certi quidam articuli fidei in recenti semper memoria habeantur, quales sunt, Deum ubique præsentem esse; omnia in bonum nostrum ordinare; tanquam fontem omne bonum continere; quæ proximo fiunt, sibi facta reputare. Deinde ostendatur, quod is, qui talem confessionem facit; sit petra, seu immobilis in adversis, & tentationibus futurus. Vide tit. Fides, & Tentatio.

XI. Ex occasione thematis: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* ostendendum est, cur & quousque homines curam boni nominis habere debeant, nimirum 1. Quia Deus exigit dicens per Siracidem cap. 41. Curam habe de bono nomine. 2. Quia proximus exigit; nam, teste D. Augustino, duæ res sunt necessariæ, conscientia tibi, fama proximo. 3. Quia proprium tuum bonum exigit, quia bona fama nihil est præstantius; hinc natum proverbium: Omnia si perdas, famam servare memento, quia, ut idem Siracides dixit, hæc magis proderit, quam mille thesauri. Dein ostendatur, quomodo conservari possit; scilicet rara conversatione, cauta collocutione, & bona operatione, de quibus vide tit. Fama §. 3. & Fabrum conc. 6.

XIII. Ex occasione thematis: *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, aut unum ex Prophetis*: ostendatur, quam varia sint humana judicia, atque adeo non curanda. Interdum tamen prudentes, pios, & zelosos viros interrogandos: Vos autem quem me esse dicitis? ut corrigi queant, his corrigenda videntur. Vide tit. Judicia temeraria. Item Fabrum conc. 8. n. 2. & 3.

PRO FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

I. Exurgens *Maria abiit cum festinatione*. Luc. 1. Potest dilectio B. V. erga proximum demonstrari ex tribus præcipue actibus. 1. Quod *prompte* eam exercuerit exurgens cum festinatione. 2. Quod *efficaciter* eam exercuerit, tum verbis, suaviter Elisabetham salutando & alloquendo, tum operibus, per tres menses ei inserviendo. 3. Quod *constanter* illam exercuerit, nec difficultates itineris, nec mo-

molestias obsequiorum præstitorum horrendo. Dein ostendatur, quomodo Auditores quoque eandem imitari possint & debeant. Vide tit. Dilectio Proximi, & Hyperdulia Mariana.

II. *Intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth*, Luc. 1. Declarari potest, quos fructus afferat Visitatio Deiparæ ante, in, & post mortem; de quo vide tit. 7. Hyperdulia Mariana, §. 10. n. 27.

III. *Exultavit infans in utero meo*. Luc. 1. Ostendi potest, quod magni quidem, & multiplices fuerint fructus salutationis activæ, qua B. V. S. Elisabeth salutavit; non minores tamen, nec pauciores sint salutationis passivæ, qua a nobis per salutationem Angelicam salutatur. Unde commenda istam salutationem 1. ab Authoribus. 2. a brevitate. 3. ab efficacia, quam habet ad impetrandas varias gratias: ad repellendos hostes: ad felicem horam mortis obtinendam; pro quibus omnibus probandis vide tit. 70. §. 4. a n. 74. & §. 12. a n. 43.

IV. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus*. Luc. 1. Ostendi potest, quomodo B. Virgo, Sancta Elisabeth ad partum felicem obtinendum juvit, ita nunc quoque ad triplicem partum felicem, corporis, animæ, animalium, agrorum, hortorum, &c. de quo vide tit. Hyperdulia Mariana, §. 10. n. 28.

V. *Intravit in domum Zachariæ*. Luc. 1. Dici potest, quod S. Ambrosius de Virginitate Deiparæ dixit: Sit vobis tamquam in imagine descripta Virginitas, vitaque Mariæ; hoc multo magis de Visitatione B. V. dici posse, ut scilicet ex illa tamquam exemplari discant Auditores, malas quidem visitationes devitare, bonas autem frequentare; quænam autem illæ sint, in præsenti concione demonstratum iri. In prima ergo parte ostendatur, quænam sint malæ visitationes, nempe diurnæ hospitiorum, nocturnæ mulierum, diurnæ, & nocturnæ simul aliorum bonorum per furtum: quarum omnium visitationum damna ostendantur. In secunda parte bonæ visitationes declarentur, nempe templorum, ægrorum, purgatorii per auxilium animabus illis præstitum; quarum omnium visitationum præstantia pariter demonstretur; pro quibus dilatandis vide speciales titulus, Ebrietas, & Purgatorium.

VI. *Benedicta tu inter mulieres*. Luc. 1. Dici potest, magnum quidem fuisse hoc elogium, sed majus longe esse, quod benedicta, id est, meritis, & gloria excedens sit omnes Sanctos; hoc autem elogium vere illi convenire, ostensurum se ex præsenti concione; pro quo videatur tit. Hyperdulia Mariana, §. 9. num. 1. 2. & 3. & inde concludatur, quantopere æstimanda, invocanda, & honoranda sit hæc Virgo, id quod variis sententiis & historiis ex eodem titulo §. 2. & 3. desumptis probetur.

PRO FESTO SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ.

I. *Vides hanc mulierem?* Luc. 7. Dicat, se hodie gratum spectaculum seu Comœdiam Auditoribus repræsentaturum, scilicet B. Magdalenam. Et in primo quidem actu *peccantem*, ut inde miserum peccatorum statum discant, & quomodo luxuria præcipue in varia peccata præcipitet; pro qua assertione probanda vide tit. Luxuria & Peccatum. In secundo *pœnitentem*, ut inde discant modum pœnitendi, & causas, ad quam probationem conducere potest tit. Pœnitentia, §. 9. n. 1. & §. 10. n. 4. In tertio *gloriosam*, ut appareat fructus pœnitentiæ, ubi explicari ex vita S. Magdalenæ possunt favores a Christo eidem post conversionem exhibiti, & per eos Auditores ad similem pœnitentiam animari.

II. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus*. Luc. 7. Explicari possunt quinque fontes, ex quibus S. Magdalena has lacrymas hausit, & ipsi quoque Auditores haurire debent, quos vide tit. Pœnitentia.

III. *Fides tua te salvam fecit*. Luc. 7. Dici potest, recte fidei adscribi salutem S. Magdalenæ, quia per eam quinque impedimenta potissima pœnitentiæ agendæ removit, quæ impedimenta videantur tit. Pœnit.; & quomodo a S. Magdalena remota sint, & ab Auditoribus quoque removeri debeant, ostendatur.

IV. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus*. Luc. 7. Potest lacrymarum utilitas ex comparatione earum cum variis aquis demonstrari. Et 1. quidem cum aqua per cineres igne percolata seu lixivio, dum a sordibus peccatorum lavat. 2. Cum aquis calidis thermarum, dum morbos radicitus curat. 3. Cum aquis pluviarum, dum fertilem reddit animum, & varios fructus producere facit; pro quo scopo vide tit. Lacrymæ.

V. *Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum*. Luc. 7. Potest dici, multum quidem disputare Philosophos, an detur causalitas & prioritas mutua: in S. Magdalenæ tamen conversione, eamdem datam fuisse merito videri posse, utpote in qua dilectio caussavit remissionem peccatorum, uti ex cit. textu patet; & vicissim remissio peccatorum caussavit dilectionem, juxta aliquorum interpretationem, volentium, particulam *quoniam* in textu citato idem significare ac *propterea*, unde explicetur in prima parte fusius, quam efficax medium sit dilectio ad peccata delenda; pro quo vide tit. Charitas, §. 3. n. 25. & 27. In secunda vero parte ostendatur, quomodo remissio peccatorum ad dilectionem merito invitet; pro quo serviat pulchrum exemplum tit. Pœnitentia.

VI. *Hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos*. Luc. 7. Potest demonstrari qualitas pœnitentiæ a S. Magdalena susceptæ. Quod videlicet 1. fuerit *generosa* ob insignem sui & respectus humani victoriam. 2. *Copiosa*, quia lacrymas copiosas fudit, oscula copiosa fixit, unguentum copiosum fudit, in quo imitanda per varios actus pœ-

pœnitentiæ, qui tit. Pœnitentia explicati videri possunt. 3. *Fructuosa*, ob peccatorum remissionem; Christi defensionem contra Pharisæum; multiplicem consolationem, dum quotidie per 30. annos cælestem musicam audivit; frequentem visitationem, qua Christus ultra centum vices visitavit; inexplicabilem gloriam, qua ipsam post mortem donavit. Excitentur proin Auditores ad similem pœnitentiam agendam, ut similes fructus participare queant.

VII. Ex occasione thematis: *Vides hanc mulierem?* ostendi potest in primis, quam gravis peccatrix fuerit S. Magdalena, utpote ex qua septem dæmonia, id est, septem peccata mortalia, ejecta sint. 2. Ostendi potest, quomodo ex occasione tantorum delictorum causam ardentissimæ dilectionis sumpserit, & vicissim dilecta sit, extraordinarios favores accipiendo, ut adeo nemo ob præteritam vitam malam desperare, sed occasionem pœnitentiæ arripere debeat, & dicere cum S. Bernardo ad Deum: De misera vita mea sume, obsecro, residuum annorum meorum: pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum & humiliatum non despicies. Vide tit. Pœnit.

VIII. Ex occasione thematis: *Erat mulier in civitate peccatrix*: potest S. Maria Magdalena Pœnitentibus in exemplum proponi, quia 1. Pœnitentiam cito arripuit. 2. Quia intime confusa & contrita erat. 3. Quia perfecte & copiose satisfecit per asperam vitam 30. annis susceptam, & quia instrumenta malitiæ in instrumenta dilectionis & obsequii divini convertit. Vide Fabrum conc. 2.

IX. Ex occasione thematis: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ostendi possunt motiva, quæ S. Mariam Magdalenam ad tantam dilectionem moverint, & quemvis peccatorem movere debeant, scilicet persona offensa, persona offendens, offensæ qualitas, effectus, multitudo; de quibus vide tit. Pœnitentia.

X. Ex occasione thematis: *Ut cognovit, quod Jesus accubuerit in domo Pharisæi*: afferri possunt rationes, cur pœnitentia non sit procrastinanda, nimirum. 1. Quia talis dilatio periculosa est. 2. Quia valde nociva. 3. Quia numerum peccatorum a Deo definitum citius impleri faciat. 4. Quia pœnitentia sera raro vera; quæ omnia fusius probata vide tit. Pœnitent.

XI. Ex occasione thematis: *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus*; potest ostendi, quod lacrymæ non tantum sint vinum Angelorum eosdem lætificans, majusque gaudium creans super uno peccatore, quam super 99. justos: sed etiam Deum, qui, teste Sancto Chrysostomo, delinquentium gemitus esurit, & sitit lacrymas peccatorum: & proximos, quibus jucundum est videre Fratres emendatos, & ferventes: & seipsum; est enim quædam flere voluptas. Vide tit. Lacrymæ §. 7. n. 4. & Fabrum conc. 4.

XII. Ex occasione thematis: *Quæ & qualis est mulier, quia peccatrix est*: ostendi potest, quod peccatores non temere judicandi, nec spernendi sint ob sequentes causas. 1. Quia forte jam emendati sunt. 2. Quia forte brevi convertentur. 3. Quia forte in uno tantum deliquerunt, nos vero in pluribus. 4. Quia forte graves tentationes passi sunt. 5. Quia forte meliores resurgent. Unde merito suasit S. Bernardus: Excusa intentionem, si opus non potes puta ignorantiam, puta subreptionem, puta causam. Vid. hunc conceptum fusius explicatum apud Fabrum conc. 7. & tit. Judicium temerarium.

PRO FESTO S. JACOBI.

I. **D***Ic, ut sedeant hi duo filii mei, unum ad dexteram, & alter ad sinistram.* Luc. 20. Potest dici, Christum quidem corripuisse matrem hanc cum filiis, quia honorem inordinate ambierunt: Concionatorem vero ipsis hodie libere concessurum, imo hortaturum, ut honores ambiant, & quærant, dummodo id faciant per debitam viam & medium; quodnam autem hoc sit, se in præsenti concione demonstraturum. Dicat ergo hanc viam perveniendi ad honores veros solam esse virtutem, uti S. Bernardus testatus est, & Romani, quorum sententia vide tit. Virtus. §. 9. n. 3. id probetur amplius ex natura honoris veri, dein ex exemplis Sanctorum honoratorum ob virtutem a Deo & hominibus: pro quibus amplificandis vide tit. Virtus & tit. Fama & Honor.

II. *Nescitis, quid petatis.* Luc. 20. Potest invectio fieri in ambitionis vitium, & 1. ostendi, in quo consistat ambitio; de quo vide tit. 8. Ambitio. §. 1. 2. ostendat, quam noxium sit vitium, quia honor per illam quæsitus indebite venit, præpropere affectatur, periculose captatur. Vide eod. tit. §. 13. n. 3. & 5. & §. 15. 3. Ostendat unum vel alterum medium ad hoc vitium vitandum; pro quo vide cit. tit. §. 11.

III. *Potestis bibere calicem?* Luc. 20. Possunt proponi motiva ob quæ libenter calicem Domini bibere debeamus; quæ vide proposita tit. Patientia.

IV. *Potestis bibere calicem?* Luc. 20. Dici potest, S. Jacobum Apostolum quidem cum Fratre prompte ad hanc quæstionem respondisse: Possumus; verum hodie plurimos esse, qui respondeant: Non possumus: de quibus illud dictum verificatur: Et cœperunt se singuli excusare: unde excusationes eorum in concione refutare proderit, de quibus vide tit. Patientia; simulque ostendere, quomodo nullam similem excusationem S. Jacobus attulerit.

V. *Dicunt ei: Possumus.* Luc. 20. Ostendi potest, etiamsi multis impossibile videatur, calicem passionis bibere, & deliquium timeant, non difficulter tamen illum bibituros, & dicturos: Possumus; si spirituale myrothecion usurpent &c. ex variis exemplis compositum, quod vide cit. tit.

VI. *Nescitis, quid petatis.* Luc. 20. Dici potest, hanc sententiam, & correptionem solis quidem duobus filiis Zebedæi, & matri dictam esse: sed hodie majori hominum parti repeti posse: quid enim plerique aliud petunt, & desiderant, nisi ut divitiis, honoribus, & voluptatibus frui queant? atqui his omnibus jure meritissimo dici potest: Nescitis, quid petatis:

tatis, id quod per tres partes concionis agatur, demonstrando, quanta damna afferat inordinatus divitiarum, bonorum, & voluptatum appetitus; pro qua probatione vide tit. Divitiæ, Honor, Voluptas.

VII. Ex occasione thematis: *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi*, Matth. 20. dicere potest concionator, reprehensos quidem esse hos filios, quod matrem ad hanc petitionem faciendam instigarint, se autem permittere libere, imo suadere, ad matrem suam, nempe Beat. Virginem, accedant, ut cum ea ad regnum cæleste admittantur. Ostendatur proin, quam merito confugere debeant ad hanc matrem, quia potest impetrare, quod petit, tanquam Mater Christi, cui ille perinde, ut Salomon matri suæ, dicturus sit. Pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. Et vult impetrare tanquam mater viventium; unde recte B. Virginis amor inter potiora signa prædestinationis censetur. Vide tit. Hyperdulia.

VIII. Ex occasione thematis: *Dic, ut sedeant hi filii mei, unus ad dexteram, alter ad sinistram*, potest ostendi, ambitionem esse illegitimum modum perveniendi ad honores, verum autem, & efficacem modum ostendisse Romanos, dum duo templa, alterum honori, alterum virtuti ædificarunt tali situ, ut, quicumque in templum honoris ingredi vellet, prius per virtutis templum intrare deberet. Ostendatur itaque, virtutem esse optimum medium ad honores obtinendos, conservandos, deponendos. Vide tit. Honor, & Virtus, item Fabrum conc. 2.

IX. Ex occasione thematis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*, ostendi potest, cur calicem passionis libenter acceptare & exhaurire debeant homines, nempe 1. Propter offerentem, qui est Deus. 2. Propter commemorationem Christi velut summi Imperatoris, & Benefactoris. 3. Propter conformitatem cum Sanctis, qui prius illum exhauserunt. 4. In sanitatem eorum, qui, Deo bene addicti sunt, uti sunt viventes boni, & defuncti. 5. In sanitatem propriam. Quæ omnia vide fusius explicata in tit. Patientia.

X. Ex eodem themate dici potest, si hodie Christus eamdem quæstionem proponeret, multos responsuros: Non possumus; nam alii dicerent, eum sibi immerito offerri: alii, sibi solis exhauriendum quererentur: alii nimis amarum: alii nimis capacem esse, queritarent: alii contra personas offerentes exciperent: quas omnes excusationes refutatas vide apud Fabrum conc. 5.

XI. Ex occasione thematis: *Nescitis, quid petatis*, ostendendum, quid & quomodo petendum, nempe honorifica Deo, utilia proximo, salubria sibi. Petenda autem ab in gratia constituto, cum debita resignatione, serio, & ferventer, cum longanimi perseverantia; de quibus vide tit. Oratio.

XII. Ex occasione thematis: *Calicem quidem meum bibetis*, ostendatur rationes, cur Deus iis, quos præ aliis diligit, calicem passionis exhauriendum propinet, nimirum 1. Ut occasionem majoris gloriæ promerendæ offerat. 2. Ut Christo conformiores sint. 3. Ut contra diabolum eos persequentem gloriose triumphent, uti fusius probatur in titulo Patientia.

PRO FESTO S. IGNATII.

I. *Sint lumbi vestri præcincti*. Luc. 12. ostendi potest, quod S. Ignatius generosus quidem miles fuerit ante suam conversionem, sed multo generosior post conversionem ob duas causas. 1. Quia arcem multo nobiliorem defendit, scilicet Ecclesiam. 2. Quia generosiori, & feliciori modo eam defendit contra Lutherum, aliosque hæreticus, uti fusius ostenditur in septima Instructione mea.

II. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. Luc. 12. Potest zelus S. Ignatii commendari, & dici, quod S. Ignatius sit ille ignis, de quo Christus Luc. 2. dixit: Ignem veni mittere &c. uti ipsum nomen etiam præ se fert, quod unica littera dempta idem significat, ac ignitus seu ignis es tu. Unde ostendendum, quomodo zelum suum instar ignis exercuerit; de quo vide Instructionem III. p. 5. & tit. Zelus. §. 12. n. 1.

III. *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*. Luc. 12. Dici potest, Deum tempore S. Ignatii merito repetere potuisse illud. Act. 13. & Psal. Inveni David &c. & quomodo is vere fecerit omnes voluntates ejus, & hinc tanti obedientiam fecerit, ut eam, notam, per quam sui socii cognoscerentur, esse voluerit. In altera vero parte ostendatur, quomodo Deus in ipso impleverit, quod de Davide prædixerat: Oleo meo sancto unxi eum &c. Vide tit. 123. V. Resignatio, §. 13. num. 5.

IV. *Beati sunt servi illi*. Luc. 12. Dici potest, Sanctum Ignatium similem fuisse illi mulieri, quæ quondam Juveni Religioso Sancti Dominici, cum a Ludovico Rege Galliæ ad magnum Sultanum missus fuisset, occurrit, una manu ignem, altera lebetem aqua plenum tulit, &, quid his facere vellet, rogata, respondit, se igne cælum comburere, & aqua gehennam extinguere desiderare, ut omnes deinceps homines in actionibus suis nihil, nisi gloriam Dei quærant. Ostendatur ergo in prima parte, quomodo semper *majorem* Dei gloriam quæsierit *intensive*, faciendo semper, quæ Deo magis placebant, ideoque generose se vincendo, & tribulationes amando, consolationes respuendo &c. & *extensive*, cupiendo semper plures, & plures ad Dei amorem attrahere; unde dicere solitus erat sociis: Ite, omnia accendite. In secunda parte ostendatur, quomodo Deus vicissim majorem gloriam S. Ignatii quæsierit, illum tanti Ordinis fundatorem constituendo, tot miraculis illustrem faciendo, Societatem ipsius per orbem universum dilatando, ut in filiis suis magis glorificaretur. Vide tit. Intentio bona. Zelus.

V. *Ut, cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei*. Luc. 12. Dici potest, impletum hoc in S. Ignatio videri, ut, qui talem gratiam convertendi animas habuerit; ut mox, ubi pulsavit, corda ei aperta fuerint; ut ipse Deus

Deus aliquando S. Magdalenæ de Paz. dixerit, maxime felicem spiritum, qui hodie regnat in terra, esse spiritum & zelum S. Ignatii. Qualis autem ille fuerit, dicat Concionator, se in concione demonstraturum. In prima ergo concionis parte ostendat, qualis hic spiritus fuerit, quod scilicet homines ad cognitionem, & amorem Dei trahere studuerit; hinc duo erant ipsius desideria: O otinam homines te nossent! & ite. omnia accendite; huc scholæ, huc conciones, confessionalia, visitationes ægrorum, exercitia spiritualia, tendebant. In secundo ostendatur, hunc spiritum merito felicissimum judicari ob tres causas. 1. Quia efficacissimus est; nam charitas omnem animi languorem sanat &c. Vide tit. Charitas. §. 3. n. 27. 2. Quia hic modus facilimus est, & omnes difficultates tollit: nihil enim durum &c. Vide l. c. n. 66. 67. 68. 3. Quia gratissimus, & jucundissimus, quia naturale, & jucundum est homini amare, maxime finem, ad quem creatus est, unde S. Augustinus dixit: Verus amor non sentit &c. Vide l. c. n. 51. Hinc alibi dixit: O quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum: & quas amittere, vel dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas, tu vera, & summa suavitas; ejiciebas eas, & intrabas pro eis. Excitentur proin Auditores, ut imagineotur sibi S. Ignatium dicentem: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum. Et iterum: Venite ad me omnes &c. Matth. 11. jugum enim meum suave &c.

VI. *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Luc. 12. Ostendi potest, quam vigilans, & fidelis servus fuerit S. Ignatius, ut qui duo talenta sibi concredita, scilicet intellectum, & voluntatem, tam bene collocarit, & duo alia talenta, nempe salutem propriam, & alienam tam solicite lucrari studuerit. Unde in duas partes dividi poterit concio, & in prima ostendi, quanta cura in salutem propriam per virtutum studium incubuerit, semper ob oculos habens illud Christi: Quid prodest homini &c. In secunda vero ostendi potest, quomodo alienæ saluti invigilarit. Pro quo vide tit. ult. V. Zelus §. 1. n. 3. & §. 11. n. 2.

PRO FESTO S. LAURENTII.

I. **N**isi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Jo. 12. Dici potest, illatam quidem a plerisque nunc messem corporalem esse; an autem perinde etiam spiritualem intulerint, dubitari merito posse. Verendum profecto esse, ne de laboribus, & actionibus hujus anni multi audiverint illud Aggæi c. 1. Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum. Quare hoc? quia seminare nescivertunt; quare hæc doceantur. Et in prima parte dicatur, quod S. Laurentius agrum bonum elegerit, scilicet Christum, in quem semen actionum suarum conjecit, propter ipsum enim Diaconi munus suscepit, & sustinuit, & eleemosynas distribuit, martyrium toleravit, ut Ecclesia confitetur, dicens: Laurentius ingressus &c. Excitentur proin Auditores ad agrum hunc eligendum, utpote bene aratum per passionem juxta illud Psal. 117. Supra dorsum meum fabricaverunt (velut alii legunt, araverunt) peccatores &c. Vid. tit. Intentio. In secunda doceatur, quomodo semen etiam bonum, imo optimum elegerit, scilicet eleemosynas, & tribulationes; hæc enim centuplum fructum refert, uti de eleemosina testatus est Christus Matth. 19. Amen amen dico vobis, quod omnis, qui reliquerit &c. de tribulationibus vero S. Paulus Rom. 8. Non sunt condignæ &c. Vide tit. Misericordia, & patientia. In tertia parte ostendatur, quomodo bene occaverit agrum, & texerit semen juxta illud Matth. 6. Attendite &c. thesauros namque in occulto distribuit, nihil faciens favore Imperat. & aliorum. Excitentur Auditores ad idem faciendum. Vide iterum tit. Intentio.

II. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Jo. 12. Ostendatur, quid requiratur ad Christum sequendum, nempe quod ipse Matth. 16. dixit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Dividatur itaque concio in duas partes, & in prima demonstretur, quomodo S. Laurentius abnegaverit semetipsum, pro quo videatur tit. Abnegatio. In secunda ostendatur, quomodo sustulerit crucem, subeundo martyrium, pro quo videatur tit. Patientia & tit. Crux.

III. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Joh. 12. Ostendatur 1. quid sit odisse se, scilicet bona negare, mala inferre: hi enim sunt actus principales, quos erga odio habitos exercere solemus. 2. Ostendatur, quomodo hoc odium erga se S. Laurentius exercuerit. 3. Ostendatur, quomodo vitam æternam per hoc odium obtinuerit, juxta illud Christi Matth. 19. Centuplum accipiet &c. & Matth. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur &c. Vide tit. Abnegatio, & tit. Patientia.

IV. *Ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Joann. 1. Ostendatur triplex titulus, ob quem deceat Christianum ibi esse debere, ubi est Christus, videlicet, quia Christus est Dominus ob creationem, Magister ob instructionem, Redemptor ob redemptionem. Deinde ostendatur, ubi fuerit Christus, nempe in cruce; & quomodo ibi etiam fuerit S. Laurentius, & Auditores esse debeant, dicendo cum S. Andrea: O bona crux &c. & cum S. Paulo ad Gal. 5. Absit mihi gloriari &c.

V. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joan. c. 11. Excitentur Auditores ad mortem spiritualem, exemplo S. Laurentii. Et in prima parte ostendatur, quid sit mori spiritualiter, nempe animam separari a corpore spiritualiter, ut nec divitias, nec voluptates, nec honores hujus mundi desideret, sed his omnibus utatur, tamquam non utator, id quod colligetur, si hæc omnia sine do-

dolore dimittantur, tunc enim signum est ea non adhærere; id quod fecisse S. Laurentium demonstretur. In secunda parte ostendatur, quomodo homo mortuus taliter multum fructum afferat Deo & Sanctis per eorum beneplacitum, & honorem: sibi ipsi per beatitudinem in hac, & in altera vita obtentam: proximo per auxilium & exemplum. Vide tit. Abnegatio, & tit. Exemplum.

VI. *Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Joan. 12. Dicatur, hoc vel maxime de divitiis dici posse, quæ nisi in agrum pauperum jaciantur, solæ manent, id est, nihil prosunt, si autem in pauperes distribuantur, multum fructum afferunt. Unde in prima parte ostendatur, quomodo eleemosyna sit danda, nimirum prompte, liberaliter, hilariter, humiliter, & quomodo has conditiones impleverit S. Laurentius. In secunda ostendantur fructus, quos affert talis eleemosyna, nempe quos Christus Luc. 6. promisit: Mensuram *bonam*, in temporalibus juxta exemplum Monasterii, duos Fratres: *Date, & dabitur* habentis, quod vide tit. Misericordia erga vivos §. 2. Mensuram *confertam* in gratia & virtutibus: mensuram *coagitatam* in felici morte & liberatione a purgatorio obtinenda: & mensuram *supereffluentem* in gloria cælesti promerenda, pro quorum omnium probatione vid. cit. tit.

VII. Ex consideratione thematis: *Si mortuum fuerit, multum fructum affert*, potest grano eleemosyna comparari, ostendique, quod in hac vita afferat fructum trigesimum in temporalibus bonis obtinendis: in morte sexagesimum propter spem beatitudinis, quæ toties in Evangelio misericordibus promittitur, certo obtinendæ: post mortem centesimum in gloria: qui enim seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet. Vide tit. Misericordia. Item Fabrum conc. 1.

VIII. Ex occasione thematis: *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet*: ostendi potest, quam vere dicatur de S. Laurentio, quod granum mortuum fuerit morte corporali per discessum animæ a corpore, & spirituali per sui abnegationem. Deinde quam copiosum fructum attulerit Deo per gloriam ipsius augmentatam, proximo per eleemosynam, & exemplum fortitudinis, sibi per præmium beatitudinis obtentum. Excitentur proin Auditores, ut saltem spiritualiter mori studeant.

IX. Ex occasione thematis: *Si quis mihi ministraverit, me sequatur*: ostendatur, quomodo S. Laurentius Christum secutus sit cum ipso, & pro ipso moriendo; & quidem morte crudelissima, & quomodo a Christo honorificatus in cælo per gloriam singularem; in terris per cultum specialem suorum clientum; in purgatorio, dum privilegium illi concessit, ut singulis sextis feriis purgatorium ingredi, & animam eripere queat.

X. Ex occasione thematis: *Ubi ego sum, ibi & minister meus erit*; ostendatur, ubi Christus fuerit in hac vita, nimirum 1. in iis, quæ Patris sui erant. 2. In civitatibus benefaciendo corporaliter, & spiritualiter. 3. In cruce & passione. Excitentur proin Auditores, ut etiam in his esse, & occupari studeant, ut aliquando cum Christo etiam in cælis esse possint.

XI. Ex occasione thematis: *Qui odit animam suam, inveniet eam*: ostendatur 1. quomodo S. Laurentius oderit animam suam, tam crudele ignis tormentum tam fortiter sustinendo. 2. Ostendatur, quod sicut ii, quorum manus v. gr. ab igne adusta est, eamdem igni admovent, & curant; ita S. Laurentius par ignem amoris divini materialem ignem superarit; unde de eo dictum est: Fortior erat ignis, qui intus arsit, quam qui foris ussit. Videatur tit. Char.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quales fructus seu effectus ignis S. Laurentii in Auditoribus producere debeat, nempe 1. calefacere, & ad tribulationes fortiter ferendas animare. 2. Illuminare, ut cognoscamus, quam fideliter, & potenter Deus adjuvet sperantes in se, & pro ejus honore certantes. 3. Ignem inferni nobis in memoriam revocando, ubi numquam dici poterit: Affatim est satis; atque adeo efficiendo, ut timore illius ignis temporalem ignem tribulationum præsentium facile toleremus. Quem conceptum fusius explicatum vide apud Fabrum conc. 6.

PRO FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

I. MAria optimam partem elegit. Luc. 10. Ostendi potest, quomodo B. Virgo optimam partem elegerit in bonis corporis, animæ, gratiæ, gloriæ, de quo vide tit. 70. §. 10. n. 33.

II. *Assumpta est Maria in cælum*. Ecclesia in officio Festi. Potest explicari triumphus, quo B. V. in cælum deducta est; de quo vide l. c. n. 34.

III. *Exaltata est S. Dei Genitrix super choros Angelorum*. In officio Festi. Demonstretur magnitudo gloriæ, quam in cælo B. V. adepta est, eum in finem videatur cit. tit. 70. §. 9. n. 3. & ex magnitudine gratiæ ostendatur gloriæ magnitudo, simulque Auditores ad illam æstimandam, invocandam, & venerandam excitentur; pro quo videatur cit. tit. 70. §. 2. & 3.

IV. *Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum*. In officio Festi. Demonstretur, B. V. factam esse Reginam cæli, & omnium Sanctorum, & merito: quia plus, quam omnes Sancti, se humiliavit, id quod ostendendum. Dein excitentur Auditores ad eam tamquam Reginam suam salutandam per Antiphonam Ave Regina: ad homagium ei per renovationem formulæ Marianæ præstandum: ad eamdem quotidianis officiis venerandam, & in necessitatibus invocandam; pro quo vide cit. tit. 70.

V. *Exaltata est Sancta Dei Genetrix*. In officio Festi. Potest B. V. Arcæ Noe comparari, ut indicatur in tit. 70. §. 10. n. 30. ubi tamen præcipue insistatur causæ finali, & probetur, B. V. amorem esse signum prædestinatio-

tionis, 1. ex S. Scriptura. §. 2. n. 45. 2. ex SS. Patribus §. 3. nu. 67. 3. ex revelationibus. 4. ex historiis variis 5. ex amore illius erga humanum genus; pro quo vide Pistorium in Matre admirab. c. 20. p. 1. n.

VI. *Maria optimam partem elegit*, Luc. 10. & nos vult illius participes facere, dicendo illud 8. Qui me invenerit invenit vitam, temporalem, & spiritualem, æternam, uti tit. 70. 10. n. 41. insinuatur.

VII. Ex occasione thematis: *Mariam optimam partem elegit*. Luc. cap. 10. ostendi potest quam vere dicatur, B. Virg. optimam partem elegisse *ante mortem*, dum vitam voluntati Dei undequaque conformem vixit, ubique familiarem suam formulam: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: usurpando. *In morte*, dum præsente Christo, & Apostolis ex amore, & absque dolore occubuit: *post mortem*, dum corpore, & animo assumpta in cælum, exaltata est super omnes choros Angelorum. Unde velut Regina cæli peculiari studio colenda est. Vide tit. Hyperdulia. Item Fabrum conc. 5.

VIII. Ex eodem themate ostendi possunt causæ tantæ exaltationis, scilicet humilitas, obedientia, patientia, ita ut de ea vere dici potuerit: Humiliavit semetipsam obediens facta usque ad mortem; propterea exaltavit eam Deus, & dedit illi nomen super omne nomen. Pro quo conceptu vide cit. tit. & Fabrum conc. 5.

IX. Ex occasione thematis: *Dic ergo illi, ut me, adjuvet*: ostendi potest, cur peculiarem fiduciam ad B. Virginem habere debeant Christiani, videlicet 1. Quia est mater *pulchræ dilectionis*, præcipue respectu Christianorum velut dilecti populi Dei. 2. Quia est Mater *agnitionis*, agnoscens etiam, & remunerans minimum cultum ipsi exhibitum. 3. Quia est mater *sanctæ spei*, utpote quæ nullum unquam ad se confugientem dereliquisse scitur. De quo conceptu vide cit. titul. Hyperdulia, & Fabrum conc. 8.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christum in domo cordis nostri digne excipere possimus, si videlicet juxta exemplum Marthæ actiones, labores corporales ad obsequium Christi sedulo peragamus, & juxta exemplum Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad pedes Christi suo tempore sedeamus, id est, actiones spirituales, orationis, confessionis, communionis, auditionis Missæ, & concionum cum magna devotione persolvamus, quam esse optimam partem, seu efficacissimum medium ad reliquas actiones fructuosius peragendas, fusius demonstretur.

XI. Ex themate: *Optimam partem elegit Maria*: excitari possunt Auditores ad columnam ad honorem hujus Virginis in corde suo erigendam, similem illi, quam Maximilianus Primus Elector Bavariæ in foro medio urbis Monacensis erigi curavit, ita ut pro basi statuatur magna æstimatio de hac Virgine. 2. Pro columna fiducia erga ipsam. 3. Pro imagine imitatio ejusdem. 4. Pro quatuor militibus contra draconem pugnantibus potest statui generosa victoria contra quatuor impedimenta a sincero cultu B. V. absterrentia, dæmonem, tepiditatem, inconstantiam, diffidentiam. Pro quatuor lucernis statui possunt quatuor modi cultum B. Virginis in aliis promovendi, videlicet desiderio, exemplo, oratione, verbo. Quem conceptum vide fusius explicatem in Instr. 7. f. 137. Item tit. cit.

XII. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, multos desiderare ad cælum pervenire, sed non omnes veram, & securam viam amplecti; optimam autem videri B. V. amorem: hæc namque est via certissima, quia recte adducit ad cælum. 2. Via plana, & trita, quia per illam plerique Catholici ad cælum tendunt. 3. Via securissima, quia, teste S. Bonaventura, non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum. Vide plura tit. cit. & Instr. 7. f. 133.

PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI.

I. *Elegit duodecim ex illis*, Luc. 6. demonstrari potest legitima vocatio ad Apostolatum. 1. Quia non proprio motu hoc officium suscepit, sed a Christo ad illud electus est. 2. Quia etiam locum, in quo Apostolatum exerceret, non proprio arbitrio elegit, sed sorte accepit. 3. Quia non exivit, donec virtute indueretur ex alto. 4. Quia pelli, & animæ suæ non pepercit in Apostolatu suo. Unde duo Corollaria eruenda pro Auditoribus. 1. Ut inde cognoscant beneficium vocationis ad fidem Catholicam, utpote quæ a personis legitime vocatis propagata est, & etiamnum propagatur, & pro eo gratias agere studeant. 2. Ut, cum quisque ad certum etiam statum vocatus sit juxta illud Proverbium: Sortes mittuntur in signum, & a Domino temperantur: atque adeo cuique persona sua velut in Comedia assignetur, quisque vocationi suæ respondere, & personam suam recte sustinere studeat, sciens, non referre, quam personam, sed quam bene agat. Vide tit. Fides, & Acceptio Personarum.

II. *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum*. Matth. 4. Ostendi potest 1. quam excellens sit officium horum Piscatorum, quod ex præstantia animarum colligi potest, de qua vide tit. Anima. 2. Demonstrari potest, quam sedulo Sanctus Bartholomæus hoc munus veri piscatoris impleverit; 1. Laxando retia in verbo Dei, idest, juxta nutum ejus, sciens alioqui nihil se effecturum juxta illud Christi, Jo. 15. Sine me nihil potestis facere. 2. Indefesso studio, quasi diu noctuque invigilando huic piscationi. 3. Nullam difficultatem aut periculum horrendo, cum etiam mortem ipsam subire non timuerit, & quidem tam crudelem. Unde excitentur Auditores ad salutem, & animas suas æstimandas, ad quarum piscationem tam solicite Christus Apostolos vocavit, & isti tanta egerunt, & passi sunt: deinde vero libenter capi se finant, id est, doctrinas & fidem verbo & exemplo ab ipsis traditas constanter verbo & opere profitendo. Vide tit. Fides.

III. *Omnis turba quærebat eum tangere*. Luc.

Luc. 6. Dici potest, hanc sententiam in alio sensu merito cuivis homini applicari, ita ut vere de illo dici possit: Omnis turba quærit eum tangere, id est, culpare & detrahere; ac proinde ut vitium hoc summe noxium sedulo vitetur, ostensum iri, quod detractores longe crudeliores sint, quam carnifices S. Bartholomæum excoriantes. Pro quo vide tit. 38. V. Detractio. §. 12. n. 1.

IV. *Vocavit Discipulos suos*. Luc. 6. Ostendi potest, quam perfecte Discipuli officium impleverit S. Bartholomæus. 1. Quia implevit primam conditionem a Christo Luc. 14. præscriptam: Qui non renuntiat omnibus &c. 2. Quia doctrinam a Christo Matth. 11. datam: Discite a me, quia mitis &c. accurate implevit, deferendo dignitatem regiam, & humilem statum Apostoli assumendo, & præter eas injurias Tyranni & aliorum cum magna mansuetudine tolerando. 3. Quia ipsi constanter adhæsit, ita ut illud Luc. 22. audire meruerit: Vos estis, qui permansistis &c. Excitentur Auditores, ut & Discipuli Christi esse studeant, imitando vitam & mores illius, & magnum in cælo præmium exspectent. Vide tit. Christus, & Thomam Kemp. l. 1. c. 1.

V. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione*. Luc. 6. dici potest, Christum hoc suo ascensu in montem breve compendium omnium doctrinarum ad orationem pertinentium reliquisse. Nam 1. dum primariæ actioni, id est, lectioni Apostolorum orationem præmisit, ostendit orationem omnibus actionibus esse præmittendam juxta orationem a S. Thama indicatam, quam vide tit. Oratio. §. 9. n. 1. & §. 3. a n. 25. 2. Dum in montem ascendit, ostendit locum pro oratione eligendum, scilicet solitarium, & a distractionibus liberum, ut olim. Matth. 6. monuerat: Tu autem, cum oraveris &c. 3. Dum pernoctavit, insinuavit constantiam, jam olim in parabola amici panem petentis Luc. 11. indicatam 4. Dum virtus de illo exibat & sanabat omnes, ostendit fructum orationis, scilicet, quod omnia impetrari per illam possint, uti tum Christus Joan. 14. Quodcumque &c. tum S. Bernardus indicavit, dicens: Nemo &c. Vide tot. tit. 107. præsertim hanc sententiam §. 3. num. 90.

VI. *Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur*. Luc. 6. dici potest, fuisse olim Regem, qui Judicem injustum excoriari jussit, & pellem in sede tribunalis insterni, ut alii Judices deterrerentur: aliter tamen Ecclesiam pellem Sancti Bartholomæi proponere nobis, nempe ut cum ipso pellem antiquam seu malam consuetudinem exuere studeamus. Unde in prima parte ostendatur, quomodo talis consuetudo exui debeat. In secunda, quam gloriosum sit hoc quoque martyrium triplici ex capite. 1. Quia a nobis ipsis infertur. 2. Quia majori cum violentia & difficultate perficitur 3. Quia non semel, sed sæpius sustineri debet. Unde merito huc applicari potest illud: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Vide Thom. Kempens. lib. 1. cap. 25. tit. Consuetudo & tit. Abnegatio.

VII. Ex occasione thematis: *Vocavit Discipulos, & elegit ex eis duodecim*. Luc. 6. ostendi potest beneficium vocationis ad Catholicam fidem ex triplici capite. 1. Quia ex tot millionibus elegit. 2. Quia immeritos ex sola benevolentia elegit. 3. Quia præ aliis longe innocentioribus elegit. Unde inferatur, quantopere deceat, ut Christum vocantem sequantur, eique constanter adhæreant.

VIII. Ex occasione thematis: *Qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur*: ostendatur, optimum & efficacissimum esse remedium contra tentationes luxuriæ frequentem sumptionem Eucharistiæ, id quod ex SS. Patrum sententiis & exemplis ostendi potest, simulque doceri, quomodo communio devote & cum fructu peragi queat.

IX. Ex occasione thematis: *Erat pernoctans in oratione Dei*: ostendi potest, cur Christus orationem nobis verbo & exemplo tantopere commendarit, nempe ob necessitatem, utilitatem, æquitatem, dignitatem, jucunditatem. Pro quibus motivis fusius probandis vide tit. Oratio. §. 9. n. 1. & seq.

X. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo sine intermissione diu noctuque orare possimus, si scilicet omnia opera ad Dei honorem & gloriam dirigantur, & bene peragantur, juxta illud S. Augustini: Vis semper laudare Deum? bene fac omnia, quæ agis, & semper laudasti Deum. Quod genus orationis tria habet privilegia. 1. Quod ab omnibus æqualiter usurpari queat. 2. Quod distractionibus non sit tantopere obnoxium. 3. Quod propter obedientiæ exercitium magis sit gratum Deo, quam orationes proprio arbitrio susceptæ. Vid. tit. Oratio.

XI. Ex occasione thematis: *Omnis turba volebat eum tangere*: ostendatur, hæc verba non male detrahentibus applicari, cujus vitii gravitas ut ostendatur, probetur, tales detractores carnificibus S. Bartolomæum excoriantibus crudeliores esse. 1. Quia autem bono nomini detrahunt, quod est ornamentum animæ. 2. Quia vitam moralem, seu famam auferunt, vita naturali cariorem. 3. Quia non uni, sed pluribus, scilicet detractionis auditoribus etiam nocent. 4. Quia non semel, sed frequenter detrahunt. 5. Quia non ex obedientia carnifices, sed ex odio & malitia detrahunt; unde graviter plerumque a Deo sunt puniti. Quæ omnia sententiis SS. Patrum & exemplis fusius probari possunt; uti videre licet tit. Detractio.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo detractionem patientes gerere se debeant juxta exemplum S. Bartholomæi, nimirum 1. Cum silentio supportare, & dicere cum S. Augustino: Senti de me quodcumque volueris, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. 2. Ignoscere tamquam cæcis, phreneticis, energumenis a dæmone impulsis. 3. Orare pro illis tamquam benefactoribus, exemplo Christi dicentis: Pater ignosce illis &c. 4. Gaudere & exultare juxta monitum Christi, quia merces copiosa in cælis reservatur. 5. Committere Deo famæ defensionem cum Josepho Patriarcha, Susanna, & pluribus aliis. Videantur tituli cc.

PRO

PRO FESTO SS. ANGELORUM CUSTODUM.

I. EX occasione thematis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Matth. c. 18. potest 1. Angelica custodia tum ex S. Scriptura & Doctorum consensu, tum ex historiis, tum ratione probari; denique vero etiam ostendi, quod plures quisque Angelos custodes sibi cum aliis communes habeat, utpote singulis mundi partibus, Provinciis, Dioecesibus, Urbibus, Parochiis, Domibus &c. assignatos, de quibus videatur tit. Angelus, & praecipue Faber in Festo S. Michaelis conc. 1. conc. 10. n. 2. Item Paulus Barry fuse integro libro de hac materia discurrens.

II. Ex eodem themate potest magnitudo beneficii per custodiam Angelicam exhibiti demonstrari per verba S. Bernardi: Mira dignatio, & vere magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit? Quae quatuor capita fusius deduci & probari possunt, tum ex dicto sermone S. Bernardi de SS. Angelis, tum ex dictis in tit. Angelus.

III. Ex eodem themate declarari possunt beneficia spiritualia SS. Angelorum Custodum ex comparatione liberationis S. Petri ex carcere, & 1. ostendi quomodo adstet consolando, & orationes nostras offerendo. 2. Illuminando, dum lumen refulsit in habitaculo. 3. Excitando, dum percusso latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter; ita & nos a somno peccatorum excitat. 4. Dum ad Petrum dixit: Sequere me, & nos quoque ad sequendum in via incitat. 5. Dum per custodias illaesum duxit: & nos quoque per tentationes ducit illaesos. 6. Dum sicut S. Petrum in libertatem duxit, ita & nos ad caelum; quae omnia fusius probata vide apud Fabrum conc. 2. in Festo S. Michaelis.

IV. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quae beneficia corporalia exhibeant SS. Angeli custodes: nimirum 1. Quod ut S. Tobiae fecit, ducant & comitentur ad locum, ad quem peregrinantes tendimus. 2. Victum procurent. 3. Nuptias prosperent. 4. Hostes compescant. 5. A periculis custodiant. 6. Medicinas praeparent. 7. Omni bono repleant. Unde excitandi Auditores, ut gratos, se pro tantis beneficiis exhibeant, & S. Custodi per omnia obsequentes se praebeant, & magnam ad eum fiduciam concipiant. Vide Fabrum conc. 3. in Festo S. Michaelis.

V. Ex occasione ejusdem thematis ostendatur, quid Angelo vicissim debeamus, videlicet, ut S. Bernardus suadet, reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Quae proin tum ex ipso Sermone S. Bernardi, tum ex dictis cit. tit. fusius deduci possunt. Videatur etiam Faber conc. V. ubi alia sex obsequia illis deberi probat, nimirum honorem, timorem, amorem, familiaritatem, obedientiam, & imitationem.

VI. Ex eodem themate ostendatur, quomodo Angeli Custodes Comitis officio erga nos fungantur, & 1. Sint periti viae, per quam tendimus ad Patriam. 2. Sint fideles juxta S. Bernardi testimonium: Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; tantum adhaereamus ei, & in protectione caeli commorabimur. 4. Sint jucundi, & amabiles, uti imagines eorum ostendunt. Quae omnia per exemplum Tobiae junioris probari possunt.

PRO FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

I. JAcob autem genuit Joseph virum Mariae. Matt. 1. Potest explicari nomen Mariae, & variae doctrinae ad cultum Virginis pertinentes erui. 1. Quod significet idem, ac *Congregatio aquarum*, id est, omnium perfectionum in aliis Sanctis repertarum; unde magna aestimatio velut fundamentum cultus Mariani concipienda; pro quo vide tit. 70. §. 3. n. 1. 4. 5. 46. 47. Item §. 4. a n. 33. 2. Quod idem significat, *ac stella maris*, uti ab Ecclesia salutatur: Ave maris stella; ad portam Salutis dirigens, uti tum sententiis l. c. §. 3. n. 60. 66. 67. tum exemplis. §. 4. n. 40. & seq. demonstrandum erit, ex quo fiducia concipienda; pro qua vide §. 3. a n. 58. & §. 4. a n. 40. 3. Quod idem significet, ac *Domina*, uti S. Bernardus, quem vide §. 3. n. 45. Quid nos &c. & S. Gerardus, quem vide §. 4. n. 3. ostenderunt, unde veneratio hujus Dominicae eruenda; pro qua vide §. 3. & 4.

II. *Ave maris stella*: Ecclesia in hymno. Ostendi potest, quomodo B. Virgo sit vera stella maris, prout ostenditur tit. 70. §. 3. n. 60. & 61. & §. 50. num. 7. unde fiducia singularis concipienda juxta monitum S. Bernardi: In periculis, in rebus dubiis respice stellam, voca Mariam, non recedat ab ore, non recedat a corde.

III. *Oleum effusum nomen tuum*. Cant. 1. Potest excellentia hujus nominis explicari ex comparatione cum oleo, juxta cit. tit. 70. §. 10. n. 54. pro quo scopo dilatando videatur l. c. §. 3. n. 5. & seq. item §. 4. n. 1.

IV. *Nativitas tua gaudium attulit universo mundo*. In officio. Potest ostendi, quomodo haec nativitas attulerit gaudium juxta l. c. §. 50. n. 6. excitandi proin Auditores, ut ipsi vicissim studeant gaudium facere, juxta illud Apostoli: Gaudium meum, & corona mea estis. Aurea utique per amorem Dei & hujus Virginis.

V. *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens*. Cant. 6. Potest B. Virgo aurorae surgenti comparari, ut videre licet tit. 70. §. 50. n. 8. unde spes & fiducia commendanda, & maxime vita bona juxta illud Apostoli: Fratres, hora nunc est de somno surgere &c.

VI. *Arcum meum ponam in nubibus, ut sit signum foederis inter me & te*. Gen. 9. comparari potest B. Virgo Iridi, & praecipue propter significationem pacis inter Deum, & homines, atque adeo, quia est signum praedestinationis. Dein excitari, ut servent consilium Ecclesiastici hortantis: (id est, oculos ad illum per fiduciam, & venerationem attolle) & benedic Deum, qui fecit illum. Vide tit. 70. §. 50. n. 10.

VII. Ex occasione thematis: *Jacob autem genuit Joseph, virum Mariae*: Matt. 1. ostendi pot-

potest, quam vere Ecclesia de hac S. Virgine canat: Nativitas tua gaudium attulit universo mundo, nempe Deo, Angelis, Parentibus, Patribus in limbo, animabus purgatorii, hominibus viventibus. Dein ostendatur, quomodo Auditores simile gaudium creare possint, si cum ea spiritualiter renasci studeant. Vide tit. Hyperdulia. §. 10. & Faber conc. 6.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod nomen Mariæ sit post nomen Christi nomen super omne nomen, ut in nomine Mariæ flectantur genua cælestium, terrestrium, & inferorum, id quod sententiis SS. PP. & historiis ex cit. tit. petitis probari potest.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod ex ipsa significatione nominis Mariæ innuatur modus eam rite colendi. Nam 1. dum significat *congregationem aquarum*, seu gratiarum cælestium, innuitur primus modus colendi, seu æstimatio major, quam omnium Sanctorum. 2. Dum idem significat, ac *stella maris*, innuitur fiducia erga ipsam concipienda, juxta illud S. Bernardi: In periculis, in dubiis respice stellam, voca Mariam. 3. Dum idem significat, ac *Domina*, innuitur cultus per varia obsequia, ac devotiones exhibendus. De quibus vide citat. tit. Item Fabrum conc. 8. & 4.

X. Ex eodem themate ostendatur, B. Virginem esse nubeculam parvam a puero Eliæ in Carmelo visam, quæ signum fuit copiosæ pluviæ subsecuturæ; nam 1. erat parva per humilitatem. 2. Ascendebat de mari infinitæ patientiæ, & misericordiæ Dei. 3. Crevit, & cælum obduxit, facta mediatrix inter cælum, & terram. 4. In pluviam copiosarum gratiarum hominibus communicatarum resoluta est. De quibus vide cit. tit., ac Pictorium in Matre admirabili conc. 5.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod, cum Ecclesia canit de B. V. quod Nativitas ejus gaudium attulerit universo mundo, ideoque causa nostræ lætitiæ dicatur, recte cellæ vinariæ comparetur, quia 1. erat profunda per humilitatem. 2. Instructa optimo vino gratiarum, & consolationum cælestium. 3. Ampla per misericordiam universis exhibitam. 4. Semper aperta per amorem, & promptitudinem exaudiendi, & succurrendi; unde merito omnes illius servi dicere possunt cum Sponsa: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, cur B. Virgo Lunæ comparetur, & pulchra ut Luna dicatur. 1. Quia, sicut Christus Sol seu luminare majus, ita ipsa Luna velut luminare minus vocatur. 2. Sicut Luna omne lumen a Sole accipit, ita ipsa respectu ad Christum omnem suum splendorem accipit, quia videlicet est mater ejus. 3. Quia & Luna splendore reliqua sidera, ita ipsa omnes Sanctos dignitate superat. 4. Quia ut Luna plena erat omnibus gratiis, hinc Angelus ei dicebat: Ave gratia plena. 5. Quia ut Luna exercebat Dominatum in sublunaria per influentias suas. Hinc rectius quam Judæi & Saraceni Lunam materialem, Christiani hanc Lunam spiritualem salutant, adorant, & omni studio venerantur. Vide citat. titul. §. 10. numer. 9.

PRO FESTO S. MATTHÆI.

I. *Vidit hominem sedentem ad telonium, Matthæum nomine.* Matth. 9. Proponi potest omnibus Peccatoribus in exemplum S. Matthæus, & dici: Aspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est. Ostendatur itaque 1. qualis status fuerit S. Matthæi ante conversionem, quomodo propterea ipse non desperaverit; pro quo vide tit. Deus §. 10. & 12. 2. qualis fuerit status illius in conversione, scilicet quod statim secutus sit Christum vocantem, & telonium dimiserit: unde discant Peccatores non differre pœnitentiam; pro quo vide tit. Pœnitentia. 3. Qualis fuerit post conversionem, quod scilicet impleverit illud S. Augustini: Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi; hinc antea divitias amabat, postea paupertatem; antea injustitiam, postea justitiam; antea mala opera, postea bona; antea odium Dei, & proximi, postea amorem. Vide totum tit. Pœnitentia, & præcipue tres illius gradus §. 1.

II. *Sequere me.* Matt. 9. Potest ostendi suavitas & efficacia vocationis divinæ, quæ in tribus eluxit. 1. Quod tam *benigne* vocarit, non respiciendo priorem statum S. Matthæi: ubi proderit exemplum de Monacho converso ex hoc motivo narrare, tit. Pœnitentia. 2. Quod *potenter* vocaverit, efficiendo, ut mox telonium tantopere amatum relinqueret, ubi ostendenda consuetudinis potentia, ut magis potentia gratiæ eluceat. Vide tit. Consuetudo, & tit. Gratia. 3. Quod *suaviter* vocarit, scilicet per internam illustrationem, per quam amorem Dei erga se, & beneficia agnovit, & sic tam benignum Deum offendere amplius noluit. Excitentur proin Auditores, ut & ipsi experiri velint efficaciam vocationis divinæ, & illud Psalmistæ Ps. 94. sibi applicent: Hodie si vocem ejus audieritis, &c.

III. *Non veni vocare justos, sed peccatores,* Matth. 9. Potest afferri triplex motivum ad agendam pœnitentiam, quod velut funiculus triplex difficultem frangi potest, nempe æquitas, utilitas, & securitas pœnitentiæ; de qua vide tit. Pœnitentia.

IV. *Et surgens secutus est eum.* Matth. 9. Possunt afferri excusationes Peccatorum, ob quas plerumque pœnitentiam differunt, & tum exemplo S. Matthæi, tum efficacibus rationibus refutari; pro quo scopo vide tit. Pœnitentia.

V. *Misericordiam volo, & non sacrificium,* Matth. 9. Potest Misericordiæ exercitium commendari, eumque in finem 1. Natura illius describi, quem in finem serviat tit. 95. V. Misericordia. §. num. 1. & 2. 2. Modus eamdem exercendi explicari, qui ibid. num. 3. videri potest.

VI. Ex occasione ejusdem thematis dicere potest Concionator, se audax facinus in præsenti concione commissurum esse, nimirum Auditores ad fœnerandum incitaturum, cum tamen

men Christus S. Matthæum inde abstraxerit: perrecturum, se tamen in proposito, & tanto laudabilior est fœneratio, quam persuasurus est, ea nempe, quam jam olim Salomon Prov. 19. commendaverit, dicens: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Ostendatur ergo, quomodo fœneratio ista peragenda, & quas ob causas; pro quo vide tit. 95. §. 11. n. 8. Ubi etiam plures Conceptus de Misericordia reperiuntur.

VII. Ex occasione thematis: *Sequere me*: Matt. 9. ostendi potest causa, cur S. Matthæus Christum tam celeriter secutus sit, quia nimirum vox illius erat vox potentis, sapientis, amantis, præmiantis, quas voces plerumque libenter sequuntur homines; quem conceptum fusius explicatum vide tit. Obedientia, §. 13. n. 7.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quam recte dixerit Siracides c. 23. quod magna gloria sit sequi Dominum, quia servire Deo regnare est; nam in hac vita, teste Seneca: Rex est, qui metuit nihil, Rex est, quique cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat: in altera vita vero regnum cælorum, in quo est omnis mali absentia, omnis boni præsentia, & utriusque perpetua indesinentia. Inferatur proin, quam optandum sit duplex hoc regnum, quamque adeo propter illud Christus libenter sequendus.

IX. Ex themate: *Surgens secutus est eum*: indicari possunt potissima impedimenta, ob quæ multi Christum sequi detrectant. Nimirum 1. Quia tenet eos inveterata consuetudo, quæ est altera natura; unde, teste S. Chrysostomo, nihil tam firmum est in rebus humanis, quam veteris consuetudinis tyrannis. 2. Amor possessionum; uti expertus est adolescans ille Evangelicus, qui, quia multas habuit possessiones, Christum sequi renuit. 3. Horror difficultatis & labor certaminis, qui teste Thoma Kemp. præcipue impedit a profectu & ferventi emendatione vitæ. Qua re ostendendum, quomodo hæc impedimenta removenda sint; de quo vide tit. Consuetudo, & Mortificatio, & Divitiæ.

X. Ex occasione thematis: *Misericordiam volo, & non sacrificium*: ostendi potest, cur Deus misericordiam tantopere velit, nimirum 1. Quia Patri cælesti similes facit, juxta illud Christi Luc. 6. Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est. 2. Quia sibi factum putat Deus, quod uni ex minimis præstatur; unde quo liberaliores nos erga ipsum ostendimus, tanto liberaliorem ipse se vicissim exhibet. 3. Quia dilectionem mutuam a Christo tantopere commendatam conservat; hinc Christus in processu judicii descripto solius misericordiæ rationem habiturum se dixit: Excitentur proin Auditores, ut hoc triplici vinculo adstricti, totos se misericordiæ addicant. Vide tit. Misericordia.

XI. Ex eodem themate potest ostendi ratio, cur tam pauci misericordiam ament & exerceant, nimirum quia excusatos se putant. 1. Quod ipsimet nihil habeant. 2. Quod census minuatur per eleemosynas. 3. Quod nullum effectum sentiant. 4. Quod liberis & amicis servare bona sua debeant. 5. Quod in morte dare velint. Quas omnes excusationes ut frivolas refutare oportet, ut tit. cit. §. 11. n. 4. videre licet.

XII. Ex eodem themate ostendi potest modus misericordiam exercendi, nimirum 1. ut mundo corde offeratur. 2. ut cum bona intentione. 3. ut cum hilaritate, hilarem quippe datorem diligit Deus. 4. ut cum celeritate. Qui enim cito dat, bis dat. 5. ut cum liberalitate, juxta monitum Tobiæ: Quantum potueris, esto misericors. 6. ut cum constantia fiat. Quas omnes conditiones vide explicatas cit. tit. §. 10. n. 3.

PRO FESTO S. MICHAELIS.

1. QUis putas major est in regno cælorum? Matth. 18. Ostendendum, quod S. Michael merito supremus inter Angelos censeatur ob tres causas. 1. Quia præ reliquis seipsum vicit, subjiciendo se Deo, quod ipsi utpote digniori longe difficilius erat, quam alicui inferiori; hanc autem victoriam esse causam majoritatis, colligitur ex noto illo: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. 2. Quia præ reliquis plus amavit Deum & æstimavit dicendo: Quis ut Deus? unde dicere poterat: Amor meus, pondus meum; Charitatem autem esse mensuram dilectionis, in tit. Charitas demonstratum est. 3. Quia præ reliquis officium altius accepit, scilicet ut esset protector totius Ecclesiæ, officium autem sequitur honor & æstimatio; unde Auditores excitandi, ut magni faciant S. Michaelem, ut colant, ut ejus protectioni se committant. Vide tit. Angelus, & tit. Humilitas.

II. *S. Michael Arcangele, veni in adjutorium populo Dei*. In Breviario. Narrari potest, quod Matt. 15. legitur de Jeremia, quod scilicet prius Onias de illo dixerit: Hic est Fratrum amator &c. & ipse Judæ gladium aureum dederit, dicens: Accipe sanctum gladium &c. quæ omnia S. Michaeli applicari possunt, dicique, quod gladius iste aureus nihil sit, quam verba illa, quibus S. Michael Luciferum vicit: Quis ut Deus? Ostendatur itaque, quomodo illo uti debeant Auditores 1. Contra mundum, quando hic ad sibi serviendum invitat; Quis ut Deus? tam bonus, tam sapiens, tam potens, qui servitium æque præmiare soleat? 2. Contra carnem, si ad voluptates invitat: Quis ut Deus? qui tam sinceras, honestas, constantes voluptates offerat? 3. Contra diabolum ad superbiam & ambitionem incitantem: Quis ut Deus? tam magnus tantopere honorans suos, & veros honores tribuens? Vide tit. Deus, & tit. Mundus.

III. *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit*. Matth. 18. Explicari potest natura scandali, & quomodo parvulorum præcipue scandalum sit vitandum. 2. Quanta damna inferat ipsis scandalizatis, quibus causa peccatorum & suppliciorum plurimorum existit: Reipublicæ, cujus membra corrumpit: Cælo, cui plurimos incolas subducit, atque adeo etiam honorem & gloriam subtrahit. Vide tit. Peccatum.

IV. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum:* Matth. 18. Ostendendum, in quo parvuli imitandi, nempe in innocentia; nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cælorum. 2. In humilitate, ut neque nos ipsos magnificiamus, nec ab aliis magnifieri desideremus. In simplicitate, ut alios non judicemus &c. Vide tit. Humilitas, & Judicium temerarium.

V. *Quicumque susceperit parvulum talem in nomine meo, me suscipit*. Matth. 18. Ostendatur in primis, quomodo parvuli, vel alii homines suscipi debeant in nomine Christi, scilicet propter ipsum varia illis beneficia conferendo, quocirca aliqua ea operibus misericordiæ enarrari possunt. Deinde ostendatur, quantum fructum & solatium ex tali exercitio reportaturi sint Auditores, si meminerint se omnia Christo facere, & perinde præmiatum iri, ac si Christo in propria persona exhibita fuissent. V. tit. Misericordia, & Dilectio proximi.

VI. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*. Matt. 18. Commendari potest oculorum custodia, & 1. ostendi, quanta damna ex oculorum neglecta custodia exorta sint. 2. Quanta commoda afferat oculorum custodia. 3. Quæ media ad hanc custodiam adhibenda sint. Præcipue autem id, quod a Silvano adhibitum est, dicente: Si ad aliquid inordinate videndum invitamini, claudamini oculi mei, & ad meliora gaudia vos servate. V. tit. Oculorum custodia.

VII. Ex occasione thematis: *Angeli enim eorum in cælis vident semper faciem Patris mei*. Matt. c. 18. potest in primis ostendi gloria S. Michaelis, ut qui in locum supremi olim Angeli substitutus sit. Deinde vero causa hujus gloriæ ostendi, scilicet victoria sui, de cujus victoriæ excellentia reliqua in parta concionis tractetur; pro quo conceptu videri possunt tituli da Abnegatione & Mortificatione.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quo præcipue medio supremum inter Angelos gradum obtinuerit S. Michael, nempe 1. Quia Christum præ aliis agnovit, & confessus est. 2. Quia eidem se præ aliis subjecit. 3. Quia præ aliis illum specialiter honoravit. Unde & Auditores excitentur ad hæc tria officia erga Christum exercenda, ut a Deo exaltari mereantur.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, cur S. Michael specialiter a Christianis honorandus & colendus sit, nempe 1. propter Deum, quem S. Michael præ cæteris Angelis amavit, & coluit, quod beneficium pluris æstimare debemus, quam si nobis fuisset collatum. 2. Propter Matrem Ecclesiam, cujus specialis custos & defensor est. 3. Propter ipsius personam, quia, sicut dignior est omnibus aliis Angelis, ita etiam præ illis honorari meretur. 4. Propter beneficia hominibus concessa (dum summum illorum hostem Luciferum vicit) & adhuc concedenda in morte, dum animas nostras Judici sistit, eumque conciliat, easque in Patriam paradisi perducit; unde cum magna fiducia invocandus per verba Ecclesiæ: S. Michael Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

X. Ex occasione thematis: *Quis putas major est in regno cælorum?* ostendi potest humilitatem esse illam virtutem, ob quam quis præ aliis exaltari mereatur, juxta illud Christi: Qui se humiliat, exaltabitur. Deinde ostendi potest, quomodo S. Michael præcipuum humilitatis actum exercuerit, qui est subjicere se Deo, cujus actus natura, æquitas, & excellentia fusius declaretur, tum ex iis, quæ tit. Humilitas dicuntur, tum ex Alphonsi Rodriq. p. 2. tr. 3. c. 30. 31. & 33.

XI. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te:* potest dici, quod hæc sententia locum habeat non tantum in oculis, sed reliquis etiam sensibus, ut qui frequenter adeo scandalizant, id est, inducunt homines ad peccandum, ut merito de illis dici queat: Mors ascendit per fenestras, quod inductione facile probari potest. Deinde ostendatur, quomodo hi sensus erui, seu mortificari per mortificationem debeant; de quo vide tit. Mortificatio, Oculorum custodia, Luxuria, Gula, & Ebrietas. Item Julium Tantium de Mortif.

XII. Ex occasione thematis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris:* ostendi potest, quomodo ii, qui aliorum curam gerere debebant, in eodem Angelos imitari debeant. Et 1. quidem eam cum summa promptitudine suscipere, etiam si unus tantum, isque vilissimus vel rudissimus committatur. 2. Omnem conatum in ea gerenda adhibere, & non desecere, etiam si fructus non sequatur; nihil autem de propria perfectione perdere. 3. Non tristari ob frustraneum laborem, æquali quiete curam relinquere, quam suscepit, fructum omnem Deo adscribere. Vide plura suo loco.

PRO FESTO SS. SIMONIS, ET JUDÆ.

I. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Joan. 15. Potest dilectio proximi commendari, & in prima parta ostendi, quomodo diligendus sit proximus; pro quo videatur tit. 44. Vide Dilectio proximi §. 10. n. 1. In secunda parte ostendatur, cur diligendus sit, scilicet ob triplicem causam, de qua agitur l. c. §. 13. n. 6.

II. Ex eodem themate ostendi potest fructus dilectionis per notum axioma: Concordia res parvæ crescunt; discordia maximæ dilabuntur; & in prima parta ostendi, in quo consistat vera concordia. In secunda, quomodo ea faciat crescere in bonis temporalibus, spiritualibus, æternis; de quo vide tit. 44. §. 13. n. 3. & totum §. 2. & 3.

III. Ex eodem themate declarari potest modus juvandi proximum, scilicet precibus, exemplo, opere, veluti triplici funiculo qui difficulter rumpitur; de quo vide l. c. §. 13. n. 5. & cit. §. 2. & 3.

IV. Ex eodem ostendi potest modus, & commoda dilectionis ex comparatione triplici membrorum, ut scilicet caput se recte habeat erga membra, membra inter se; quam comparationem propositam vide tit. 44. §. 12. n. 9. Deinde etiam ostendatur fructus ex hac constitutione membrorum oriri solitos, scilicet sanitas

tas (qua nihil est optabilius) mutuum auxilium, jucunditas vitæ; de quibus vide §. 2. 3. & 4. dicti tituli.

V. *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit*. Joan. 15. Ostendatur, quomodo se in omnibus casibus adversis, præsertim in persecutione bonorum temporalium famæ, & corporis per tormenta vel plagas solari debeant exemplo Christi, & illud pro Myrothechio (*fur ein Balsam Buchslein*) habere. In secunda parte ostendatur, quale robur, & solatium per hoc exemplum sint reportaturi; pro quo scopo videatur tit. Passio Christi, & Exemplum.

VI. *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Joan. 15. Ostendi potest 1. quantus sit favor, & gratia, si quis a Christo electus sit, ut sit amicus, & cohæres illius, id quod tum ex dignitate Personæ, cum qua amicitia contrahitur: tum ex magnitudine gloriæ & felicitate, quæ ex hac amicitia oritur, demonstrari potest; pro quo vide tit. Beatitudo, & tit. Gratia. In secunda parte ostendi potest, quomodo tristari non debeant ob varias persecutiones, eo quod hoc sit signum electionis, & prædestinationis ad vitam æternam, atque adeo in mente semper habere debeant illud Christi Matth. 6. Beati estis, cum maledixerint &c.

VII. Ex occasione thematis: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit:* Joan. 15. potest causa ostendi, cur mundus odio habeat sectatores Christi, scilicet, quia ut Impii Sap. c. 2. dixerunt: Inutilis est nobis, contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ; quæ quatuor capita fusius deduci possunt, simulque ostendi in secunda parte, quam longe alia olim in die judicii universalis dicturi sint, nimirum: Hi sunt, quos habuimus in derisum, &c. Sap. 5. ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Vide plura c. tit.

VIII. Ex occasione thematis: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*: ostendi potest triplex titulus, cur persecutiones quisque libenter tolerare debeat, nimirum 1. quia non est servus super dominum. 2. Quia non est discipulus supra magistrum. 3. Quia non est creatura super Creatorem; qui omnes tituli non difficulter fusius explicari & non modice ad persecutiones fortiter tolerandas excitari possunt. Vide in Bibl. tit. Patientia. Item Auctarium eod. tit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod nostra vita sit velut Academia, in qua discitur ars amandi Deum; unde sicut in Academiis doctiores ad publicam disputationem admittuntur, in qua variis oppugnantes constituuntur, quibus in fine gratiæ aguntur pro optimis, & doctissimis argumentis; ita id ipsum in hac vitæ Academia fieri solere, unde persecutiones pro magno beneficio habendæ, & gratiæ potius agendæ, quam indignatio concipienda. V. tit. cit.

X. Ex occasione ejusdem tituli in memoriam revocari potest sententia Christi Matt. 5. prolata: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Ostendatur ergo cur copiosa sit, nempe 1. Quia famæ rerum omnium pretiosissimæ jactura patienter toleratur. 2. Quia Deo defensio famæ cum magna fiducia committitur. 3. Quia per tales persecutiones homo Christo similior redditur, ut qui semper habuit contradictores, ut ipse quondam S. Virgini fassus est. Vide tit. cit.

XI. Ex occasione thematis: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis:* ostendi potest, quomodo exemplum Christi sit efficacissimum medium ad persecutiones fortiter tolerandas. 1. Quia ostendit, non mirari, nec tristari nos debere ob tales persecutiones, cum Christus ipse ut caput nostrum liber ab illis non fuerit, ut qui positus erat in signum contradictionis. 2. Quia ostendit modum tales persecutiones sufferendi, quem ipse indicavit dicens: Obmutui, & non aperui os meum, cum consisteret peccator adversum me. 3. Quia etiam fructum talium persecutionum fortiter toleratarum ostendit, dum dixit, copiosam fore mercedem in cælis. Vide Fabrum conc. 4.

XII. Ex occasione thematis: *Si opera non fecissem, peccatum non haberent:* ostendi potest, quomodo opera Christi omnem excusationem sint ademptura, cur pie non vixerimus. 1. Quia erant opera communia ad facilem imitationem ordinata. 2. Quia erant opera miraculosa, doctrinas a Christo datas efficaciter confirmantia. 3. Quia erant opera utilissima, ad summam beatitudinem in hac, & altera vita acquirendam ordinata; quæ tria capita merito quemvis ad imitationem provocare debeant, cum homines opera longe viliora plerumque imitari soleant. Vide Thom. Kemp. lib. 3. cap. 3.

PRO FESTO OMNIUM SANCTORUM.

I. BEati estis. Matt. 5. Ostendi possunt causæ, cur hoc Festum institutum, & cum magna lætitia, & devotione celebrandum sit; quas vide tit. 128. V. Sanctorum cultus §. 11. n. 10. In secunda ostendi potest, in quo lætitia & devotio ista consistat, nempe ut Deo gratias pro gloria ipsis collata agamus; ut ipsis gratulemur ex animo suam felicitatem; & tandem ut ipsos frequenter & ferio invocemus, eumque in finem variis obsequiis demereamur; pro quo scopo vide cit. tit. §. 1. 2. 3. & 4.

II. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Ps. 150. Explicari potest modus, quo Sancti Cælites colendi sunt scilicet corde, ore, re; de quo conceptu vide tit. 128. §. 11. num. 1. & §. 10. n. 3.

III. *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes in honore Sanctorum omnium*. In Missa. Explicari possunt rationes, ob quas omnes Sancti simul sumpti in Patronos eligendi, & præcipuo studio colendi sint; de quo vide l. c. §. 11. n. 10. & 11. & §. 10. n. 1. & 2.

IV. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*. Ps.

Ps. 138. Potest honor a Deo omnibus Sanctis exhibitus per similitudinem honoris olim Esther. 6. Mardochæo ab Assuero Rege exhibiti explicari, & salutares inde doctrinæ erui; de quo vide tit. 128. §. 51. n. 2.

V. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo*. Matth. 5. Ostendi potest magnitudo beatitudinis, quam Sancti in cælis obtinuerunt; de qua vide tit. 17. V. Beatitudo. §. 11. n. 7. & §. 2. & 3. Deinde quomodo Sancti ad hanc felicitatem pervenerint, scilicet per arctam portam tribulationum, quoniam per multas tribulationes, &c. Act. 14. Vide tit. 128. §. 15. n. 8.

VI. *Cum palma ad regna pervenerunt Sancti*. In Breviario. Dici potest, non sine mysterio, Christum, cum Jerusalem ingressus est, turbam cum palmis obviantem habuisse, ut ostenderet nempe, neminem cælestem Jerusalem ingressurum, nisi palmam in manibus haberet; hinc etiam Apocal. 7. cum palmis in manibus conspecti sunt. Palmæ autem tales victoriæ signum sunt. Unde potest ostendi, quomodo Sancti Mundum, Carnem, & Diabolum vicerint, aut certe quomodo victoriam sui, omnium victoriarum præstantissimam de seipsis obtinuerint; de qua vide dict. tit. 128. §. 11. n. 6. ubi etiam plures conceptus de hac materia reperiri possunt.

VII. Ex occasione thematis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* Matt. 5. explicari potest primarium motivum, propter quod omnes Sanctos colere debemus, quia videlicet ipsi sine intermissione Deum honorant, laudant, & amant intensissime, quoad omnes vires; quæ obsequia, cum Deum plus, quam nos amemus, pluris facere debemus, quam si nobis fuissent exhibita; cum ergo, si nobis exhibita essent illa obsequia, æquissimum judicaremus, ut vicissim illos indesinenter coleremus, laudaremus, & amaremus, multo magis nunc faciendum. Ostendatur ergo modus hoc faciendi, si scilicet omnia opera nostra post Dei gloriam ad ipsorum quoque honorem ordinemus, & hac ipsa de causa cum omni diligentia faciamus; nam, ut recte quidam dixit, Sanctorum est cultus gratissimus optima vita, quia hic cultus est *purissimus*, utpote omni peccato carens: *amplissimus*, quia universas nostras actiones complectitur: & *constantissimus*, quia diu noctuque sine intermissione durans.

VIII. Ex eodem themate ostendantur rationes ex ipsis Sanctorum qualitatibus petitæ, ob quas ipsos specialiter venerari, & familiaritatem cum ipsis contrahere debeamus. Si enim, teste experientia, vehementer amamus, & libenter conversamur cum personis sapientibus, pulchris, & amabilibus, Sanctis, & magna dignitate ac potentia pollentibus, ob quam nobis multum prodesse possint, quidni, & Sanctos, qui omnes has qualitates in excellenti gradu possident, singulariter quoque amare, & magnam cum illis familiaritatem contrahere studeamus? Probetur ergo, Sanctos his qualitatibus eximie præditos esse, uti apud Fabrum conc. 4. in Auctario seu Sylva nova videre licet.

IX. Ex eodem themate ostendatur ingens utilitas, quam ex constanti Sanctorum cultu nos ipsi percipimus, scilicet quod hoc modo omnes Sancti sunt futuri spectatores, Advocati, & Protectores nostri, id quod fusius probandum erit, simulque inferendum, quantam inde in actionibus nostris perficiendis alacritatem, in precibus persolvendis fiduciam, in adversis tolerandis constantiam simus acquisituri, ut merito Sancti Basilii sententia solari nos possimus dicentis: Paratum hoc est Christianis auxilium, Ecclesia videlicet martyrium, & aliorum Sanctorum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpe laborastis, sæpe operam dedistis, ut unum pro vobis orantem inveniretis, quadraginta (imo innumeri sunt) hi unam orationis emittentes vocem, ubi enim sunt duo congregati in nomine Domini, ibi Deus est; ubi vero quadraginta (& innumeri) fuerint, quis dubitet, Deum esse præsentem, & preces exaudientem?

X. Ex occasione thematis: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* ostendi potest magnitudo hujus mercedis per quinque fontes, ex quibus nascitur beatitudo scilicet 1. Ex loci amœnitate, & amplitudine. 2. Ex societate Sanctorum tam multorum, tam concordium, tam speciosorum. 3. Ex oblectatione sensuum. 4. Ex corporis gloriosi dotibus. 5. Ex visione, & fruitione Dei: ut merito dæmon olim fassus sit, se si unico momento frui hac beatitudine liceret, libenter omnia inferni tormenta usque ad diem judicii toleraturum. Vide tit. Beatitudo, & Sanctorum cultus; Item Fabrum conc. 7. in Dom. 2. Quadrag. & conc. 3. in hoc festo.

XI. Ex occasione thematis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: ostendi potest, quos affectus hoc Festum in nobis excitare debeat, nimirum 1. *Affectum desiderii*; nam, teste S. Cypriano, magnus illic nos charorum numerus exspectat, Parentum, Fratrum, Filiorum frequens nos, & copiosa illic turba desiderat; jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. 2. Affectum *spei*, quo speremus, eamdem nos beatitudinem consecuturos. 3. Affectum fortitudinis, & patientiæ in laboribus, & tribulationibus perferendis; non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam; unde Sancti nos illis Siracidis verbis alloquuntur: Videte oculis vestris, quia modicum laboravimus, & invenimus nobis multam requiem. 4. Affectum *perseverantiæ*, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Videatur Faber in Auctario vel Sylva nova conc. 5.

XII. Ex occasione ejusdem thematis resolvi possunt tres principales quæstiones, sine quarum resolutione stare non potest invocatio Sanctorum, Nimirum 1. An sciant nostras preces, & miserias? & resolvatur affirmative cum S. Gregorio: Quid enim illi non vident, qui omnia videntem vident? An possint nos juvare? & iterum resolvatur affirmative, si enim in terris potuerunt, quidni magnis in cælis? 3. An velint succurrere? & resolvatur, du-

dubitari non posse ; nam, ut Sanctus Bernardus recte advertit , cum putredine carnis non exuunt se visceribus pietatis, nec sibi induerunt stolam gloriæ , ut nostræ pariter miseriæ oblivionem induerent. Non est terra oblivionis, quam anima Sanctorum inhabitat ; non terra laboris , ut occupentur in ea ; non denique terra , sed cælum est. Numquid cælestis habitatio animas , quas admittit , indurat , aut memoria privat , aut spoliat pietate?

PRO COMMEMORATIONE FIDELIUM DEFUNCTORUM.

I. *Miseremini mei , miseremini mei ; saltem vos amici mei.* Job capit. 19. Possunt explicari potiora motiva ad misericordiam animabus Purgatoriis præstandam excitantia ; quæ vide tit. *69.* V. Misericordia erga defunctos, §. 10. n. 1.

II. *Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Matth. 25. Probari potest, animabus Purgatorii propterea etiam strenue , & prompte succurrendum esse , quod hæc misericordia sit unum ex certioribus signis prædestinationis ad vitam æternam certius, citius , & copiosius obtinendam ; de quo vide tit. *96.* §. 10. n. 4. & 5.

III. *Miseremini mei , miseremini mei , saltem vos amici mei.* Job 19. Potest ostendi , quam vere dicantur animæ defunctorum miseræ, seu pauperes *die arme Seelen*, quia scilicet in gravissima necessitate sunt constitutæ, & seipsas juvare non possunt ; unde explicetur hæc earum necessitas ex pœnæ gravitate , de qua vide tit. Purgatorium. In secunda postea parte ostendatur, quomodo ipsis succurrendum sit triplici genere bonorum operum , oratione scilicet, eleemosyna, & jejunio seu operibus pœnitentiæ. De quo vide tit. *96.* §. *9.* n. 2, §. n. *9.*

IV. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4. Ostendi potest , quomodo Auditores animas piscari debeant, quem conceptum vide l. c. §. 10. n. 10.

V. *Date , & dabitur vobis.* Luc. *6.* Potest ostendi perfectissimus modus succurrendi animabus, scilicet mensuram bonam , confertam , coagitatam , & supereffluentem dando in sinum earum , uti tit. *96.* §. 1. n. *9.* & §. 10. n. 14. ostenditur. In secunda parte ostendatur , quomodo ipsæ vicissim sint daturæ mensuram bonam , impetrando benedictionem in temporalibus confertam , impetrando augmentum virtutum, & meritorum coagitatam , impetrando felicem mortem, & liberationem a purgatorio supereffluentem , impetrando insigne augmentum gloriæ , de quibus vide tit. *70.* §. 4. varias historiolas.

VI. *Sancta ergo , & salubris est cogitatio , pro defunctis exorare.* Ostendi potest , quantopere dæmon impedire conetur auxilium animabus Purgatorii præstandum per varias objectiones, quæ proinde refutandæ sunt. Vide tit. *96.* §. *9.* n. 4. §. 10. n. 13. ubi etiam plures ejusmodi conceptus reperiri possunt.

VII. Ex occasione thematis : *Venit hora, & nunc est ; quando mortui audient vocem filii Dei.* Jo. c. 5. potest Purgatorium piscinæ Probaticæ , & animabus languentibus ibi detentis comparari , atque adeo suaderi , ut Auditores sint homo, qui eas juvet, ut tandem a languore suo curentur; de quo conceptu videatur tit. Misericordia erga Defunctos §. 10. n. *6.* & Faber conc. 2.

VIII. Ex eodem themate ostendatur acerbitas pœnarum Purgatorii ex pœna damni , pœna sensus, duratione incerta, quamque adeo immisericordes sint , qui juvare negligunt , cum tamen facile possint. De quo conceptu videatur eod. tit. §. *7.* & seqq. & tit. Purgatorium. Item Faber conc. 3.

IX. Ex eodem themate ostendantur motiva ad succurrendum animabus , videlicet necessitas, æquitas , & facilitas hujus succursus ; de quo vide cit. tit. Item Fabrum conc. 4. & in Auctar. seu Sylva nova conc. funebri 18.

X. Ex eodem themate ostendi potest præstantia eleemosynæ animabus præstitæ , quia 1. exhibetur summe indigentibus. 2. Quia Sanctis, & Deo charis. 3. Res præstantissima , scilicet beatitudinis adeptio. 4. Ex bonis, quibus ipsi indigemus. 5. Affectu maximo. De quo vide tit. *96.* §. *9.* n. 3.

XI. Ex eodem themate ostendatur , quod sive nos convertamus supra nos ad Deum, & Sanctos, quibus hæc misericordia est gratissima : sive infra nos ad animas purgantes, quæ sunt imago, & templum Dei, fratres, & commembra nostra, indigentissimi pauperes : sive extra nos hostes undique nos oppugnantes : sive intra nos ad nosmetipsos , qui certius , citius, & copiosius beatitudinem per hanc misericordiam obtinemus ; undique urgemur ad succurrendum animabus; de quo vide tit. *96.* §. *7.* & 10. n. 1. & Fabrum in Auctar. conc. funebri & *19.*

XII. Ex eodem themate ostendantur media inutilia ad subsidium animarum , nempe , ut S. Augustinus ait, pompa funebris , agmina exequiarum , sumptuosa diligentia sepulturæ , monumentorum opulenta constructio (adde lacrymæ amicorum) viventium sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. Offerantur itaque horum loco alia efficaciora subsidia , qualia sunt sacrificium Missæ , præces , opera mortificationis , jejunia , patientia in adversis , actiones quotidianæ, indulgentiæ , & similia ; de quibus vide tit. cit. & Fabrum conc. *6.* & in Sylva nova exhort. funebri 14. 15. 16. 18. & 20.

PRO FESTO S. MARTINI.

I. *Nemo accendit lucernam , & ponit eam sub modio.* Luc. 11. Potest ostendi , quomodo S. Martinus fuerit lucerna ardens , & lucens : lucens quidem luce veræ fidei & exempli : ardens vero ardore charitatis duplicis erga Deum & homines , ad quod serviet vita ejus breviter in Breviario , & fusius apud Surium descripta ; & ea, quæ in tit. Charitas & Dilectio proximi & tit. Exemplum sunt dicta.

II. *Vide , ne lumen , quod in te est , tenebræ sint.* Luc. 11. Ostendi potest, quomodo

quivis Paterfamilias exemplo S. Martini debeat esse lucerna seu lumen suæ domus. 1. quidem ut lux exsiccare & purgare omnes sordes & vitia subditorum, & occasiones tollendo. 2. Illuminando, suos qua verbis, qua exemplo bonos mores, & honestas, artes docendo, aut certe, ut ab aliis doceantur, curando. 3. Accendendo, seu efficiendo, ut Deum, & proximum sincero amore diligant; quæ omnia quomodo S. Martinus erga suos præstiterit, & quilibet Paterfamilias imitari debeat, practice ostendatur. Vide sup. cit. tit.

III. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*. Luc. 11. Ostendi potest necessitas, utilitas & jucunditas intentionis bonæ, & quomodo ex hoc capite totum corpus, seu tota S. Martini vita lucida fuerit, & laudabilis apud Deum & homines; pro quo vide tit. Intentio bona.

IV. *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Luc. 11. Potest intentio bona oculo comparari. 1. Ob necessitatem; sicut enim sine oculis homo miser est juxta notum proverbium *Ein blender Mann, ein armer Mann*; ita multo magis hoc de intentione dici potest, utpote sine qua nihil homo lucratur pro æterna vita. 2. Ob teneritudinem; sicut enim nihil est, quod in corpore humano facilius læditur, quam oculus; ita idem de intentione cum veritate dici potest, utpote quæ facillime per subrepentem vanam gloriam aut aliam malam intentionem vitiatur. 3. Ob utilitatem; sicut enim qui bonos oculos habet, magnum habet ad labores peragendos periculaque & hostes declinandos subsidium; ita qui bonam intentionem habet, cum magna alacritate & diligentia quotidianas suas actiones perficiet, & contra varias hostium tentationes se defendet, ut bene notavit Thomas Kemp. l. 3. c. 33. dicens: Quanto purior fuerit intentionis oculus, tanto constantius inter diversas iiur procellas. 4. Sicut, qui oculos bonos habet, multiplicem ex variorum objectorum visione delectationem percipit; ita & qui bonam intentionem habet, magna voluptate perfunditur, ex finis, quem intendit, & actionum, quas elicit, præstantia. Vide dictum tit. intentio.

V. *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Luc. 11. Potest malæ intentionis natura & damna explicari, & ostendi, quomodo impediat gloriam & beneplacitum Dei, salutem proximi (cum Deus talibus non assistat) & propriam, utpote qui aliquando fateri debeant cum Apostolis: Præceptor, tota nocte laborantes nihil cœpimus. Vide tit. 74. §. 11. n. 4. & §. 2. a n. 34. §. 3. a n. 46. §. 5. a n. 16. §. 7. a n. 20. & §. 13. a n. 18.

VI. *Lucerna fulgoris illuminabit te*. Luc. 11. Potest misericordia per divisum pallium, & alia opera exhibita a S. Martino commendari, & illud præcipue in considerationem trahi, quod Christus in illa veste ipsi apparens dixerit: Hac me veste Martinus vestivit; unde ostendi poterit, quomodo illam Christi doctrinam Matth. 25. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: ob oculos semper habere, & per eam ad mansuetudinem, charitatem, & misericordiam juxta esemplum S. Martini exercendam excitare se debeant, quem in finem non parum serviet historia 44. §. 5. n. 15. tit. Misericordia.

VII. Ex occasione thematis: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit*. Luc. 11. Dicatur, inter alias causas, cur Festa Sanctorum celebrantur, præcipuam esse, ut illorum virtutes & modum vivendi imitemur, in S. Martino vero præcipue modum moriendi esse imitandum, qui in sequentibus consistebat. 1. In præparatione optima per misericordiæ exercitium; nam ut S. Hieronymus testatur, non legitur ullum male fuisse mortuum, qui libenter opera charitatis exercuerit; habet enim multos intercessores & impossibile est, multorum preces non exaudiri. 2. In perfecta resignatione; hinc dicebat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; sciebat nempe optimum esse tempus, genus, & locum mortis, quod Deus præscripsit. 3. In desiderio aspiciendi Deum, & precibus fusis, hinc assidua Deum oratione precabatur, ut se ex illo mortali carcere liberararet, & oculis ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. 4. In pugna contra dæmonem: hinc, conspecto diabolo, dicebat: Quid astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.

VIII. Ex occasione thematis: *Lucerna corporis tui est oculus tuus*: dici potest Deum imitari Principes, qui interdum certamen jaculatorium instituunt, & varia præmia proponunt scopum attingentibus: hinc sicut alii remotius alii propinquius tangunt centrum metæ, alii omnino aberrant: ita idipsum fieri in certamine isto; nam omnino aberrant, qui malam intentionem præfigunt operi; remotius tangunt metam, qui servilem faciunt intentionem; propius, qui mercenariam; proximè, qui filialem, soli Deo placere cupientes; hoc ut obtineatur, sinister oculus claudendus est, id est, omnis commodi proprii amor abesse debet: manus immota teneri, seu constantia servari. Vide tit. Intentio.

IX. Ex occasione thematis: *Si autem oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit*: potest ostendi multiplex oculus nequam. 1. Eorum, qui vanam gloriam de operibus concipiunt. 2. Qui vanam laudem quærunt. 3. Qui amorem proprium sectantur. 4. Qui aliorum facta mala interpretantur, pro quibus proin omnibus varia media præscribantur, qualia vide in tit. Gloria, Laus, Amor proprius, Judicium temerarium.

X. Ex occasione thematis: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*: ostendatur, qui ponat lucernam sub modio, nimirum 1. Qui fidem suam publice profiteri non audent. 2. Qui talentis suis, uti decet, ad aliorum utilitatem non utuntur. 3. Qui potestatem suam, ubi oportet, non exercent in vitiis subditorum corrigendis, vel puniendis. 4. Qui vires suas & gratiam a Deo communicatam ad bene vivendum non applicant, tepide viventes; quæ omnia fusius deducta vide apud Fabrum conc. 4.

XI. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus ne-*

nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit: possunt indicia malæ intentionis proponi, qualia sunt. 1. Si quis desideret sua opera in publico potius, quàm in abscondito facere. 2. Si ægre ferat, quando male succedunt. 3. Si tristetur, cum alii laudantur præ ipso. 4. Si non æque paratus sit ad vilia, quam honorifica opera. 5. Si inter opera semper distrahatur sollicitus de successu. 6. Si majori alacritate peragat opera, per quæ magnam laudem expectat. Quæ omnia quomodo corrigenda sint, ostendatur. Vide tit. Intentio.

XII. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit:* præscribi possunt media ad puritatem intentionis obtinendam, videlicet 1. Cor mundum juxta illud Ps. 50. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. 2. Charitatis divinæ studium. 3. Sæpe ponderetur, quanto præponderet solius Dei indicium & beneplacitum, omnium hominum & Angelorum judicio & laudi. 4. Assuescere, de omnibus operibus suis laudem Deo tribuere & dicere cum Davide: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. 5. Sua opera libenter abscondere: de quibus vide tit. cit.

PRO FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

I. **B***Eatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Potest narrari historia de Esther. cap. 2. Esth. & præcipue quomodo introducta fuerit in domum regiam, ut prepararetur cum puellis regiis, atque ostendi, quomodo B. Virgo se præpararit, ut fieri posset Sponsa Spiritus Sancti, id quod accurate faciebat per orationis continuæ & virtutum aliarum, præcipue humilitatis, obedientiæ, & modestiæ studium, quarum proinde virtutum aliqui actus enumerari possunt, atque eum in finem videri tituli earumdem virtutum.

II. Ex ejusdem thematis occasione ostendi potest, quomodo B. Virgo se præsentarit, & in templo obtulerit Domino. Unde 1. Ostendatur, in quo consistat Præsentatio, scilicet ut se totum arbitrio Dei quis committat, solumque illius beneplacitum requirat. 2. Quomodo hoc totum B. Virgo impleverit. 3. Quomodo ipsi quoque Auditores ad exemplum hujus virginis præsentare se debeant. Vide tit. Resignatio.

III. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Potest ostendi, quanta felicitas, & dignitas obtigerit B. Virgini per Maternitatem Dei; ob hanc enim præservata est ab originalis macula, est repleta innumeris donis gratiæ, teste Angelo Luc. 1. præservata multis periculis, ad summam post Deum dignitatem evecta, & in cælos gloriose assumpta. In secunda parte ostendatur, quomodo quivis Mater Dei effici possit, juxta illud Christi Matth. 12. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille meus Frater, Soror, & Mater est:* & quomodo etiam Auditores suo modo participare queant similes effectus. Vide tit. Hyperdulia Mariana, §. 2. & 3.

IV. *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc. 11. Potest explicari felicitas eorum, qui verbum Dei audiunt, id est, voluntatem Dei in omnibus observant & exequuntur. Ostendatur ergo, quomodo triplicem beatitudinem consequantur. 1. *in bonis temporalibus*, juxta illud Christi Matth. 6. Quærite primum regnum Dei &c. 2. *in bonis gratiæ*: quia obedientia, teste S. Gregorio, cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit; hinc & ipse Christus, quia subditus erat Parentibus, proficiebat ætate, & gratia &c. 3. *in bonis gloriæ*, quia obediens, uti luctabitur, & obtinebit victorias longe excellentiores, subjugando & captivando seipsum, & judicium suum; ita præmium quoque copiosius a Deo obtinebit. Vide tit. Obedientia, & Resignatio.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quod B. Virgo felix quidem fuerit, quod genuerit Verbum divinum, sed multo felicior, quod audierit verbum Dei, & conservaverit illud in corde suo, uti Evangelium testatur, & per inductionem aliquot exemplorum probari potest, simulque ostendi, cur & quomodo ipsi quoque Auditores verbum Dei audire, custodire, & opere complere debeant, de quo videatur tit. Verbum Dei.

VI. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Potest B. Virgo Speculo Virtutum comparari, & illa S. Ambrosii hortatio: Sit vobis tamquam in imagine &c. proponi, simulque quæ virtutes in hoc Speculo, tempore Præsentationis maxime reluxerint, ostendi; de quo videatur tit. Hyperdulia Mariana, §. 3. n. 80. seq. & §. 4. a n. 142. & §. 10. n. 18. ubi etiam plures conceptus reperire licet.

VII. Ex occasione thematis: *Beatus venter qui te portavit.* Luc. 11. ostendi potest, quod S. Anna vere beata & laudanda sit, quia ad exemplum Tobiæ senioris filiam suam ab infantia timere Deum docuit. Unde ostendatur 1. quid & quotuplex sit timor, & quomodo filialis servili, & mercenario præferendus. 2. Quomodo B. Virgo ab infantia eum exercuerit, atque adeo merito nunc ad nos dicat: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Vide tit. Timor Dei.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quam necessaria, utilis, & jucunda, honorificaque sit liberorum educatio, & quomodo ea convenienter institui queat; de quo vide tit. Educatio.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo parentes suos liberos in templo præsentare debeant. Nimirum 1. eos ad templum portando pro Baptismo, & Sacramento Confirmationis suscipiendo. 2. Eos assuefaciendo, ut libenter templa frequentent, & officiis divinis reverenter assistant. 3. Eos in templo frequenter Deo, & Sanctis commendando. 4. Laborando, ut per honestos mores, & vitam efficiantur dignum templum, & habitatio Spiritus Sancti; de quibus vide tit. cit. & tit. Baptismus.

X. Ex occasione thematis: *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*, ostendi potest, quomodo B. Virgo in templo perfectissime

sime subdita fuerit Superioribus, & ideo, sicut postea Christus ejus Filius profecerit ætata, sapientia, ac gratia apud Deum, & homines; pro quo conceptu fusius deducendo. Vide tit. Obedientia §. 13. n. 1. & seq.

XI. Ex occasione thematis: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*, ostendi potest. 1. Quas ob causas matres ipsæmet liberos suos lactare debeant post nativitatem. 2. Quod magis ipsis præbera dabeant ubera spiritualia doctrinæ, & exempli boni, ex quibus candidissimum, purissimum, & dulcissimum lac honestorum, & innocentium morum exsugant; pro quo vide tit. Educatio, & exemplum.

XII. Ex occasione thematis: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*: ostendi potest; quod triplex verbum sit cuivis Christiano audiendum. 1. Verbum Dei incarnatum, Christi doctrinam & exempla observando. 2. Verbum Dei in concionibus explicatum. 3. Verbum Dei a Superioribus propositum, imperia, & voluntatem eorum implendo. In secunda parte ostendatur, quam vera beati dici queant, qui triplex hoc verbum diligenter, & reverenter audiunt, & accurate custodiont. Vida tit. Obedientia. Verbum Dei. Christus.

PRO FESTO S. CATHARINÆ.

I. QUinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Matth. 25. Ostendi potest, non immerito S. Catharinam studiosorum, & Philosophorum maxime, Patronam agnosci, eo quod absolutissima Philosophiæ, & Sapientiæ cælestis specimina ediderit, observans exactissime duo primaria Philosophiæ præcepta; Abstine & sustine. Unde 1. ostendatur, quomodo abstinuerit a voluptatibus, divitiis, honoribus a Maximiano Imperatore promissis; & quomodo sustinuerit indigentiam, contemptus, dolores. In secunda parta ostendatur, quos fructus ex hac Sapientia retulerit, scilicet summas consolationes cælestes, summas divitias virtutum (quæ solæ veræ divitiæ sunt) & summos honores in cælis, & in terris. Vide tit. Prudentia.

II. *Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*. Matth. 25. Ostendi potest, quod per oleum hoc merito charitas erga Deum, & proximum intelligatur, utpote quæ perinde ad lumen fidei lampade conservandum apta, juxta illud S. Pauli 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, &c. Ostendatur ergo, quomodo hoc oleo lampadem suam S. Catharina impleverit, id est, charitatem suam erga Deum & proximum ostenderit, & Auditores quoque eamdam imitari, &, *Date nobis de oleo vestro*, dicere debeant. V. tit. Charitas, & Dilectio Proximi.

III. *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*. Matth. 25. Ostendi potest, quam sapienter egerit S. Catharina nuptias Maximini recusando, & Christum in Sponsum eligendo, quia erat pulchrior, sapientior, ditior, nobilior, dignior; & quomodo proin ipsi quoque Auditores eidem se per charitatem desponsara possint. Vide tit. Charitas.

IV. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*. Matth. 25. Potest ostendi, quomodo S. Catharina vigilaverit, se ad mortem disponendo per optimam, id est, voluntati Dei conformem vitam; & quomodo Auditores quoque ad eamdem se disponere debeant per simile medium; pro quo tit. Mors videri potest.

V. *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*. Matth. 25. Ostendi potest, quales fuerint nuptiæ, ad quas S. Catharina intravit, sive Sponsus, in cujus thalamum introducta fuit, sive festivitas, & gaudium, quod ex iisdem nuptiis percipiendum fuerat: sive illarum perpetuitas consideretur. In secunda parte ostendatur, cur admissa fuerit ad has nuptias, quia, scilicet, parata erat per animi puritatem, juxta illud Matth. 5. Beati mundo corde &c. & Ps. 14. Domine, quis habitabit &c. Vide tit. Beatitudo, & Mors.

VI. *Et clausa est janua*. Matth. 25. Potest Auditor ad non differendam pœnitentiam excitari, atque ad hunc finem explicari, quantum dolorem merito illæ Virgines fatuæ percepisse credendæ sint, dum verba ista, *Janua clausa est*, audiverunt: quanto majorem percepturi sint damnati, si non tantum pœnam damni per ista verba, sed etiam pœnam sensus incurrisse adverterint per verba: Ite maledicti. Ostendatur dein, quomodo S. Catharina a juventute lampadem cordis oleo charitatis impleverit, atque adeo quivis ejus exemplum imitari debeat. Vide tit. Pœnitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo*. Matth. 25. Ostendi potest, quomodo S. Catharina triplicem laureolam Virginum, Doctorum, & Martyrum assecuta sit, & quomodo æquivalentem etiam assequi queat quivis Christianus, si castitatem suo statui congruentem illibatam servat: si alios, quantum status suus permittit, instruere laboret: si tribulationes amore Dei patienter sustineat. Vide Fabrum conc. 4.

VIII. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, magnam quidem fuisse pulchritudinem S. Catharinæ corporalem, utpote quam etiam Cæsar concupierit; sed spiritualem longe præstantiorem fuisse, ita ut de illa merito dici potuarit, quod Sponsa de Sponso dixit: dilectus meus candidus, & rubicundus. Unde ostendatur, quam candida fuerit S. Catharina per candorem puritatis corporis, & animæ: & quam rubicunda per martyrium, & sanguinis effusionem.

IX. Ex occasione thematis: *Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*: ostendi potest, quam prudens fuerit S. Catharina, dum Sponsum cælestem terrestri, regnum cælorum regno mundano, voluptates cælestes, & perpetuas terrenis, & perituris præposuerit, & quibus motivis se ad hoc faciendum excitarit.

X. Ex occasione thematis: *Simile est regnum cælorum decem Virginibus*: ostendi possunt præmia Virginum a dignitate, utilitate, & jucunditate, quæ omnia facile amplificari possunt ex iis, quæ tit. Castitas sunt dicta.

XI. Ex eodem titulo occasio sumi potest potiores virtutes indicandi, quæ a virginibus ob-

observari debent quales sunt cauta, & rara cum altero sexu conversatio, amor solitudinis, solida devotio, cauta, & frequens locutio, sensuum accurata custodia, obedientia prompta, & similes; de quibus vide suo loco, & Fabrum conc. 2. in hoc Festo.

XII. Ex occasione thematis: *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo*: indicari potest, quomodo se quævis anima Christiana ad mortem parare debeat, scilicet 1. Lampadem cordis oleo charitatis divinæ, & dilectionis proximi implendo. 2. Vigilando, & adventum Sponsi in singulas horas exspectando. 3. Eundo illi obviam, id est, se ejus voluntati circa mortem plenissime resignando. Pro quo conceptu vide tit. Mors, & conc. 5.

PRO FESTO S. ANDREÆ.

I. AT *illi continuo relictis retibus secuti sunt eum*. Matth. 4. Potest ostendi, quomodo quisve vocationem suam implere debeat; nimirum 1. continuo seu statim sequendo, juxta illud Ps. 94. Hodie si vocem ejus audieritis &c. 2. retia, seu impedimenta vocationis, relinquendo, seu generose removendo. 3. sequendo, imitando scilicet Christum in voluntate Patris cælestis adimplenda, seu iis, quæ ad statum suum pertinent, perfecte obeundis.

II. *Venite post me*. Matth. 4. Potest ostendi, cur S. Andreas vocem Christi tam prompte audierit, & secutus sit, quia scilicet habebat omnes conditiones earum vocum, quas libenter audire solemus, & erat vox Personæ potentis, sapientis, amantis, præmiantis; de quo conceptu vide tit. 103. §. 13. n. 7.

III. *Faciam vos piscatores hominum*. Matth. 4. Explicari potest, quam nobilis sit piscatio animarum; 1. ob pisces, qui capiuntur, scilicet animas, de quarum præstantia vide tit. 12. V. Anima. §. 3. 11. & 12. 2. ob instrumenta piscandi, videlicet orationem, verbum, & exemplum, de quibus vide tit. 153. V. Zelus. §. 1. n. 2. 3. ob lucrum inde sperandum, seu præmium zelosis piscatoribus animarum promissum; de quo vide l. c. §. 3. a n. 27. Ostendatur dein, quomodo S. Andreas impleverit hoc officium piscatoris, & quomodo Auditores quoque eumdem pro suo statu, & vocatione imitari debeant.

IV. *Relictis retibus, & patre secuti sunt eum*. Matth. 4. Possunt proponi, & refutari impedimenta, ob quæ aliqui ægre vocem, & verbum Dei audiunt; de quibus vide tit. 103. §. 12. n. 4. & tit. Verbum Dei.

V. *Secuti sunt eum*. Matth. 4. Ostendi potest, quam perfecte S. Andreas Christum secutus sit, implendo scilicet conditiones, quas ipse Christus Matth. 16. indicavit dicens: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Declaretur ergo in prima parte, quomodo abnegaverit semetipsum; pro quo vide tit. Abnegatio. In secunda vero explicetur, quomodo sustulerit crucem suam, ita ut non solum libenter, sed etiam alacriter, & constanter eam tulerit; de quo vide tit. Patientia, & tit. Crux.

VI. Ex ejusdem thematis occasione ostendi potest, quare S. Andreas cum Christo tam hilariter crucem portaverit, quia videlicet non ad exteriorem pressuram, sed ad fructum intus latentem oculos reflexit, perinde, ac is, qui crucem ligneam, intus cavam, & auro impletam cum gaudio domum portaret; unde ostendantur, & enumerentur fructus latentes sub cruce, & tribulationibus, & probetur quam illæ dignæ fuerint, ut S. Andreas cum gaudio crucem salutaret, & susciperet, & proin etiam in hoc Auditores ipsum imitari debeant. Vide tit. Crux. §. 10. & tit. Patientia.

VII. Ex occasione thematis: *Venite post me*: possunt explicari causæ, cur S. Andreas crucem tantopere amarit, nimirum quia videbat in ea reperiri omnes titulos, ob quos alii gloriantur, & se felices putant, nempe veras divitias, dignitates, voluptates, ut adeo merito dixerit cum S. Paulo: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. Vide tit. Crux. §. 11. n. 2.

VIII. Ex eodem titulo ostendi potest, quomodo crux sit tollenda, & post Christum portanda, nimirum 1. Ardenter eam desiderando. 2. Alacriter & cum gaudio eam suscipiendo. 3. Constanter eam usque ad vitæ finem portando, exemplo Christi, descendere ex ea nolentis, etiamsi a Judæi ad id incitatus fuerit; quæ omnia quomodo S. Andreas observaverit, facile ex illius vita ostendi possunt.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, cur S. Andreas de cruce deponi noluerit, nimirum 1. Propter exemplum Christi pariter descendere nolentis. 2. Propter desiderium laureolæ martyrum assequendæ. 3. Propter amorem Dei, quo desiderabat dissolvi, & esse cum illo. Ostendatur itaque, quam pauci sint, qui ipsum in hoc imitentur; & quomodo in certis casibus optare, & petere possimus, ut deponamur de cruce. Vid. tit. Crux.

X. Ex occasione thematis: *Illi autem relictis retibus statim secuti sunt eum*: ostendi potest, quomodo quivis Christianus Christum sequi possit, & debeat. 1. Quia ab ipso emptus, & redemptus est proprio sanguine; unde locum habet illud S. Bernardi: Si totum debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & redempto? 2. Quia Christianus propterea dicitur, ut Christum sequatur. 3. Quia sicut socius passionis, & doloris fuerit, ita & gloriæ, ac honoris erit. De quibus vide tit. Christus, & Christianus.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo quivis homo omnia relinquere, & pauper spiritu esse possit, si scilicet consilium S. Pauli sequantur, & si, qui habent uxores, tamquam non habentes, & qui utuntur de hoc hoc mundo, tanquam non utentes sint, & qui divitias habent, cor non apponant; sic enim, & de Apostolis dixit S. Gregorius: Hac in re, Fratres carissimi, affectum potius debemus pensare, quam censum; & ut S. Ambrosius dicere solebat, voluntas divitem aut pauperem collationem facit, & pretium rebus imponit; hinc Eremitæ quondam dicebatur, ipsum majorem affectum habere ad suam felem, quam S. Gregorius ad omnes suas divitias, & honores

res habeat. 2. Ostendatur, quomodo etiam Christianus quilibet centuplum sperare possit, & quid sit illud centuplum; de quo vide tit. Paupertas.

XII. Ex occasione thematis: *Faciam vos piscatores hominum*: dici potest, S. Andream & socios reliquisse quidem retia materialia, non tamen spiritualia; hæc enim tanquam piscatoribus vel maxime erant necessaria. Ostendatur itaque 1. quænam sint retia spiritualia, scilicet actiones ad proximi salutem procurandam ordinatæ, quæ non debent esse ruptæ seu obiter tactæ, & suo tempore per renovationes spiritus refici. Item debent habere plumbum humilitatis, & diffidentiæ in propriis vitibus. Et suber confidentiæ in vocationis gratia. 2. Ostendatur, quomodo uti hoc reti debeat, scilicet ut ad imperium Christi ejiciatur; ad dextrum latus in verbo Dei laxetur; ut sociis annuatur ad auxilium ferendum. Vide tit. Zelus §. 12. n. 5. ubi alius modus hanc artem piscandi, exercendi assignatur.

PRO FESTO S. NICOLAI.

I. *Tradidit illis bona sua*. Matth. 25. Ostendi potest, quomodo Deus omnes res creatas homini tradiderit ad usum, juxta illud Ps. 8. Omnia subjecisti ei &c. & quomodo proin illa tria cujusdam S. Patris dicta sibi applicare debeat: Accipe beneficium, redde servitium, time supplicium, quæ proin amplius explicari, & quomodo bonis sibi traditis S. Nicolaus sit usus ad finem destinatum, id est, ad servitium Dei, ostendi. Vide tit. Amor. & tit. Deus.

II. *Euge, serve bone, & fidelis*. Matth. 25. Ostendi potest quis sit fidelis servus & quomodo omnia talis servi officia impleverit exactissime S. Nicolaus; de quo vide tit. Deus. §. 12. n. 3.

III. *Domine, duo talenta tradidisti mihi*. Matth. 25. Explicari potest, quomodo quilibet homo duo talenta, intellectum scilicet, & voluntatem, a Deo acceperit, ut per ea acquirat alia duo talenta in hac vita, scilicet cognitionem & amorem Dei, & duo in altera, visionem nempe, & fruitionem Dei; & quomodo hæc duo talenta lucratus sit S. Nicolaus, & ipsi etiam Auditores lucrari debeant. Vide tit. Amor & tit. Beatitudo.

IV. *Unicuique secundum propriam virtutem*. Matth. 25. Ostendi potest, quomodo quisque talento suo contentus esse debeat, & in primis quoad dona naturalia, puta constitutionem corporis & animi; de quo vide pulcherrimum caput in lib. de imit. Christi. l. 3. c. 22. Deinde quoad bona fortunæ; de quo vide tit. Paupertas, & tit. Divitiæ. Denique quoad conditionem status, & officii, ut meminerit, quemvis spectaculum factum esse Deo, & hominibus, atque adeo non referre, quam Personam, sed quam bene agat. Quæ omnia proin quomodo S. Nicolaus observarit; & quisque ex Auditoribus observare debeat, fusius ostendatur. Vide tit. Resignatio.

V. *Operatus est in eis, & lucratus est alia quinque*. Matth. 25. Ostendi potest, quomodo fœneratus S. Nicolaus statim ab adolescentia facultates suas pauperibus distribuendo, ita dicere cum Jobo posset: Ab infantia mecum crevit miseratio &c. Job 31. & deinceps hanc misericordiam per totam vitam continuando, id quod facile ex vita in Breviario descripta ostendi potest. Addatur, quos fructus ex hac misericordia retulerit, & quos Auditores quoque sperare possint. Vide tit. Misericordia.

VI. *Uni dedit quinque talenta, alii duo*. Matth. 25. Ostendi potest, quomodo S. Nicolaus artem eleemosynas fructuose dandi docuerit, observando scilicet 1. Personas, quæ magis egebant, ut patet in tribus Virginibus, quas dotavit. 2. Modum securissimum, nempe occulte dando, & sic observando consilium Christi Matth. 6. Cum ergo facis &c. 3. Quantitatem, dum omnia sua distribuit juxta consilium Christi Matth. 19. Si vis perfectus esse &c. Excitentur proin Auditores ad hanc misericordiam & liberalitatem imitandam, quem in finem vide tit. Misericordia.

VII. Ex occasione thematis: *Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum*: Matth. c. 25. ostendi potest, quomodo S. Nicolaus duo talenta, corporis scilicet & animæ vires, fidelissime ad majorem Dei gloriam impenderit, & alia duo, nempe propriam & alienam salutem lucratus sit; quæ omnia ex ipsius vita dilatari possunt.

VIII. Ex occasione thematis: *Euge, serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*: explicari potest, in quo fidelitas ista consistat, ut scilicet per servitium suum, non suum lucrum, sed Domini sui quærat; atque adeo cum Dei lucrum sit ipsius gloria, eam semper intactam relinquat, nihilque de ea sibi attribuat, sed cum S. David dicat: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Dein ostendatur, quomodo Deus eum super multa constituerit, dum ei beatitudinem contulit, de qua jure dicere potuit: Venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Vide tit. Beatitudo, & Inventio.

IX. Ex occasione thematis: *Tradidit illis bona sua*: explicari potest, quam laudabilem misericordiam exercuerit S. Nicolaus erga tres Virgines pauperes: dein ostendatur, quomodo quisque eum imitari possit in triplici misericordia erga pauperes, peccatores, & animas purgatorii exercendas. De quo vide tit. Misericordia erga viventes & defunctos, & tit. Zelus.

X. Ex eodem themate ostendi potest, cur suum quisque talentum bene impendere debeat, scilicet 1. Propter dantis benevolentiam & sapientiam, qua convenientissimum cuique talentum largitur. 2. Propter nostrum commodum per illa verba: super multa te constituam, indicatum. 3. Propter timorem pœnæ ob talentum male collocatum infligendæ.

XI. Ex occasione thematis: *Uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum*: ostendi poterit, cur quisque talento suo contentus vivere debeat, nempe 1. Quia Dei voluntas & dispositio sic ordinavit, quæ ut pius Author l. 3. c. 22. ait: Plus eum consolari magisque pla-

placere debet, quam omnia beneficia sibi data vel danda. 2. Quia majorem habet occasionem fidelitatis suæ ostendendæ; hinc dictum est servo: Quia super pauca fuisti fidelis. 3. Quia qui minus accepit, minus rationem reddere debet. Vide pulcherrimum caput citatum & huc applica.

XII. Ex eodem themate ostendatur, quomodo Parentes suis liberis ad imitationem S. Nicolai tres globos aureos largiri debeant, scilicet 1. Timorem & amorem Dei per observationem mandatorum Dei demonstrandum; sic enim dicere poterunt ad illos: Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & fecerimus bene. 2. Sedulitatem in scientiis & artibus, quibus vita sustentanda est, addiscendis. 3. Modestiam & civilitatem morum, ut quæ maxime Adolescentiam exornet, & per totam vitam observanda sit. Vide tit. timor Dei, Otium, & Modestia.

PRO FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.

I. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ.* Matth. 5. Potest ostendi, quale sit hoc Festum, & quantopere placeat ejus devota celebratio, & quis sit optimus modus celebrandi, scilicet per immaculatæ vitæ studium; de quo conceptu vide tit. 70. §. 10. n. 3. Item §. 3. a num. 19. & §. 4. num. 19.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo in Conceptione B. Virginis impletum sit illud Cant. 6. Sicut lilium inter spinas &c. de quo vide tit. 70. §. 10. n. 1.

III. Item quomodo verificatum sit in illa id, quod Cantic. 4. de Sponsa dicitur: Tota pulchra es &c. de quo conceptu vide l. c. n. 2.

IV. Item quomodo verificatum sit illud Gen. 3. Inimicitiam ponam &c. de quo vide l. c. n. 5.

V. Item quomodo hoc die aurora, seu potius aurea hora, ut S. Birgittæ revelatum est, exorta sit; de quo vide l. c. n. 4.

VI. Item ostendi potest, quomodo hoc Festum devotissime celebrari possit, nempe 1. Cogitatione, firmiter credendo immaculatam Conceptionem, pro quo fine possunt afferri rationes id credibile facientes. 2. Verbo, prædicando aut asserendo immaculatam Conceptionem, (id quod per officium immaculatæ Conceptionis quotidie recitatum fieri potest) eamque contra Adversariorum argumenta defendendo; prout non pauci etiam voto ad id se abstringunt. 3. Opere, seu per immaculatæ vitæ studium, qui modus, cum sit purissimus, amplissimus, & constantissimus, merito B. V. quoque gratissimus censeri potest ac debet; de quo vide tit. Hyperdulia. §. 2. 3. & 4. ubi §. 10. reperientur etiam alii conceptus ad B. Virginem pertinentes, & omnibus Festis communes.

VII. Ex occasione thematis: *Mathan autem genuit Joseph virum Mariæ:* ostendi potest & probari, B. Virginem esse sine macula originali conceptam. 1. Ex congruentiis, 2. Ex variis revelationibus. 3. Ex miraculis hunc in finem patratis. 4. Ex authoritate & unanimi consensu Doctorum, plerumque & pio affectu Fidelium. 5. Ex ratione, qua S. Augustinus & alii asserunt, B. Virgini attribui debere, quidquid sine inconvenienti tribui potest. Unde Auditores ad hoc Festum singulariter colendum excitentur. Vide instruct. 7.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, cur Festum hoc specialiter celebrandum sit; nimirum 1. Quia B. Virgo ipsa revelavit, sibi gratissimam esse hanc celebrationem, dum Clerico submerso, & a se vitæ restituto præcepit, ut in grati animi signum hoc Festum celebraret. 2. Quia per illud celebratur memoria illius privilegii, quod illi soli ex hominibus convenit; unde sicut virgini cuipiam summe placeret, si diceretur omnium pulcherrima; ita B. Virgini gratissimum fore creditur, si sine macula concepta dicatur. 3. Quia hoc ipso, quod nihil ab Ecclesia definitum sit circa hanc materiam, atque adeo liberum sit cuivis defendere hanc immaculatam Conceptionem, merito valde illi placiturum creditur, si quis ad partem magis honorificam illi se determinet, & suum erga illam affectum hoc modo clarius ostendat; ut plurimi etiam voto se ad camdem Conceptionem defendendam obligarunt.

IX. Ex eodem themate B. Virgo Esther comparari potest. 1. Quia, ut Esther, erat inter omnes mulieres pulcherrima, utpote cui in re dici queat: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. 2. Quia, ut Esther, præ aliis placuit Deo, & invenit gratiam in oculis ejus. 3. Quia, sicut Esther Assuerus, ita Deus B. Virgini dimidium regni, id est, misericordiam, servata sibi omnipotentia, non promisit tantum, sed & actu contulit. 4. Quia sicut Esther duas ancillas habuit, quarum una innitebatur, altera vestes colligebat, ita B. V. pro Ancillis Angelicam & humanam, naturam servientem habuit. 5. Quia sicut Esther Populum Judaicum, ita B. V. Christianum ab interitu liberat; unde merito hic ad eam clamat: Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris. Vide tit. Hyperdulia.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quod, sicut matres pulchræ summopere gaudent, si filios aut filias sibi valde similes habeant; ita immaculate conceptæ Virgini summe placiturum sit, si liberi sui esse pulchri studeant, & macula in iis non sit. Unde inferendum est, hunc modum obsequii illi gratissimum.

XI. Ex eodem thematis ostendi potest, B. Virginem hodie ut auroram consurrexisse. 1. Quia ut aurora est prænuntia diei & solis, ita B. Virgo erat prænuntia Christi, qui Sol est justitiæ, venturi. 2. Quia sicut aurora est mater roris, ita ipsa B. Virgo fuit Mater Christi, de quo clamabant Patres: Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum. 3. Quia sicut aurora per rorem fœcundat terram & fructus; ita & B. Virgo fœcundavit mundum per Christum. 4. Quia sicut aurora homines ad surgendum e lecto & laborandum invitat, ita B. Virgo verbo, & exemplo servos sibi devotos ad excutiendum socordiæ soporem, & labores animæ utiles, Deoque gratos suscipiendos excitat.

XII. Ex

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quod ex hoc titulo immaculatæ Conceptionis vere de illa dicatur: Qui me invenerit, inveniet vitam, triplicem nempe, corporalem per conservationem: spiritualem per gratiæ recuperationem: æternam per gloriæ adeptionem, quæ sicut ipsi præ aliis debetur, ita ipsius quoque cultoribus merito confertur. Vide tit. Hyperdulia.

PRO FESTO S. THOMÆ.

I. Noli *esse incredulus*. Jo. 20. Potest ostendi, quanta damna afferat incredulitas; nam 1. Est radix omnium peccatorum, ut jam olim S. Theresia affirmavit, & facile per inductionem suaderi potest, ita ut merito dixerit Joannes Avila, Christianos male viventes aut Hæreticorum carcere dignos esse, quia non credunt ea, quæ de futuræ vitæ gaudiis, & pœnis fides docet; aut stultorum cavea, si oempe credant ea, & tamen pergant peccando viam sibi ad cælum occludere, & ad infernum aperire. 2. Privat præsentia, & gratia Christi, qua nihil est utilius, jucundius, & optabilius, uti ex c. 7. & 8. l. 2. de imit. patet. 3. Privat facultate bene operandi, cum, qui veram fidem non habet, oculo quasi spirituali animæ careat, ac proinde nihil operari possit ad vitam æternam pertinens; quæ jactura quam gravis sit ostendatur. Pro quo vide tit. Hæresis.

II. Ex ejusdem thematis occasione potest incredulitas cæcitati spirituali comparari, & ostendi inde damna illius, ob quæ merito dicatur: *Ein blinder Mann, ein armer Mann*. Nam 1. Non secure incedit, sed in periculo manifesto est, ne a vera via ad cælum aberret. 2. Pariter in periculo est, ne in foveam inferni cadat. 3. Nihil operari potest ad salutem, ut cæcos. 4. Privatur gaudio, quod ex aspectu Cæli, & cælestium Incolarum, & ipsius Dei alii percipiunt, & ipse quoque percipere potuisset. Vide tit. Hæresis.

III. *Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis*. Jo. 20. Ostendi potest, quæ sit potissima causa incredulitatis, & hæresum, nempe quia non sociantur Apostolis, seu Ecclesiæ, Apostolicam doctrinam tenenti; unde probetur, quomodo Ecclesia hanc doctrinam semper tenuerit, & defenderit, quamque adeo merito eidem quivis firmissime conjungi, & adhærere debeat; pro quo vide tit. Fides.

IV. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Jo. 20. Potest ostendi, quam vere beati dicantur, qui veram fidem tenent, in acceptatione, exercitio, & præmiatione fidei; pro quo vide totum tit. Fides præsertim vero §. 12. n. 12.

V. *Erant Discipuli intus, & Thomas cum eis*. Jo. 20. Potest ostendi utilitas societatis bonæ, quia scilicet excitat exemplo ad bonos mores, frui facit præsentia Christi (qui in medio eorum est, qui congregati sunt in nomine suo) & singularem lætitiam affert juxta illud Psalmistæ: O quam jucundum est habitare Fratres in unum: & contra hostes defendit, quia Frater, qui juvatur a Fratre, quasi civitas firma. Vide tit. Societas.

VI. *Venit Jesus januis clausis*. Matth. 25. Possunt explicari fructus præsentiæ Christi, & ad eos participandos Auditores excitari; de quo conceptu vide tit. Deus, §. 12. n. 2.

VII. Ex occasione thematis: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*. Jo. c. 20. Ostendi potest, quod, sicut mercatores ditescere volentes in remotas regiones auri, & argenti feraces proficiscuntur, & ob hujus lucri spem omnes labores, & pericula cum gaudio tolerant, pretiosissimas merces emunt, & in iis iterum vendendis nullum tædium concipiunt, etsi totos dies in nundinis consumere debeant; Ita S. Thomas quoque has omnes conditiones studiose impleverit, dum in peregrinas regiones profectus, solas animas velut pretiosissimas merces quæsivit, & propter illas lucrandas nulli labori, imo nec vitæ & sanguini pepercit. Vide tit. Anima, Zelus.

VIII. Ex occasione thematis: *Noli esse incredulus, sed fidelis*: potest ostendi, quod recte dixerit S. Theresia: Omnes fere defectus ex defectu vivæ fidei oriri, id quod ex inductione facile probari potest, & testimonio Davidis dicentis: Dixit insipiens, non est Deus (cognoscens, judicans, puniens, vel præmians) corrupti, & abominabiles facti sunt usque ad unum. Vide tit. Deus, & Dei Præsentia.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quem fructum perceperit S. Thomas ex suo lapsu, videlicet ingentem dolorem de sua incredulitate, ingentem ruborem de sua fragilitate, & inconstantia, & ingentem fervorem in securæ confessione Fidei, usque ad vitæ, sanguinisque profusionem protracta. De quibus vide tit. Fides, Contritio. Fervor.

X. Ex themate: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, potest ostendi, quam beati, & sancti futuri sint etiam in hac vita, qui credunt viva fide quatuor has veritates. Deus ubique præsens, & omnia videt: Deus omnia sapientissime administrat, & ad suam majorem gloriam, ac nostram salutem dirigit: In Deo velut fonte omne bonum purius, recentius, abundantius reperitur: Deus, quidquid proximo facimus, sibi factum reputat. Quæ omnia ex titulo Dei præsentia facile deduci possunt.

XI. Ex occasione thematis: *Dominus meus, & Deus meus*: ostendi potest, quomodo Christus noster Deus, ac Dominus dici queat, nimirum. 1. Quia, ut Ecclesia canit, se nascens dedit socium. 2. Quia convescens se dedit in edulium. 3. Quia se moriens dedit in pretium. 4. Quia regnans se dabit in præmium, quorum beneficiorum magnitudo facile fusius amplificari potest ex tit. Eucharistia, Passio Christi, Beatitudo. Item ex Fabro in sylva nova th. 3.

XII. Ex occasione thematis: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum*: potest ostendi, quem fructum vulnera Christi afferant, si corporaliter, vel spiritualiter per considerationem intellectus attingantur, quod videlicet 1. Excitent amorem, dum pro nobis ea passum videmus. 2. Excitent dolorem de peccatis, dum tantopere per ea

ex vulneratum summum nostrum benefactorem pensamus. 3. Excitent fervorem in tolerandis adversitatibus; non enim sentit sua vulnera miles, dum ducis sui vulnera intuetur; pro quo conceptu dilatando vide tit. Vulnera, & Myrrhæ fasciculum P. Vincentii Caraffæ.

PRO FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

I. NAtus est vobis hodie Salvator. Luc. 2. Ostendi possunt causæ duæ potissimæ, propter quas natus est Christus, scilicet ut per passionem nobis aperiret cælum, & per vitæ suæ exemplum ostenderet brevissimam, certissimam, & securissimam viam ad cælum. Unde utraque hæc causa fusius ostendenda, & quomodo eumdem imitari debeant Auditores, demonstrandum. Vide tit. 23. V. Christus. §. 3. a n. 24. & 30.

II. *Evangelizo vobis gaudium magnum*. Luc. 2. Ostendi potest, quomodo de Christo multo verius, quam de B. Virgine dici queat: Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit universo mundo, scilicet Deo Angelis, Patribus in Limbo, Animabus Purgatorii, Hominibus, quia scilicet his omnibus natus est Salvator; unde excitandi Auditores ad gaudium, gratitudinem, & Christi merita per bonam vitam applicanda. Vide cit. titul. §. 11. num. 6.

III. *Et peperit Filium suum primogenitum*. Luc. 2. Potest ostendi, quis sit optimus modus suum amorem erga Christum ostendendi, si videlicet illum tractemus, ut B. Virgo eum tractavit, concipiendo, generando, pannis involvendo &c. quæ omnia fusius proposita vide citat. titul. Christus §. 11. n. 5.

IV. Ex ejusdem thematis occasione potest ostendi, quomodo consuetudo natales dies magnorum Principum celebrandi observari debeat erga Christum, & in prima quidem parte demonstrari, cur hic dies præ reliquis festive celebrari debeat, nimirum quia summus Dominus natus est, dein quia natus est nobis, id est, in nostrum commodum, & totius generis humani. In secunda parte ostendi potest, quomodo debeamus celebrare, nempe concipiendo gaudium magnum, & congratulationem, instituendo certamen (*Turnier.*) contra vitia nostra, & passiones per confessionem, & feriam emendationem, sumendo convivium magnificentissimum Eucharistiæ, excitando ignes missiles variarum ardentium precum, quibus sane modis Deum, & Angelos, & homines recreabimus. Vide tit. cit. §. 11. n. 7.

V. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Luc. 2. Potest ostendi, quomodo Angeli canere potuerint, Christum venisse ad pacem mittendam, cum tamen ipse postea dixerit: Non veni pacem mittere, sed gladium; & resolvatur, eum non venisse ad pacem falsam, quam mundus dat, ut ipsemet Joan. 14. resolvit, sed ad pacem veram, quæ oritur ex eo, quod gloria, & voluntas Dei in omnibus quæratur, & adimpleatur, quæ proin amplius explicanda. Vide tit. Pax. & cap. 25. l. 3. de imit. Christi.

VI. *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*. Luc. 2. Potest dici, olim Hebræos habuisse hunc morem, ut si tristitia quæpiam eos invasit, mox se mutuo excitantes dixerint: Eamus ad Filium Mariæ, ut hilares fiamus, eo quod Christus etiamnum adolescens parvulus tam amabilis fuerit, ut solo aspectu suo aspicientes exhilararit. Dicat ergo Concionator, se quatuor turmas hodie ad Præsepe adducturum, & facturum, ut hilares fiant, quarum prima est pauperum; secunda infirmorum; tertia contemptum patientium; quarta peccatorum: ostendat ergo, quomodo singulæ hæ turbæ Christum in præsepio aspicere, & ejus exemplo solari se debeant. Vide cit. tit. Christus.

VII. Ex occasione thematis: *Natus est vobis hodie Salvator*. Luc. 2. declarari potest triplex Nativitas Christi. 1. Æterna, quæ admiranda, veneranda, gratulanda est. 2. Nativitas temporalis, quæ cum magno gaudio celebranda, cum singulari devotione, & gratitudine peragenda. 3. Nativitas spiritualis per vitæ emendationem, quæ Christo gratissima est, quia est cultus purissimus, amplissimus & constantissimus, facitque, ut Christi Nativitas suum finem, & fructum obtineat; unde hæc Nativitas maxime suadenda. Vide Fabrum in hoc Festo conc. 3.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod tres præcipue Personæ hodie singulariter gaudere debeant. 1. Peccatores, quibus natus est Salvator. 2. Justi, quibus natus est hodie magister. 3. Tristes & afflicti, quibus hodie natus est consolator. Qui tres tituli proin fusius, & cum emphasi explicandi erunt. Vide titul. Christus. Pœnitentia.

IX. Ex occasione thematis: *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*: dici potest, sicut olim S. Augustinus de cruce dixit, quod non sit tantum lectulus morientis, sed etiam cathedra docentis; ita hoc ipsum etiam de præsepio dici queat. Ostendatur itaque, quomodo tres principales virtutes, quas P. Balthassar Alvarez e Societate Jesu tres comites Christi vocabat, paupertatem scilicet per indigentiam, humilitatem per contemptum, patientiam per dolores docuerit; pro quo conceptu vide Fabrum conc. 4. & 7.

X. Ex occasione thematis: *Gloria in excelsis Deo*: ostendi potest, quanta cum gratitudine hoc festum sit celebrandum. 1. Quia Deo summa gloria inde obvenit, tum per Christi vitam, tum per Christi imitatores Christianos. 2. Quia humana natura per Incarnationem supra omnes Angelos exaltata est. 3. Quia humano generi Salvator natus est, multo beneficentior, quam fuerit Josephus Salvator Ægyptius, quia a graviori jugo liberavit, frumentum nobilius præparavit, sapientius gubernavit.

XI. Ex occasione thematis: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; ostendatur 1. In quo consistat vera pax animi, scilicet in hoc, ut nihil contra voluntatem accidat. 2. Ostendatur, quomodo hæc pax per voluntatem bonam, id est, voluntati divinæ conformem, obtineatur. 3. Quomodo Christus hanc pacem attu-

attulerit, dum ab infantia voluntatem suam cum divina conformare docuit. Vide tit. Resignatio, & Pax.

XII. Ex occasione thematis: *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est:* explicari possunt circumstantiæ Nativitatem Christi comitantes. 1. Quis ad nos venit? 2. Ad quos venit? 3. Quomodo venit? 4. Ad quem finem venit? quæ omnia fusius explicata vide apud Fabrum in Silva conc. 1.

PRO FESTO S. STEPHANI.

I. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.* Act. 6. Potest ostendi, qualia prodigia fecerit S. Stephanus, nempe sequentia tria. 1. Quod veritatem tam aperte dixerit, quam quia vix ullus, aut certe paucissimi dicere audent, merito prodigii loco haberi potest. 2. Quod lapides tam alacriter exceperit, ut Ecclesia de eo canat, quod dulces eidem fuerint. 3. Quod inimicis tam generose ignoverit. Ostendatur ergo fusius, quam grandia fuerint hæc prodigia, & quomodo Auditores ea imitari debeant. Vide tit. Fortitudo, & tit. Dilectio inimici.

II. *Ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt.* Act. 7. Potest dicere Concionator, se paradoxum in hac concione probaturum, scilicet quod S. Stephanus se vel maxime de inimicis vindicaverit, nempe per dilectionem eorumdem; quæ est honestissima, & efficacissima, & longissime durans ultio; de quo vide tit. 44. §. 12. n. 6.

III. Ex eodem themate probari potest, cur S. Stephanus tam ferventer oraverit pro inimicis, nempe quia consideravit exemplum Patris æterni, Christi, Sanctorum, puta Davidis, & similium, aliaque motiva sibi proposuit; de quibus vide tit. cit. §. 10. & tit. 43. §. 7.

VI. *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Act. 7. Potest ostendi qualem sibi imaginatus sit Christum. Nempe. 1. Ut Magistrum dilectionis inimicorum. 2. Ut Agonothetam seu Spectatorem. 3. Ut Remuneratorem; & ideo tam fortiter certaverit, & odium inimicorum vicerit. Vide cit. tit. 44.

V. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Ecclesia in Breviario. Ostendi potest, quid lapides hos ipsi dulces fecerit, nempe 1. Amor Dei, de quo vide tit. Charitas. 2. Amor Christi, de quo vide tit. Christus. 3. Amor inimicorum, de quo vide tit. Dilectio Inimici. Amor sui ordinatus attendens præmium offerendum; de quo vide tit. Beatitudo.

VI. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Ps. 20. Ostendi potest, quam pretiosa fuerit corona S. Stephani ex lapidibus tribulationum facta. 1. Quia per hanc coronam summe placebat Deo, Christo, & Beatis in cælo. 2. Quia ob eam etiam summam laudem, & honorem apud homines promeruit. 3. Quia per eam regnum cælorum, & beatitudinem comparavit. Vide tit. Patientia, & tit. Beatitudo.

VII. Ex occasione thematis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini:* Matth. 23. ostendi potest, quam vere dicere potuerit S. Stephanus cum S. Paulo: Bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ &c. quamque nobilis hæc fuerit corona propter victoriæ difficultatem, quam reportavit de se ipso, de inimicis, de Diabolo, Pro quo conceptu vide tit. Dilectio inimicorum.

VIII. Ex eodem themate ostendantur motiva, cur inimicos exemplo S. Stephani diligere debeamus scilicet 1. Quia conducit ad placandum Deum juxta illud: Dimittite, & dimittemini. 2. Quia conducit ad placandum inimicum, quem sæpe conciliatum fuisse per talem condonationem, variæ sententiæ Doctorum, & historiæ testantur. 3. Quia conducit ad se ipsum placandum, id est, odium & cupiditatem vindictæ, quæ hominem maxime inquietum reddunt, deponendum, plerumque animo pacem restituendam. Vide citatum titulum.

IX. Ex eodem themate proponi possunt excusationes, ob quas homines fere impossibile judicant, injuriam dimittere, quarum 1. desumitur ex injuriæ gravitate. 2. Ex personæ vilitate aut ingratitudine. 3. Ex aliarum personarum, quibus injuria cognita est, & qui timidum judicabunt, si non ulciscatur, respectu. 4. Ex propriæ famæ conservandæ necessitate. 5. Ex naturali ad vindictam sumendam inclinatione, ut in ipsis bestiis patet; quæ omnes excusationes solide refutentur, prout cit. tit. §. 11. n. 5. videre est.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo difficultas ignoscendi possit tolli, inspiciendo exempla aliorum, præcipue Dei, Christi, S. Stephani, & aliorum Sanctorum, & Ethnicorum; ex quorum consideratione tria hauriuntur commoda, quorum primum est correctio phantasiæ, qua creditur tam difficilis vindictæ omissio. Secundum salutaris rubor, quod leviora dimittere nolimus, cum ipsi tam graves offensas dimiserint. Tertium generosus impulsus ad injuriæ oblivionem, cogitatione, verbo, & opere suscipiendam. Vide cit. tit.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Deus S. Stephanum ad talem pugnam fortiter suscipiendam animarit, scilicet cælos apertos ostendendo; ex quo probetur, unum ex efficacissimis signis prædestinationis ad vitam æternam esse dilectionem inimicorum, ut facile pluribus S. Scripturæ, & SS. Patrum, historiis probari potest.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quam vere S. Stephanus Protomartyr dicatur, nimirum 1. Quia primus Novi testamenti Martyr post Christum fuit. 2. Quia pulcherrimum posteris exemplum præbuit, quomodo se erga persecutores gerere debeant. 3. Quia, dum cælos apertos vidit, ipso hoc facto confirmavit SS. Martyrum privilegium, quod recte, & sine purgatorio ad cælum ascendant. Excitentur proin Auditores ad hoc exemplum, saltem per martyrium spirituale, corporali martyrio quidem mitius, sed diuturniate longius, & crudelius, fortiter sequendum.

PRO

PRO FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

I. *Vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus*. Joann. 21. Ostendi potest, quare Christus S. Joannem tantopere dilexerit, nimirum, 1. Ob castimoniam corporis. 2. Ob vitæ innocentiam. 3. Ob fiduciam singularem Ad quas virtutes imitandas excitentur & ipsi Auditores. Vide tit. Castitas & Charitas.

II. *Scimus, quia verum testimonium ejus*. Joann. 21. Potest ostendi, non immerito S. Joanni Aquilam appingi, eo quod, sicut nulla avis oculis suis magis inspicere potest Solem; ita & ille præ cæteris Evangelistis altius de Divinitare scripserit, utpote qui etiam supra pectus Domini recubuit, & fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. Dein ostendatur, ob quam causam sic intueri Solem, id est Deum, potuerit, quia scilicet mundum cor habebat, hinc in illo impletum: Beati mundo corde &c. Excitentur ergo Auditores, ut & ipsi huic munditiei studeant, ut in hac & alterá vita Deum clarius videre mereantur. Vide titul. Deus, & Fabrum conc. 5.

III. *Recubuit in cœna super pectus ejus*. Joann. 21. Ostendatur in primis, quid sit supra pectus Christi recumbere, nimirum caput suum cordi Christi, seu voluntati ejus conjungere & unire, seu clarius, voluntatem suam voluntati ejus conformare. Dein ostendatur, quomodo S. Joannes non tantum materialiter, sed etiam moraliter dicto modo recubuerit super pectus ejus: & tandem quem fructum inde reportaverit, scilicet summam & jucundissimam quietem ac tranquillitatem animi. Excitentur proin Auditores, ut sicut Joannem propterea felicem judicarunt, quia super pectus Domini recubuit; ita hanc ipsam felicitatem per conformationem voluntatis suæ cum divina participare studeant. Vide tit. Resignatio.

IV. *Tu me sequere*. Jo. 21. Ostendi potest, quomodo S. Joannes Christum secutus sit. 1. In vocatione, relictis retibus, & Patre. 2. In consolatione in monte Thabor. 3. In passione, nempe ad montem Oliveti & Calvariæ; & postea in exilium, in martyrium, saltem intentatum. 4. In gloria, ut verificatum fuerit illud: Sicut socius passionis erit, ita & gloriæ. Vide tit. Passio Christi, & l. 2. c. 11. de imit.

V. *Valde honorandus est B. Joannes*. Ecclesia in Breviario. Ostendi potest, cur honorandus sit B. Joannes, nempe ob triplicem laureolam, Virginum, Doctorum, Martyrum, quæ proin quomodo illi convenerit, ostendendum: quomodo item suo modo Auditores harum laureolarum fructum participare queant. Vide tit. Castitas & Patientia, & tit. Verbum Dei.

VI. *Quid ad te? tu me sequere*. Joann. 21. Ostendi potest, cur de alienis factis & moribus judicandis solliciti esse non debeamus, quia talis solicitudo *vana* est (utpote ad nihil conducens) *injusta*, dum invadimus jurisdictionem alienam scilicet Judicis supremi: *noxia*, quia lædit Deum, proximum, nos ipsos, dum a melioribus & utilioribus cogitandis & prædicandis abstrahit. Vide lib. de imit. 3. c. 24. In secunda parte ostendi potest, quomodo quivis sequi debeat Christum dicentem: Veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Vide tit. Obedientia.

VII. Ex occasione thematis, *Vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus*. Joann. 21. cap. possunt ostendi causæ, propter quas S. Joannes rantopere a Christo dilectus sit, nimirum 1. Ob pulchritudinem animæ, ratione cujus candidus & rubicundus dici poterat. 2. Propter fiduciam singularem, quam erga Christum multis documentis ostendit. 3. Propter teneriorem amorem, quo Christum prosecutus est. Incitentur proin Auditores ad hos modos promerendi Christi amorem pariter adhibendos. Vide Fabrum conc. 4.

VIII. Ex eodem themate afferri possunt rationes, cur S. Joannes specialiter a nobis diligendus & honorandus sit; nimirum 1. Quia illum singulariter diligebat Jesus, unde & nos in hoc conformari ipsi debemus. 2. Quia ipse vicissim specialiter diligebat Jesum, quem amorem nos perinde, imo pluris æstimari debemus, ac si nobis exhibitus esset. 3. Quia clariorem nobis de divinitate & humanitate notitiam per Apocalypsim suam communicavit. 4. Quia nostro nomine sub cruce stans B. Virginem in matrem accepit, atque adeo peculiari titulo Frater noster est.

IX. Ex eodem themate ostendatur, cur tanta rerum cælestium notitia illi sit communicata, ut pro symbolo illi Aquila appingatur, nimirum, quia cum, teste Christo, beati sint mundo corde, quoniam Deum videbunt, hanc munditiem S. Joannes peculiariter semper procuravit, & custodivit. Ostendantur proin media ad eam exemplo S. Joannis procurandam.

X. Ex occasione thematis: *Quid ad te?* potest ostendi multiplex curiositas hominum in rebus ad se non pertinentibus scrutandis; nimirum 1. In rebus fidei, & judiciis divinis examinandis. 2. In aliorum moribus & factis judicandis. 3. In rebus inutilibus & noxiis videndis, vel audiendis. 4. In futuris rebus indagandis; pro quibus omnibus efficacia media proponantur, illud maxime Christi præscriptum: Tu me sequere. Vide Fabrum conc. 4.

XI. Ex occasione thematis: *Hic autem quid?* dicatur hanc quæstionem sat crebro a multis male usurpari, hodie tamen non male de cæremonia vini in honorem S. Joannis benedicendi moveri; quare ostendendum 1. Unde ortum duxerit hæc consuetudo. 2. Ob quem finem benedicatur, scilicet. 1. In honorem Dei & S. Joannis. 2. In signum fraternæ dilectionis. 3. In sanitatem nostram, ut per merita & intercessionem S. Joannis ob omni damno, quod per vinum creari posset, custodiamus; quæ omnia exemplis confirmare oportet.

XII. Ex occasione thematis: *Recubuit super pectus Jesu:* potest ostendi quantus honor fuerit: deinde quomodo & Auditores illum per singularem dilectionem & fiduciam ad Chri-

ftum participare queant, de quo vide tit. Charitas & Spes. Item Fabrum in Sylva them. 15.

PRO FESTO SS. INNOCENTIUM.

I. EX occafione thematis: *Mittens occidit omnes pueros*. Matth. c. 2. oftendi poffunt caufæ, cur Deus Innocentium cædem permiferit; nimirum. 1. Ob Chrifti dignitatem & manifeftationem. 2. Ob gloriam Dei, quæ non modice augebatur ex tot victimarum gratiffimarum oblatione. 3. Ob bonum Infantium, ne adultiores facti perirent. 4. Ob correptionem parentum, qui noluerunt Meffiam natum agnofcere. Vide Fabrum in hoc Fefto concil. 6.

II. Ex occafione thematis: *Surge & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*: poteft obedientia S. Jofephi commendari, uti & B. Virginis ob tres caufas. 1. Quia erat *prompta*, dum ftatim furrexit. 2. Quia erat *cæca*, & non inquirens, cur Deus non alio modo Chriftum cuftodierit. 3. Quia erat *fortis*, nullam difficultatem prætendens; de quibus vide tit. Obedientia, & Fabr. conc. 6. n. 2.

III. Ex eodem themate oftendi poteft, quod mali focii adolefcentiam fcandalizantes plus noceant, quam fatellites Herodis. 1. Quia ifti tantum corporalem, illi fpiritualem vitam adimunt. 2. Quia fatellites pueros publice, focii vero occulte, & fraudulenter perimunt. 3. Quia fatellites femel dumtaxat, focii fæpius occidunt. 4. Satellites biennes dumtaxat occiderunt, fed hi adultiores, quod magis dolendum. 5. Satellites tantum infantibus nocuerunt, focii mali etiam Parentibus & confanguineis. Unde monendi Parentes, ut mature fubducant liberos talibus fociis; ipfi liberi vero, ut ftudiofe fugiant.

IV. Ex occafione thematis. *Mittens occidit omnes pueros*: oftendi poteft Innocentium preces valde Deo gratas effe ob triplicem titulum. 1. Quia puro corde offeruntur. 2. Quia ut alii Martyres, fanguinem fuum profufum cum precibus offerunt. 3. Quia valde multi funt; impoffibile autem eft, multorum preces non exaudiri. In altera parte oftendatur, a quibus præcipue invocandi fint, videlicet. 1. Ab Adolefcentibus, quia, cum in hoc ftatu jaciantur fundamenta futuræ vitæ, hi præ aliis indigent auxilio, quod Innocentes illi, utpote fimilibus, libenter præftabunt. 2. A juventibus, quia hic ftatus propter calorem internum, vigorem corporis, infidias lenonum, Diaboli oppugnationem, parentum conniventiam, ætatis licentiam, majori periculo innocentiæ perdendæ fubjectus eft. 3. A Parentibus, ut SS. Innocentes gratias impetrent pro noveliis arboribus rite colendis, & tamquam exercitus eorum liberos ab hoftibus, qui adolefcentiæ maxime infidiantur, protegant; unde hortandi Auditores, ut huic exercitui ftipendium quotidiani cultus, & precum diligenter perfolvant.

V. Ex eodem themate dicatur, morem, quo Infantes *auffkindlet werden*, non omnino reprehendendum, eo quod per illum innuatur, correctionem liberis neceffariam effe; unde oftendatur neceffitas, utilitas, & modus hujus correctionis, qui in tribus præceptis confiftit, nempe ut opportune, fuaviter, efficaciter fufcipiatur; de quo vide tit. Ordinatio.

VI. Ex eodem themate oftendi poteft, quomodo Satellites Herodis infernalis dignofci poffint, videlicet ex caputiis teftis (*Neblkapp*) nam 1. aliqui nigra habent, qui ad nocturnas graffationes, & levitates invitant. 2. Alii rufa (*leibfarb*) qui ad carnis illicitas voluptates alliciunt. 4. Alii viridia cum ftraminea corona, qui ad compotationes incitant. 4. Alii difcoloria, qui varia axiomata perverfa inftillant. Qui omnes cur, & quomodo fugiendi fint, oftendendum. Vide tit. Educatio; & Societas.

PRO FESTO DEDICATIONIS TEMPLI.

I. HOdie falus domui huic facta eft. Luc. 19. Poteft oftendi, cur dedicatio inftituta fit, nempe ob tres caufas. 1. Ut memoriam recolamus beneficiorum per templum, & in templo collatorum. 2. Ut debitas pro iis gratias agamus. 3. Ut veniam petamus negligentiarum in templo tali commiffarum, & defectus tales fincere emendare ftudeamus; qui quidem defectus enumerari poffint, nempe negligentia in eo frequentando, in cultu divino ibidem recte peragendo in Miffa, in verbo divino rite audiendo, in Sacramentis fructuofe fufcipiendis. Vide tit. Sacramentum & Sacrificium, & Verbum Dei.

II. *Hodie in domo tua oportet me manere*, Luc. 19. Poteft oftendi, quomodo dedicatio digne celebrari poffit, fi fcilicet mens noftra, quæ eft templum Dei, denuo dedicetur divinis ufibus. In prima ergo parte oftendatur, quomodo antiquum ædificium, v. gr. lupanar, hofpitium, taberna deftrui, id eft, præterita confuetudo deponi debeat. In fecunda, quomodo non nifi divina officia, id eft, opera ad honorem Dei peracta celebrari debeant. Vide tit. Intentio bona, & tit. Confuetudo.

III. *Hodie falus facta eft huic domui*. Luc. 19. Poteft oftendi, quomodo poffit quivis pro dedicatione jucundum convivium Deo, Sanctis, Amicis, fibi parare, illud nempe, de quo Salomon Prov. 15. dixit: Secura mens quafi juge convivium. Oftendatur ergo, quomodo bona confcientia lætificet Deum & Sanctos, & proximos, & maxime feipfum, ante, in, & poft mortem, & quomodo hoc convivium Zachæus Chrifto inftruxerit. Vide tit. Confcientia. §. 12. n. 3.

IV. *In domo tua oportet me manere*. Luc. 19. Oftendi poteft, quomodo fequi quifque debeat confilium S. Auguft. dicentis ferm. 252. de tempore: Quotiefcumque Fratres chariffimi, altaris vel templi feftivitatem colimus, fi fideliter, ac diligenter attendimus, & fancte, ac jufte vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum nobis fpirituali ædificatione completur. Demonftretur ergo, Quomodo 1. dedicatio prima celebrari debeat, deputando nos ipfos totos divino cultui. 2. Quomodo annua dedicatio fieri debeat, per renovationem annuam, in qua agamus gratias pro beneficiis collatis, petamus veniam negligen-

gen-

gentiarum commissarum, novum concipiamus propositum divino servitio, & cultui nos totos mancipandi. 3. Quomodo dedicatio extraordinaria, seu reconciliatio fieri debeat post pollutionem templi factam per peccatum mortale. Vide tit. Pœnitentia, & Instruct. 7. pro Festo dedicat.

V. *Hodie salus domui huic facta est*. Luc. 19. Potest in primis indicari præstantia templi Salomonici, & probari ex impensis in id factis, de quibus dixit David 1. Paralip. c. 29. Ego autem totis viribus &c. ex magnitudine, Opus enim grande est &c. ibid. ex elegantia, quia auro undique ornatum fuerat. Deinde ostendatur, quanto præstantius templum sit anima easdem circumstantias spectando, quantoque adeo id magis Majestas Dei sit impletura, & preces in eo exauditura. Inde inferatur, quanta cura sit hoc templum mundum custodiendi, laus Dei in illo celebranda, ad illud confugiendum, &c. Vide tit. Oratio.

VI. *Hæc est domus Domini*, Eccles. in Breviar. Ostendi potest, quando ad Ecclesiam recurrere debeamus, tunc nempe, quando ad domum materialem recurrimus. 1. Quando aliqua re indigemus. 2. Quando pluviæ ingruunt. 3. Quando cibum sumere volumus. 4. Quando hostis nos persequitur. 5. Quando quiescere, & dormire volumus; quæ omnia in sensu spirituali domui, sacræ seu templo accommodari possunt; de quo vide Instruct. 7. pro festo Dedicat. ubi plures conceptus reperies.

VII. Ex occasione thematis: *Hodie salus facta est huic domui*. Luc. 19. doceri potest ars bene administrandi familiam (*Wolzuhausen*) quinque doctrinis comprehensa; quarum prima est: Reddite, quæ sunt Dei, Deo, Secunda: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, seu Proximo. Tertia: Date, & dabitur. Quarta: Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Quinta: Fac quod tuum est, Deus faciet, quod suum est. Quas doctrinas vide fusius explicatas in Instr. 7.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, qualis Ecclesia sit domus. 1. *Ein Bethaus*, 2. *Ein Proviantshaus*, quia ibi cibus animæ per conciones, & Sacramentum Eucharistiæ porrigitur. 3. *Ein Lazarethauss*, quia ibi morbi animæ per confessionem, aliaque media curantur. 4. *Ein Wachthauss*, quia ibi anima reperit fortissimum præsidium. 5. *Ein Lusthauss*, quia in templo reperit animæ summas animi delicias. 6. *Ein Rathhauss*, ad quam, sicut Moyses, pro divino responso confugimus. 7. *Ein Wohnhauss*; tamquam palatium summi Regis, in quo proin audientia apud Deum, variaque dona impetrari possunt; de quibus vide dictam Instruct. 7. fol. 221.

IX. Ex eodem themate ostendatur, quare & quomodo in templo se gerere quisque debeat, nempe 1. Quia recte novit vivere, qui recte novit orare. 2. In oratione observetur monitum S. Davidis Ps. 46. monentis: Psallite Deo nostro per linguam *distincte*: per memoriam *attente*; per intellectum *intelligenter*: per voluntatem *ardenter*: per corpus *reverenter*: Vide tit. Oratio.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Auditores perpetuam dedicationem habere possint, & semper læti esse, si scilicet voluntatem suam cum divina conformare studeant, uti Christus ipse S. Catharinæ Senensi ostendit in Dialogo cum ipsa instituto, quem vide tit. Resignatio.

XI. Ex occasione thematis: *Hodie oportet me in domo tua manere*: potest ostendi, quomodo Christo ex voluntate divina gratissimum convivium instrui possit; hanc quippe gratissimum sibi cibum esse, ipse Christus ostendit dicens: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Quod autem optimum sit convivium, probatur 1. Quia continet epulas fictitias (*Baschaveffen*) non enim licet tangere, & examinare voluntatis divinæ justitiam. 2. Continet *Hauptspeissen*, quia satiat, nutrit, augmentat, & roborat, ut cibi solidi. 3. Continet bellaria dulcia (*Confect*) id est singularem animo lætitiam, & quietem affert. De quibus effectibus vide plura tit. Resignatio. Item Instruct. 2. f. 237.

XII. Ex eodem themate possunt abusus, qui in dedicatione intervenire solent, indicari, & reprehendi. 1. Quia Templum Dei, id est animas plurimi Baccho, & Veneri consecrant. 2. Quia loco templi frequentantur hospitia, nec orationibus vacatur. 3. Quia loco renovationis interioris renovantur peccata, & mala proposita peccandi, & varias alias absurditates, & fraudes committendi. 4. Quia loco eleemosynarum, quibus pauperes hoc die recreare deceret, pecunia in convivia superflua, & lusus impenditur. Ut ergo a talibus abusibus Auditores tanto diligentius abstineant, ostendatur, quantam ex illis injuriam Deo, & Sanctis, quanta quoque, & aliis damna creent.

lum cordis sui per sinceram confessionem, & contritionem; ideo enim ab Ecclesia color violaceus, qui est signum tristitiæ adhibetur, & illa S. Pauli verba occinuntur: Fratres, hora est, jam nos de somno surgere; abjiciamus ergo opera tenebrarum. 3. *Orationi* ardentius insistendo: ideo enim, & ab Ecclesia plures hoc tempore Missæ cantantur, & longiores in Breviario preces præscribuntur. 4. *Operibus bonis* sedulo vacando, eaqua juxta exemplum Christi cum majori diligentia obeundo; sic enim Ecclesia monet, ut arma lucis arripiamus, & Christum induamus. Vide Fabrum conc. 1. in Dom. 2. Advent.

PRO DOMINICA II. ADVENTUS.

I. *Quid existis videre? arundinem vento agitatam?* Matth. 11. Ostendi potest, quam inconstantes sint homines, maxime si tribulatio ingruat, atque adeo merito comparentur arundini, a vento, & aquis tribulationum, agitatæ. In secunda dein parte ostendatur, quomodo se firmare debeant per virtutem constantiæ; de qua vide tit. Perseverantia, varia media.

II. *Quid existis videre? hominem mollibus vestitum?* Matth. 11. Potest luxus vestium reprehendi, & dissuaderi, ob quadruplex damnum. 1. Ob prodigalitatem pecuniarum. 2. Ob prodigalitatem temporis in apparandis, & induendis vestibus. 3. Ob prodigalitatem famæ, quæ plerumque non modicum detrimentum patitur. 4. Ob prodigalitatem innocentiæ vel gratiæ. Pro quibus vide tit. Tempus, & tit. Fama, ac Gratia.

III. *Quid existis videre?* Matth. 11. Potest de contemptu Mundi, & rerum creatarum institui concio, & occasio ex illis Thomæ Kemp. l. 1. c. 20. verbis sumi: Quod potes alicubi videre, quod potest diu sub Sole permanere &c. eum in finem adducatur exemplum Salomonis c. 2. Eccles. omnia enarrantis, in quibus putabat, se felicitatem inventurum, & inde concludatur; si tantæ divitiæ, honores, & voluptates satiare non potuerunt cor Salomonis, quanto minus particula aliqua satiatura sit? In secunda ergo parte ostendatur, quomodo hæc omnia multo perfectius in Deo velut fonte reperiantur, & claudatur hæc probatio illis S. Anselmi verbis: Quid vagaris multa, o homo, quærens bona corporis, & animæ? quære unum bonum, quod est omne bonum, & sufficit. Vide tit. Concupiscentia, & Mundus.

IV. *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Matth. 11. Potest de scandalo agi, & natura, ac diversitas scandalorum proponi, ac ostendi, quam facile homines scandalizari soleant, quamque adeo merito beatus dici queat, qui numquam scandalizatus est in aliis. Vide tit. Exemplum.

V. *Præparabit viam tuam ante te.* Matth. 11. Potest ostendi, quam viam paraverit S. Joannes, scilicet viam pœnitentiæ, eo quod hæc sit via certa ad cælum; via trita seu ab omnibus Sanctis usurpata; via secura, quia nullis periculis, & insidiis hostium obnoxia; pro quo vide tit. Pœnitentia.

VI. *Cum audisset Joannes in vinculis.* Matth. 11. Possunt afferri causæ, ob quas Deus justos variis tribulationibus, & persecutionibus exerceri permittat; & quod propterea magna cum patientia, & alacritate excipi debeant; de quo vide tit. Patientia.

VII. Ex occasione thematis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* potest examen particularis judicii explicari, & 1. quidem ostendi, quanti momenti sit, cum in eo de ascensu in cælum, vel descensu in purgatorium, vel infernum agatur. 2. Quam rigidum sit, utpota in quo ad omnes quæstiones circa actiones, & cogitationes nostras respondendum erit. 3. Quænam sint quæstiones proponandæ; videlicet quomodo Deum & proximum dilexerimus, vocationi nostræ responderimus; quam solicite, & studiose proin ad has quæstiones nos præparandi. Vide Fabrum conc. 2.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo nos ad Christi adventum in particulari judicio præparare debeamus. Videlicet 1. *Lumbos præcingendo*, id est, concupiscentias domando, & sic a vitiis abstinendo. 2. *Lucernas ardentes* bonorum operum in manibus gerendo. 3. *Exspectando* Domini adventum, id est paratam semper ad moriendum voluntatem præseferendo. De quo conceptu vide tit. Judicum, §. 12. n. 4.

IX. Ex occasione thematis: *Pauperes evangelizantur*: ostendi potest, cur Deus tot pauperes in hoc mundo vivere permittat, nempe 1. propter majorem suam gloriam. 2. Propter humani generis conservationem. 3. Propter instructionem, & utilitatem divitum. 4. Propter utilitatem ipsorum pauperum. Ex quo quadruplici fine pulchræ, & utiles doctrinæ erui possunt, uti apud Fabrum conc. 4. videre est.

X. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo pauperes in paupertate sua se solari possint. 1. Exemplo Dei, qui ante Mundi creationem nihil habebat, hinc altissima paupertas vocatur. 2. Exemplo Christi summam paupertatem eligentis. 3. Exemplo Religiosorum voluntariam paupertatem voventium. 4. Exemplo Ethnicorum, qui, ut philosophari commodius possent, ultro paupertatem amplexi sunt; de quibus vide Fabrum conc. 4. & cit. Paupertas.

XI. Ex Occasione thematis: *Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi*: ostendi potest, quare Deus Sanctos homines tot tribulationibus affligi permittat. Nimirum. 1. Propter correctionem filialem. 2. Propter Magistralem probationem, ut ostendant profectum in virtute. 3. Propter amorem amicalem, eo quod ipsos secum habere, & olim gloriosiores reddere velit; da quibus vide tit. Patientia.

XII. Ex eodem themate osteodi potest, quam optanda sint vincula tribulationum. 1. Quia nos alligant Deo, cui magis unimur, & gratiores efficimur. 2. Quia nos alligant Christo, cui similtores hoc modo evadimus. 3. Quia nos colligant cum Sanctis; qui omnes per multas tribulationes intrarunt in regnum cælorum. 4. Quia nos alligant proximo, dum auxilia ab iisdem petimus, & accipimus.

5. Alligant nos persecutoribus, & inimicis, ut nostram erga eos dilectionem ostendamus. 6. Alligant nos ipsos, ut manus, & pedes ad peccata non extendamus. Vide tit. cit.

PRO DOMINICA III. ADVENTUS.

I. *TU quis es?* Joan. 1. Potest cognitio sui commendari, & dici, plerosque sollicitos esse de aliorum moribus cognoscendis, & dicere ad eos: Tu quis es? cum tamen dicere potius deberent: Quis sum ego? unde docendum, in quo consistat vera sui cognitio: dein quam necessaria, & utilis sit; & quo medio acquirenda. Pro quo vide tit. 24. §. 3. & 11.

II. *Tu quis es?* Joan. 1. Potest ostendi, quomodo hæc quæstio a quovis utiliter sibi applicari possit, quærendo, Tu quis es? 1. Secundum naturam. 2. Secundum religionem. 3. Secundum statum, & officium; pro quo vide cit. tit. 24. §. 12. n. 2.

III. *Confessus est, & non negavit.* Joan. 1. Potest de confessionis integritate, & necessitate utiliter institui concio; de quo vide tit. Confessio §. 11. n. 6.

IV. *Quid ergo baptizas?* Joan. 1. Potest explicari obligatio, quam quivis per Baptismum contraxit, nempe ut quæ Patrinus olim in Baptismo promisit loco baptizati, ipse nunc opere compleat; de quo vide tit. Baptismus. §. 8. n. 3. & §. 3. n. 10.

V. *Dirigite viam Domini.* Joan. 1. Possunt variæ viæ obliquæ, & erroneæ proponi, simulque ostendi quomodo declinari, & via recta eligi debeat; de quo vide tit. Pœnitentia.

VI. *Quid dicis de te ipso?* Joan. 1. Ostendi potest, quare, & quomodo quivis exemplo S. Joannis humiliter de se fentire, & loqui debeat, quem in finem conducet. V. tit. Humilitas.

VII. Ex occasione thematis: *Tu quis es?* ostendi potest, quam sit noxia inquisitio in aliorum mores. 1. Quia injuriosa Deo, cui soli competit inspectio cordium. 2. Injuriosa Christo Judici, cujus officium arrogatur. 3. Injuriosa illi, in cujus mores inquiritur absque licentia. 4. Injuriosa aliis audientibus, quibus scandalum præbetur. 5. Injuriosa sibi, quia impedit, ne proprii mores inspiciantur & corrigantur. Vide tit. Judicium temerarium.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quam utiliter se quisque interroget: Tu quis es? quod nimirum sequantur præcipue duo fructus a S. Bernardo indicati, dum dixit: O homo, si te videres, mihi placere, & tibi displiceres. Sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices. Veniet tempus, quando nec mihi placebis, nec tibi; mihi, quia peccasti; tibi, quia ardebis. Quæ sententia fusius explicari poterit ex iis, quæ tit. Cognitio dicta sunt.

IX. Ex occasione thematis: *Confessus est, & non negavit*, ostendi potest, quando laudabiliter confiteri veritatem debeamus, nempe, 1. In confessione nullum peccatum voluntarie reticendo. 2. Quando testimonium in re aliqua ferre jubemus, maxime si etiam juramento ad id adigimur 3. Si a Superioribus quærimur, an aliquod delictum commiserimus. 4. Si proximus a nobis aliquid scire cupit. 5. Quando virtus humilitatis requirit, ut proprios nostros defectus coram aliis aperiamus; de quibus vide tit. Confessio, & Humilitas.

X. Ex occasione thematis: *Quid dicis de te ipso?* explicari possunt causæ, ob quas propria laus, & jactantia fugienda sit, nimirum 1. Quia vanissima est, dum laudamus mendaciter, & delectamus inaniter. 2. Quia stultissima est, juxta id: Non te collaudes, nec te culpaveris ipse: Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. 3. Summe noxia Deo, cui sua gloria eripitur, & sibi, quia meritum perditur, dicitur que: Recepisti mercedem tuam. Vide Fabrum conc. 4. & tit. Laus.

XI. Ex occasione thematis: *Confessus est, & non negavit*: potest facilitas, & suavitas confessionis ostendi. 1. Respectu judicii extremi. 2. Respectu damnationis, & confusionis æternæ. 3. Respectu vermis conscientiæ. 4. Respectu fructus multiplicis, & gaudii, quod ex confessione oritur. Vide tit. Confessio, Item Fabrum conc. 6.

XII. Ex eodem themate possunt defectus in confessione committi soliti proponi. 1. Ante illam, in confessario eligendo, & contritione elicienda. 2. In confessione, per narrationem inutiliom, per reticentiam eorum, quæ necessario erant explicanda, per ambiguam explicationem peccatorum. 3. Post confessionem, per nimiam anxietatem de confessione recte instituta, vel scandalo de aliorum longis confessionibus accepto, aut pœnitentia tepide, aut tarde nimis persoluta; de quibus vide tit. Confessio.

PRO DOMINICA IV. ADVENTUS.

I. *VEnit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum Pœnitentiæ*. Luc. 3. Quæri potest, cur Evangelista Pœnitentiam Baptismum vocaverit? & responderi quod id propter similitudinem cum Baptismo factum sit; ostendatur ergo hæc similitudo tum ex necessitate, tum ex effectibus, & Auditores ad pœnitentiam suscipiendam excitentur. Vide tit. Pœnitentia.

II. *Parate viam Domino*. Luc. 3. Potest ostendi quomodo via Domini paranda sit, per tres partes Pœnitentiæ, & per contritionem mutando prava in directa: per confessionem humilem, colles, & montes (hoc est, tam altæ, quam infimæ conditionis homines) humiliando: per satisfactionem denique valles, id est, obligationes ad pœnam subeundam implendo. Vide tit. Pœnitentia.

III. *Omnis mons, & collis humiliabitur*. Luc. 3. Potest ostendi, quomodo quivis homo merito accendi debeat ad humilitatem sectandam, si consideret exemplum Christi in ingressu, seu nativitate, in progressu per reliquam vitam, & in egressu seu tempore Passionis, tam admiranda specimina humilitatis dantis. Vide tit. Humilitas §. 3. n. 22. 27. 39.

IV. *Omnis vallis implebitur*. Luc. 3. Potest ostendi, quod humilitas sit aptissimum medium ad quasvis gratias a Deo impetrandas, & merita augenda; pro quo videri potest cit. tit. §. 12. n. 3. ubi causæ redduntur, cur hoc fiat.

V. *Vox*

V. *Vox clamantis in deserto*. Luc. 3. Ostendi potest, cur Christus in solitudine per San. Joannem clamarit, & etiam Oseæ 2. dixerit, se Sponsam in solitudinem ducturum, & locuturum ad cor ejus; nempe ut ostenderet dispositiones ad verbum Dei audiendum necessarias. Ut scilicet audiatur, deferatur affectus inordinatus erga creaturas; quadiu enim talis viget in anima, non potest verbum Dei efficaciter operari 2. Deferantur curæ, quæ vellicant animum, faciuntque, ut verbum Dei non attente audiatur. 3. Deferantur saltem cum firmo proposito consuetudo peccandi, quæ nisi evellatur, manet radix peccatorum. Vide tit. Verbum Dei.

VI. *Rectas facite semitas ejus*. Luc. 3. Potest ostendi, quomodo se quivis ad imminentia Festa præparare debeat, nempe rectas faciendo semitas, per sinceram vitæ emendationem, ad quam tria præcipue suadenda. 1. Ardens desiderium emendationis, juxta illud Matt. 5. Beati, qui esuriunt &c. 2. Petitio gratiæ, quia: Sine me nihil potestis facere, dicebat Christus Joan. 15. & Salomon. Sap. 8. Ut scivi, quoniam non possum esse continens, adii Dominum &c. 3. Cooperatio seria, & generosa, maxime in radice peccatorum evellenda, juxta consilium Thom. Kemp. l. 3. c. 53. Si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere &c. & l. 1. c. 25. Unum est, quod multos a profectu retardat &c. Vide tit. Pœnitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Vox clamantis in deserto*. Luc. 3. potest ostendi, quomodo Deus alloquatur animam 1. In deserto solitudinis corporalis, juxta illud Oseæ. 2. Ducam eam in solitudinem, & lactabo eam, & loquar ad cor ejus. 2. In deserto creaturarum, juxta c. 8. l. 2. de Imit. 3. In deserto solicitudinum, quæ vel maxime impediunt attentam auditionem divinæ vocis. Vide tit. Oratio.

VIII. Ex occasione thematis: *Parate viam Domino*: ostendi potest, quæ via Domino paranda sit. 1. Non lapidosa, & aspera per iræ asperitatem, ideoque lapides per contritionem vel confessionem tollendi. 2. Non lutosa per carnis vitia. 3. Non præceps per elationem mentis. 4. Non avia, seu declinans a vita & moribus Christi. 5. Non periculosa, & latronibus insidiantibus obsessa per vanam laudem; quæ omnia vitia proin quomodo corrigenda, aut declinanda sint, ostendatur. Vide Fabrum conc. 4.

IX. Ex occasione thematis: *Rectas facite semitas ejus*: ostendatur, quomodo homines plerumque declinent a via recta ad cælum per sinistras intentiones, quas operibus suis præfigunt; demonstrandum proin ulterius erit, quomodo rectas facere vias per legitimam intentionem debeant. Vide tit. Intentio.

X. Ex occasione thematis: *Vox clamantis in deserto*: ostendantur impedimenta, cur vox non audiatur: quorum primum est organi destructio, si non creditur Deus loqui. 2. Digitus auri infertus, id est, carnales delectationes. 3. Strepitus curarum, & solicitudinum. 4. Hominum obloquentium garrulitas; quæ omnia quomodo removenda sint, solide ostendatur. Vide tit. Obed.

XI. Ex occasione thematis: *Parate viam Domino*: ostendendum, quomodo cor nostrum Christo pro præsepio offerre debeamus, atque adeo 1. Sit *arctum*: quia Christus non vult alium admittere. 2. Fœno humilitatis instratum. 3. Linteo mundo puræ conscientiæ coopertum; de quo vide tit. Humilitas, Caritas, Conscientia.

XII. Ex citato themate: *Vox clamantis in deserto*: dicatur, per hanc vocem recte inspirationes divinas intelligi, atque adeo eas sedulo audiendas esse. 1. Propter dignitatem loquentis. 2. Propter utilitatem audientis. 3. Propter periculum & damnum eas negligentis & contemnentis.

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

I. Ecce *positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*. Luc. 2. Ostendi 1. potest, quomodo Christus positus sit in ruinam multorum, quia scilicet, cum tot, tantaque pro illis egerit, dixerit, tulerit: tanto major est ingratitudo, quanto plura & majora beneficia acceperunt, hinc ipse Christus dixit: Si locutus non fuissem eis, peccatum non haberent. Unde faciet istis suo tempore, quod olim cuipiam fecit, cui, cum frustra suaderetur pœnitentia, sanguinem ex latere haustum in faciem projecit, dicens: Cum nolueris sanguine meo uti ad salutem, sit tibi in perditionem. 2. Ostendi potest, quomodo sit positus in resurrectionem illis, qui secuti sunt consilium illius Luc. 12. datum; Si quis vult post me venire &c. his enim dicet illud Luc. 22. Vos autem estis, qui permansistis &c. ut adeo verificetur illud S. Pauli: Sicut socii passionum fuistis, ita & gloriæ participes eritis. Vide tit. Ingratitudo, præsertim §. 3. n. 7. & §. 4. n. 7. 8. 9.

II. *Positus est in signum, cui contradicetur*. Luc. 2. Narretur, quod de S. Ignatio legitur, quod, cum aliquando in Collegium venisset, in quo domestici dicebant, omnia sibi prospere succedere, cum gemitu dixerit: Vereor, Filii, ne juxta vocationem vestram strenue non operemini; alioqui enim statim contradictores haberetis a diabolo excitatos, ut bonis vestris conatibus se opponerent. Ostendatur ergo 1. Quam hoc ipsum etiam in Christo & Apostolis, & zelosis Operariis, sit observatum. 2. Quomodo se Auditores in ejusmodi contradictionibus gerere debeant, nempe eos sperando, pergendo alacrius in bene cœptis divinæ protectioni se committendo. Vide tit. Crux §. 6. n. 1. & §. 10. n. 1.

III. *Non discedebat de templo*. Luc. 2. Ostendi potest, cur templa suo tempore diligenter sint frequentanda, 1. Propter orationem fructuosius peragendam, ad quam tum ipsa templi sanctitas & reverentia magis excitat, tum etiam conjunctio aliorum hominum non parum conducit, juxta illud Christi Matt. 18. Si duo consenserint &c. Vide etiam tit. Oratio. §. 11. n. 8. 2. Propter verbum Dei fructuosius audiendum; quia in templo velut loco nativo magis benedictio sperari potest; & præterea cum majori præparatione & applicatio-

catione proponitur; de quo vide tit. Verbum divinum. 3. Propter Sacramentorum frequentationem, quæ in templo ut proprio loco liberaliter, nec sine magno fructu & profectu animarum dispensantur, de quibus vide tit. Sacramentum.

IV. *Jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte*. Luc. 2. Ostendi potest, quomodo oratio fructuosa & efficax fieri queat, nempe per sequentia tria media. 1. Si cum jejunio conjugatur, maxime cum universali, seu abstinentia a peccatis; tunc enim locum habet illud S. Joannis 1. c. 3. Filioli, si cor nostrum &c. 2. Si per Christum, B. V. & Sanctorum merita fiat, eorumque orationibus uniatur; hoc enim per verbum *obsecrationibus* innuitur, & ab Ecclesia docetur, dum omnes fere orationes per Christum Dominum nostrum claudit. 3. Si constanter oretur, ut Anna Prophetissa exemplo suo docuit, & Christus hortatus est, Luc. 18. Oportet semper orare, & non deficere. Vide de his plura tit. Oratio §. 2. 3. & 5. V. Assiduitas, & Perseverantia.

V. *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia*. Luc. 2. Tractari potest de recta instructione & educatione liberorum, quæ in tribus consistit. 1. Ut necessaria ad vitam corporalem sustentandam, puta alimenta, vestitus, & habitatio pro mensura status offeratur: nempe pro sapientia & gratia obtinenda, id est, pro artibus, scientiis, & virtutibus addiscendis. 3. Ut in vita civili, id est, bonis & honestis moribus, solide & efficaciter instituantur, omnesque occasiones, quæ huic dubio obstare possunt, removeantur. Vide tit. Educatio.

VI. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Luc. 2. Potest ostendi. 1. Qualis fuerit hic gladius, scilicet tribulationum multiplicium, quas a nativitate Christi usque ad mortem occasione illius tolerare debebat, quæ proin breviter enumerari possunt. 2. Quam acutus fuerit hic gladius, id est, quam graves dolores B. V. ex Christi vita & passione orti; de quibus vide tit. Hyperdulia Mariana. §. 3. & 4. V. Maria dolorosa. 3. Quam generose exceperit hunc gladium, & quando inde fructum tulerit, ut scilicet, sicut nemo magis socius fuit passionum, ita & gloriæ nemo magis esset particeps. Addi etiam potest, quo medio se potissimum excitaverit ad hunc gladium tam intrepide excipiendum, scilicet per exemplum Christi; quæ omnia amplificari possunt per ea, quæ in cit. tit. dicuntur.

VII. Ex occasione thematis: *Positus est hic in signum, cui contradicetur*. Luc. cap. 2. ostendi potest. 1. Cur Christus tot & tales contradictiones sit passus; nempe quia dissimilis erat operibus contradicentium, & sic impletum, quod impii in libro Sapient. c. 5. dixerunt. 2. Ostendatur, quomodo tulerit tales contradictiones; videlicet dicendo cum S. David: Obmutui, & non aperui os meum, cum consisteret peccator adversum me. Incitentur proin Auditores, ut non concidant animis, si tales contradictiones sint ipsi patiantur, & exemplo Christi se solentur, & roborent.

VIII. Ex eodem themate ostendatur, cur ejusmodi contradictiones patiantur justi nimirum. 1. Ob gloriam Dei, quæ non modice augetur, si per easdem non patiantur se a Dei servitio abstrahi. 2. Ob conservationem virtutis; nam, & teste Seneca, marcescit sine adversario virtus; & arbores per ventos magis radicantur. 4. Ob amorem, quo illos prosequitur; unde ut secum maneant contradictores mittit, ut eos ad se fugere compellat. Vide tit. Patientia.

IX. Ex occasione thematis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladium*: ostendatur, quam crudelis fuerit hic gladius. 1. Quia erat acutissimus, utpote ipsam etiam animam penetrans. 2. Longissimus, quia toto vitæ tempore durabat. 3. Latissimus, quia omnes dolores & cruciatus, quos Christus in corpore & anima patiebatur, ipsa quoque per compassionem sentiebat, uti fuse P. Gasparus Tausch. in Matre dolorosa probat.

X. Ex occasione thematis; *Non discedebat de templo jejuniis & obsecrationibus serviens*: potest ostendi, cur oratio in templis magis, quam aliis locis, sit peragenda. Nimirum 1. Quia Deus propter preces Ecclesiæ in consecratione adhibitas facilius exaudit, ut in templo Salomonis propter hujus preces promisit. 2. Quia multorum preces ibi conveniunt, atque adeo, si, ubi duo vel tres convenerint, omnia impetraturos dixit Christus, multo magis, si tam multi conveniant, impetrabunt, quod volent 3. Quia per mutuum exemplum se inflammant) ut olim Seraphini ab Ezechiel visi, alis se percutientes ad preces ardentius fundendas. 4. Quia Sanctorum Patronorum templi intercessio conjuncta non modicum precibus pondus adjicit. Vide tit. Oratio §. 11. n. 8.

PRO DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

I. **R***Egressi sunt in Jerusalem requirentes eum*. Luc. 2. Ostendi potest, cur Christus & ejus gratia per peccatum amissa requirenda sint, scilicet quia de ipso longe potiori jure potest dicere peccator, ac Anna de Tobia filio suo cap. 10. Tob. Omnia simul in uno te habentes, te non debuimus dimittere a nobis. Ostendatur proin, quomodo in Christo & ejus gratia omnia habeantur, divitiæ, voluptates, & honores; si enim de creata Sapientia dixit Salomon Sapient. 8. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum ea; quanto magis de increata Sapientia dici id poterit? Vide titul. Christus. §. 3. n. 16. In secunda parte ostendatur, quomodo quærendus sit Christus, scilicet per triduum contritionis, confessionis, & satisfactionis; quantumque gaudium ex hac inventione sit sperandum; de quo vide tit. Confessio §. 1. n. 4. & §. 4. n. 2. 5.

II. *Remansit puer Jesu in Jerusalem*. Luc. 2. Ostendi potest, quomodo adolescentes educari debeant. Nempe 1. in templo & in oratione. 2. In schola inter Doctores, interrogando & audiendo. 3. In iis, quæ Patris sunt, id est, voluntate Parentum domi adimplenda; pro quibus dilatandis vide tit. Educatio.

III. *Erat subditus illis*. Luc. 2. Potest osten-

flendi, cur Christus de 17. anni nihil aliud de se scribi voluerit, nisi quod fuerit subditus Parentibus, ut indicaret videlicet, quod obedientia sit compendium totios perfectionis & sanctitatis, & radix ingentium meritorum & tranquillitatis in vita & morte; quæ omnia facile per ea, quæ tit. Obedientia dicuntur, demonstrari queunt.

IV. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Luc. 2. Ostendi potest. 1. Quid pietas Filiorum erga Parentes requirat; pro qoo vide tit. Pietas. §. 10. n. 1. & §. 11. n. 6. 2. In quibus casibus pietas postponenda sit voluntate Dei; de quo vide eit. par. 10. n. 2. & 3. & par. 3. n. 2. 3. 4. item par. 4. n. 15. & seq.

V. *Jesu proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Luc. 2. Ostendi potest, in quo profectus, & ætas hominis consistat; scilicet ut sapientia proficiat, idest, sapida scientia, ut cognoscat, ad quem finem ipse, & aliæ creaturæ sint creatæ, & hunc finem totis viribus persequatur; seu, quod idem est, vitam voluntati Dei conformem ducat. 2. Quos fructus ex hac sapientia reportaturus sit, ut scilicet crescat gratiam apud Deum, & homines, & cum hac gratia omnia bona ei obveniant. Pro qua materia vide tit. Virtus par. 12. num. 2. & tot. hoc tit. passim.

VI. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus.* Luc. 2. Ostendatur 1. In quo vera prudentia consistat; de quo vide tit. Prudentia. 2. Quomodo Christus eam verbo, & exemplo docuerit; de quo vide eit. tit. & applica Christo. 3. Quem fructum ex ea retulerit, & Auditores quoque sperare possint; de quo vide l. c.

VII. Ex occasione thematis. *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Luc. c. 2. ostendi potest, quomodo Christus quærendus sit, nempe 1. *Dolenter* per actum serium contritionis, aut confessionis. 2. *Constanter*, per iteratos actus hujusmodi, & media ad ipsum inveniendum idonea constanter adhibita. 3. *Ardenter*, per vehementia desideria ipsum inveniendi; 4. *Devote*, & *pie* in templo, tum preces devote pervolvendo, tum Doctores, & Concionatores audiendo. Vide Fabrum conc. 2.

VIII. Ex occasione thematis: *Jesus autem proficiebat ætate, sapientia, & gratia apud Deum, & homines*: dici potest, qood, sicut quondam Deus S. Antonio scire cupienti, quomodo tempus vitæ transfigere deberet, misit Angelum, qui modo flectens orabat, modo librum legebat, modo laborabat, modo comedebat, modo dormiebat; ita nobis Filium submiserit, quo suo exemplo doceret, quomodo actiones nostras perficere deberemus, sicque summam perfectionem, quæ in hoc exercitio consistit, acquirere possemus. Quare ostendatur, quomodo has actiones perfecerit, scilicet pie (ad optimum finem referendo) diligenter, alacriter, constanter. Vide Fabrum conc. 2.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christiani in viros perfectos evadere possint, scilicet observando tria documenta S. Carolo Borromæo suppeditata, quorum primum est, æstimare se quotidie incipere. Secundum, Deum semper sibi præsentem imaginari. Tertium, omnia opera sua ad Deum dirigere; quæ fusius explicata, vide apud Fabrum conc. 5. n. 2. lit. C.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quod sit optimum medium in gratia, & meritis proficiendi, nempe sui victoria, & assidua mortificatio, juxta commune proverbium: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Unde ostendatur, quare hæc victoria tam meritoria sit, nempe 1. Quia fortissimus hostis vincitur; quis enim habet fortius certamen, quam qui nititur vincere seipsum, ait recte Thomas Kemp. 2. Quia aperto Marte pugnandum est, & solis propriis viribus. 3. Quia pugna hæc continua est. Vide titul. Mortificatio, & Fabrum conc. 5. lit. D. c. 3. & in Silva.

XI. Ex occasione thematis: *Ascendentibus illis in Jerusalem secundum consuetudine diei festi, remansit puer in Jerusalem*: ostendi potest, eur dies festi colendi. 1. Quia Dei cultus, & beneficia sic exigunt. 2. Quia Ecclesia Mater præcipit, cui par est reverenter obedire. 3. Quia utilis est talis cultus corpori, animæ, famulis, rei domesticæ. Dein ostendatur, quomodo celebrandi sint dies festi, nimirum 1. Recedendo a domibus, & negotiis. 2. Accedendo ad templum velut ad audientiam in palatio Principis. 3. In his, quæ Patris cælestis sunt, versando, puta devota oratione, attenta auditione verbi divini, fructuosa perceptione Sacramentorum. 4. Honeste animum relaxando amica collocutione, vel modica deambulatione, vel jucunda lectione; de quibus vide Fabrum conc. 7. & 8. num. 5.

XII. Ex occasione thematis: *Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*: ostendi potest, quomodo verbum Dei fructuose audiendum sit, videlicet 1. Avide, & attente audiendum, velut optimus cibus animæ. 2. Conferendum, seu ruminandum, sibique applicandum. 3. Conservandum in memoria, opereque implendum; de qua materia Vid. tit. Verbum Dei.

PRO DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

I. NUptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Joan. 2. Potest ostendi triplex finis, ob quem contrahi debet Matrimonium, & praxis ac media salutaria, & efficacia eumdem consequendi indicari; de quo vide tit. 92. §. 9. n. 2. & §. 10. n. 1.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quæ sint officia Conjugum erga se mutuo; de quibus vide loc. cit. par. 10. n. 2. 5. 6. 9.

III. *Vocatus autem est & Jesus, & Discipuli ejus ad nuptias.* Joan. 2. Potest ostendi, quomodo Matrimonium rite contrahi debeat, ut optata benedictio sperari queat; de quo vide l. c. §. 9. n. 4. §. 10. n. 7.

IV. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ.* Joann. 2. Potest ostendi, quomodo in nuptiis, seu matrimoniali statu sex hydriæ aquis tribulationum plenæ reperiantur, sed a Christo

ſto in vinum lætitiæ convertantur, ſi ipſæ ſuo auxilio, & gratia ſit præſens; de quibus vide cit. §. 10. o. 3. & 9.

V. *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt.* Joan. 2. Poteſt conſuetudo, & fallacia Mundi oſtendi, quomodo ſcilicet primum, id eſt io hac vita, bonum vioum, ſeu voluptates, poſtea vero, in altera vita deterius, nempe æternas pœnas, apponat; Chriſtus autem contrarium morem teneat; quanto potiori jure proin Chriſto, quam Mundo adhærendum; de quo vide tit. Chriſtus, & tit. Mundus.

VI. *Dicit Mater Jeſus ad eum: Vinum non habent.* Jo. 2. Poteſt oſtendi, quod deficiente vino conſolationis non poſſimus illud melius, & facilius obtinere, quam per interceſſionem B. Virginis, utpote quæ vult, & poteſt impetrare omnia apud Filium. De quo vide tit. 70. a. 3. n. 56. & par. 10. n. 43. In ſecunda tamen parte oſtendatur, quid ipſa viciſſim exigat a nobis: nempe quæcumque dixerit vobis (Filius) ſervate, & facite, id quod clarius explicandum. Vide tit. Obedientia.

VII. Ex occaſione thematis: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Jo. 2. oſtendi poteſt, quod Chriſtus ideo voluerit intereſſe in nuptiis, ut ſignificaret, tunc forc felices ouptias, quando ipſe iiſdem præſeos, ſuamque beoedictionem largitus fuerit. Itaque demonſtretur, quomodo Chriſtus invitandus ſit ad nuptias, nimirum 1. *Si propter ipſum* (id eſt, quia hic inſtituit, & quomodo inſtituit, ideſt, propter educandos liberos; remedium concupiſcentiæ, augendum numerum Beatorum) atque adeo etiam gloriam Dei ineatur. 2. *Si cum eo* ineatur, ideſt, ipſius auxilium per benedictionem in templo ſuſceptam petatur: 3. *Si in ipſo* ſuſcipiatur, ideſt, in gratia, atque adeo confeſſionis, & communionis Sacramenta prius devote ſuſcipiantur. Vide Fabrum conc. 2.

VIII. Ex eodem themate poſſunt explicari officia conjugum, ſcilicet Maritus ſimilem ſibi habeat uxorem in honore, alioentis, thalamo; uxor vero ſit adjutorium in generandis liberis, in educandis, in re domeſtica; de quo conceptu vide Fabrum conc. 7. & tit. Matrimonium.

IX. Ex eodem themate oſtendi poteſt, præcipua Conjugum officia ſignificari per annulum aureum ſibi mutuo oblatum. Nam 1. Aurum ſignificat, quod, ſicut aurum omnibus metallis præfertur, ita ipſi quod amorem omnibus ſe præferre debeant, 2. Sicut autem per ignem probatur, ita & conjugum. 3. Sicut annulus rotundus finem non habet; ita nec amor conjugum. 4. Sicut annuli effigies ſemper ante oculos verſatur; ita & conjugis aſpectus, ut non facere præſumat eo abſente, quod præſente tacere non auderet. Vid. tit. Matrimonium par. 10. n. 5.

X. Ex occaſione ejuſdem thematis declarari poteſt, quodnam ſit præcipuum inſtrumentum felicis matrimonii obtinendi, ſcilicet concordia. Quia juvat 1. Ad novum amorem conjugalem conſervandum. 2. Quia juvat ad onera matrimonii facilius portanda. 3. Quia juvat ad rem familiarem augendam, benedictionemque cæleſtem obtinendam, quia inter ea, quæ Siracides Deo valde placere dixit, etiam vir, & uxor bene conſentientes numerantur. 4. Quia defendit contra hoſtes; ſi enim frater, quia adjuvatur a fratre, quaſi civitas firma erit, quanto magis conjux, quæ adjuvatur a conjuge, talis civitas erit? Vide Fabrum conc. 4. n. 3.

XI. Ex occaſione thematis: *Quodcumque dixerit vobis ſervate, & facite:* poteſt oſtendi modus preces noſtras efficaces faciendi, ſi ſcilicet faciamus prius, quod Deus vult. Quia ſic Deus viciſſim voluntatem timentium ſe faciet. 2. Quia ſic puram mentem, ideſt conſcientiam, ad Deum levamus; hioc verificatur illud S. Joannis: Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum, & quodcumque voluerimus, fiet nobis. 3. Quia ſic amici Dei erimus, & ut tale exaudiri merebimur, vioumque lætitiæ obtinere.

XII. Ex occaſione thematis: *Vinum non habent:* oſtendi poteſt, quomodo, ſi in triſtitia conſtituti vinum lætitiæ deſideramus, illud per B. Virginem impetrare debeamus, juxta illud S. Bernardi: Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per Mariam. Vide plura tit. Hyperdulia.

PRO DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

I. ET *ecce leproſus veniens adorabat eum.* Matth. 8. Poteſt peccati gravitas & fœditas ex comparatione lepræ demonſtrari, ſimulque oſtendi, quantas cauſas habeat peccator ad Chriſtum, ejuſque Vicarios Sacerdotes, confugiendi. Vide tit. Confeſſio §. 12. num. 5. & tit. Peccatum.

II. *Vade, & oſtende te Sacerdoti.* Matth. 8. Poteſt oſtendi neceſſitas confeſſionis, & utilitas, caque variis ſententiis S. Scripturæ, SS. Patrum, & exemplis probari; de quo vide tit. Confeſſio §. 1. 3. & 5.

III. *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Matth. 8. Poteſt dici, non tantum peccatorem poſſe hæc verba ad Chriſtum dicere, ſed viciſſim etiam & multo magis Chriſtum eadem verba repetere ad peccatorem, & dicere: Si vis, potes mundari; ſicut olim S. Thomas ſorori dicenti: O utinam & ego ſancta eſſem, dixit: Si vis potes. Oſtendatur ergo, quantum poſitum ſit in feria voluntate, & propoſito ſe emendandi, ita ut Thomas Kemp. l. 1. c. 19. dicere auſus ſit: Secundum propoſitum noſtrum curſus profectus oſtri. &c. Id quod variis exemplis ſæcularium, maxime mulierum, imo & intantum, ſerio aliquid proponentium, probari poteſt. Vide tit. Fervor. & Engelgrav. Emblem. 3. §. 3.

IV. *Vide, ne cui dixeris.* Matth. 8. Probari poteſt, cur, & quomodo vana gloria in operibus noſtris, maxime proximo exhibitis, fugienda ſit; de qua materia vide tit. Vana gloria.

V. *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Matth. 8. Poteſt otti natura, & effectus per comparationem cum paralyſi

lysi demonstrari, &, quantopere torqueantur otiosi a se ipsis, a domesticis, externis, dæmonibus, ostendi; pro quo vide tit. Otium, varias sententias, & exempla.

VI. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Matth. 8. Ostendi potest spei efficacia, & probari, quod sit quodammodo vas, juxta cujus capacitatem reportamus dona, quæ petimus a Deo. Vide tit. Spes, §. 3. n. 26. & §. 9. n. 3. & §. 11. n. 3.

VII. Ex occasione thematis: *Si vis, potes me mundare*: potest ostendi, quomodo quisque in omnibus necessitatibus voluntati divinæ se conformare debeat, tamquam æquissimæ, sapientissimæ, & benignissimæ; de qua vide tit. Resignatio, & Fabrum conc. 2.

VIII. Ex occasione thematis: *Vade, ostende te Sacerdoti*: ostendi potest, quomodo nostro tempore renovetur historia Naamani leprosi ab Elisæo curati, & inde facilitas confessionis ostendi, cum tantum huic leproso dicatur, ut per aquas pœnitentiæ, & lacrymarum se lavet, & a lepra curetur.

IX. Ex occasione thematis: *Domine, puer in domo mea jacet paralyticus, & male torquetur*: potest peccatum mortale peralytico comparari. 1. Quia nihil potest talis peccator bene operari ad salutem animæ. 2. Quia jacet in lecto torporis & ignaviæ; quia videt opera sua frustranea esse. 3. Quia male torquetur per stimulum conscientiæ. Unde merito petit liberari ab hanc paralysi. Vide titul. Peccatum.

X. Ex occasione thematis: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*: potest duplex dignitas communicantium ostendi; quarum prima est ex parte communicantis, & tantum requirit, ut faciat, quantum in se est, & hæc sufficit. Secunda ex parte Christi, quam nullus hominum participat, hinc nec requiri potest. Ostendatur ergo quomodo, quod in se est, facere queat, scilicet 1. Mundando cordis hospitium, seu habitaculum per confessionem. 2. Ornando illud virtutum tapetibus propriis, vel aliunde mutatis. 3. Salutando reverenter hospitem per varias preces, & in hospitium cordis iotroducendo cum gaudio. 4. Conservando fiducialiter cum eodem, suasque necessitates exponendo. 5. Gratias amplissimas agendo pro dignatione visitationis. Vide tit. Communio.

XI. Ex occasione thematis: *Multi ab Oriente, & Occidente venient*: Ostendi potest, quam graviter olim Aulici, Milites, Mercatores, Operarii nos accusaturi sint, quod illi tanta & tam difficilia pro temporali lucro, aut gloria, aut hominis gratia egerint, quorum nos nec centesimam partem egimus pro gloria Dei, & animæ salute. Vide Thomam Kemp. l. 3. c. 3.

XII. Ex occasione thematis: *Vide, ne cui dixeris*: ostendi potest, quantopere vana gloria fugienda sit, ut quæ nec bonis temporalibus, nec corpori aut animo, nec gratiæ, aut meritis augendis prosit, sed potius corpus laboribus frangat, animam meritis & præmio spoliet; & tandem omnino in infernum, aut purgatorium præcipitet: Pro quo vide tit. Vana Gloria.

PRO DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

I. Et *ecce motus magnus factus est in mari.* Matth. 8. Ostendi possunt causæ, ob quas Deus justos tentari permittat; quas vide explicatas tit. Tentatio.

II. *Ipse vero dormiebat.* Matt. 8. Potest ostendi securitas, & quies hominis justi, & cum divina voluntate conformati, & probati, quomodo dormiat, seu quietus sit, etiam inter gravissimos fluctûs tentationum a Deo, hominibus, diabolo exortos. Pro quo vide tit. Resignatio.

III. *Quid timidi estis modicæ fidei.* Matth. 8. Ostendi potest, plerosque homines similes esse infantibus, qui quodvis etiam fictitium phantasma timent; quodque hic timor ex defectu fidei firmæ oriatur; quod non credamus vivaciter, nihil sine Dei voluntate accidere posse, & eum non passurum, ut ultra vires tentemur, sed facturum cum tentatione proventum. Faciat proin Concionator cum Auditoribus, quod nonnulli cum equis timidis solent facere, & impellat eos ad objecta, quæ adeo timent, accuratius consideranda, ut videant quam nullas timendi causas habeant. Vide tit. Spes.

IV. *Domine, salva nos, perimus.* Matth. 8. Ostendi potest, quomodo in tempestatibus tribulationum gerere nos debeamus, videlicet. 1. Diffidere nobis ipsis: perimus. 2. Confidere in Christo: salva nos. 3. Accedere ad ipsum per actualem recursum. 4. Suscitare eum per seriam, & repetitam orationem. Ostendatur autem & a contrario, quam pauci homines has doctrinas observent, quamque adeo merito locum habeat illa Christi apud Thomam Kemp. l. 3. c. 30. adhortatio: Filii, ego Dominus &c. Vide etiam tit. Spes.

V. *Imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Matt. 8. Potest ostendi 1. Quomodo omnis motus in corde humano oriatur ex concupiscentia; juxta illud Jac. 4. Unde bella, & lites &c. exemplum Salomonis Eccles. 2. Vide plura tit. Concupiscentia. 2. Ostendi potest, quomodo, si Deus imperet cordi humano, id est, solus quæratur, & ametur, mox fiat tranquillitas magna, juxta illud S. Augustini l. 1. conf. Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Vide tit. Charitas.

VI. *Ipse autem dormiebat.* Matt. 8. Potest diversitas malæ, & bonæ conscientiæ demonstrari per varios effectus utriusque, maxime securitatem, & timorem; de quibus vide tit. Conscientia.

VII. Ex occasione thematis: *Domine, salva nos, perimus.* Matt. 8. ostendi potest, quid in tempestate afflictionum agendum sit; nempe id, quod nautæ faciunt. 1. Anchora spei figenda. 2. Onera peccatorum ejicienda. 3. Vela liberioris vitæ contrahenda. 4. Strenue laborandum. 5. Ardenter invocandum Dei auxilium; quæ omnia fusios explicata vide in Fabro concil. 4. & Silva nova them. 6.

VIII. Ex occasione thematis: *Ecce motus ma-*

magnus factus est in mari: ostendi potest, quid agendum, si motus concupiscentiæ in animo exurgant, nempe. 1. dicendum: tace, obmutesce. 2. Contemnendi, quia non nocet sensus, si desit consensus. 3. Animus per anchoram spei fixam colligendus. 4. Mens avocanda per varias occupationes. 5. Deus instanter invocandus. De quo conceptu vide Fabrum conc. 4.

IX. Ex eodem themate potest Ecclesia naviculæ comparari, causæque ostendi, cur eam Deus tot fluctibus concuti permittat; nimirum. 1. Propter gloriam Dei, ut habeat occasionem suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis ostendendæ. 2. Propter gloriam Christi, ut Ecclesia firmam de ipso fidem concipiat, quod promissa sua sit impleturus, & non permissurus, ut portæ inferi prævaleant adversus eam. 3. Propter gloriam Christianam, ut eamdem per varias tribulationes fortiter tolleratas augeant, variosque aliarum virtutis actus eumdem in finem eliciant. Vide Fabrum in Silva nova them. 3. ubi alias adhuc adducit rationes.

X. Ex occasiones thematis: *Ipse vero dormiebat*: ostendi potest quanta animi tranquillitate in mediis tempestatibus fruantur, qui Deo se totos commiserunt; qui nimirum credunt, has tempestates nihil nocere sibi posse, sed diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Vide tit. Resignatio, & Fabrum conc. 5.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod etiam illi, qui bonam conscientiam habent, semper læti, & tranquilli maneant ante, in, & post mortem, juxta illud Thomæ Kemp. l. 2. c. 6. Si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Vide tit. Conscientia. Item Fabrum conc. 6.

XII. Ex occasione thematis: *Quid timidi estis modicæ fidei?* ostendi potest, omnem timorem & pusillanimitatem in adversis ex modica fide oriri, quia scilicet non credimus ea a Deo provenire, & ad Dei gloriam, nostramque salutem ordinari, id quod ex variis particularibus casibus ostendendum; simulque Auditores ad eam excitandi per memorabilem S. Chrysostomi sententiam: Quid timet homo in sinu Dei positus? tu de sinu illius noli cadere, & quidquid tibi evenerit, in bonum cedet. Vide tit. Spes & Fides.

PRO DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

I. S*Eminavit bonum semen in agro suo*. Matth. 13. Ostendi potest, quam solliciti sint homines, ut bonum semen in agris suis materialibus seminent, quanto magis ergo solliciti esse debeant, ut in agro spirituali animæ bonum semen seminent. Ostendatur ergo quod sit bonum semen, scilicet opera bona, & quid ad ea requiratur, & quam præclarum lucrum & messem inde sperare possint. Vide tit. Opera bona.

II. *Venit inimicus homo, & superseminavit Zizania*. Matth. 13. Ostendi potest, quomodo diabolus conetur superseminare Zizania semini bonorum operum nostrorum. Et 1. quidem quomodo in initio actionum superseminet Zizania, efficiendo, ut vel nullam bonam intentionem faciamus, vel omnino malam eliciamus. 2. In progressu operum, laborando, ut vel negligenter ea faciamus, vel varia vitia & defectus, puta iræ, impatientiæ, blasphemiæ, fraudis, injustitiæ misceamus. 3. In fine operum, ut vanam ex iis gloriam concipiamus, vel ex malo successu pusillanimes efficiamur, & deinceps talia opera omnino negligamus. Doceatur ergo quomodo vigilandum, ne Zizania ista superseminet. Vide tit. Intentio, & Opera bona.

III. Ex eodem themate in specie ostendi potest, quomodo varios defectus velut Zizania immiscere conetur Dæmon. 1. in oratione. 2. in labore. 3. in refectionibus & recreationibus corporis. 4. in negotiationibus. 5. in correctione proximi; qui omnes defectus per se facile occurrent consideranti, & ex titulis Oratio, Dilectio proximi, Justitia, & tit. Labor colligi possunt.

IV. *Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non*. Matth. 13. Ostendi potest, cur Deus malos tandiu, & tam prospere vivere permittat; nimirum ut exerceant bonos, ut pauca bona, quæ agunt, illis recompensentur; & ut ostendat eos hos ipso, quod extra disciplinam sint, veros suos filios non esse, sed in æternum rejectos; quæ tres causæ facile susius deduci possunt, tum ex Psal. 72. tum ex tract. S. Augustini super Psal. 54. ut videre est in 2. nocturno Cœnæ Domini; tum ex tit. Deus V. Justitia Dei.

V. *Unde habet Zizania*. Matth. 13. Possunt ostendi damna ex mala societate orta, simulque probari, ejusmodi zazania seu societates malas ex eo potissimum oriri, quod dormiant parentes, patresfamilias, pastores, ludimagistri, & similes, quibus cura adolescentiæ & subditorum commissa est. Vide tit. Societas.

VI. *Colligite primum zizania*. Matth. 13. Potest infelix exitus peccatorum, & felix Justorum ob oculos poni, & ecitari Auditores, ut malint esse triticum, & flagellari in hoc mundo, & in cælestia horrea congregari, quam cum zizaniis colligari in fasciculos, & æternis ignibus comburi. Vide tit. Beatitudo, Judicium, Infernus.

VII. Ex occasione thematis: *Sinite utraque crescere*: Matth. c. 13. ostendi potest, cur Deus malos inter bonos toleret, nimirum. 1. Ut exerceat bonos. 2. Ut remunerentur a Deo propter exigua quædam opera charitatis. 3. Ut appareat Dei Clementia, Justitia, & Potentia; de quibus vide Fabrum conc. 1. & in Silva conc. 2.

VIII. Ex occasione thematis: *Venit inimicus homo, & superseminavit zizania*: ostendi potest, cur Deus peccata permittat; nimirum 1. Ad majorem Dei gloriam; quia Majestas, Sapientia, Bonitas, & Potentia magis inde manifestatur. 2. Ad bonum peccantis, ut agnoscat fragilitatem suam, se humiliet, & fortior resurgat. 3. Ad bonum justorum, ut casus alienus cautiores faciat, & eorum virtus per peccatores probetur. Vide Fabrum in Silva them. 1.

IX. Ex ejusdem thematis occasione ostendatur,

tur, cur mali vocentur zizania; nimirum 1. Quia mali cum fint, volunt boni videri, & inter triticum computari. 2. Quia bona terrestria ad se trahunt. 3. Quia conantur bonos quasi frumentum destruere sua conversatione & exemplo. 4. Quia igni velut inutiles herbæ adjudicantur. Vide Fabrum in Silva nova them. 3.

X. Ex occasione thematis: *Colligite zizania, & alligate eam in fasciculos*: ostendatur quænam zizania fint eradicanda, videlicet impuri, blasphemi, otiosi; hi enim potissimum qua verbis qua exemplis nocere solent bono tritico, idest, justis. Vide Fabrum in Silva them. 4.

XI. Ex occasione thematis: *Unde habet zizania?* potest ostendi triplex causa, ob quam homines perversi fiant, quarum prima est & potissima dormitio pastorum. Secunda odium dæmonis aliorumque inimicorum, qui superseminant zizania persecutionum & tentationum. Tertia exemplum sociorum malorum, qui varia dictamina mala doctrinis bonis inspergunt. Vide titul. Societas & Exemplum.

XII. Ex occasione thematis: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo?* ostendi potest triplex semen, quod in agro cordis seminari debet; quorum primum est triticum, seu usus legitimus Sacramentorum. Secundum siligo bonorum operum, præcipue orationis, & eleemosynæ. 3. Hordeum pœnitentiarum voluntariam, vel a Deo & proximo inflictarum; in quibus qualia zizania inspergere soleat inimicus dæmon, breviter indicari potest.

PRO DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

I. *Simile est regnum cælorum grano sinapis*. Matth. 13. Ostendi potest, quomodo Ecclesia Catholica vere ab initio minima fuerit inter religiones, sicut sinapi inter olera; in quantam autem arborem creverit, ita ut volucres, id est, sapientissimi etiam & potentissimi homines habitent sub ramis & protectione ejus: Quam felices proin Auditores reputare se debeant, quod & ipsi possint sub ea manere, quamque adeo separationem ab ea timere debeant. Vide tit. Fides.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quanta damna oriantur ex peccato veniali, licet minimum videatur; & quomodo denique integræ cohortes dæmonum habitent in corde per venialium repetitionem in gravia peccata lapso. Vide tit. Peccatum.

III. Ex eodem themate ostendi potest pretium temporis, cujus unicum momentum, licet minimum, in maximam arborem, imo regiam & perpetuam felicitatis sedem excrescit. Enumerentur ergo fructus, qui per tempus bene collocatum obtineri possunt, & eorum magnitudo tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus, tum ex Exemplis probetur. Vide tit. Tempus.

IV. Ex ejusdem thematis occasione possunt fructus auditi verbi Dei explicari, ex quo sæpe integri populi conversi sunt. Enumerentur proin hi fructus, & auditores ad eosdem participandos excitentur. Vide tit. Verbum Dei.

V. *Simile factum est regnum cælorum fermento*, Matth. 13. Potest intentionis bonæ efficacia demonstrari ex eo, quod farinæ satis tribus id est cogitationibus, verbis, & operibus saporem tribuat, eaque grata Deo, & nobis meritoria faciat. Ostendatur ergo, quam solicite iis miseri debeant. Pro quo vide tit. Intentio.

VI. Ex eodem themate potest exemplum bonum fermento comparari, & ostendi, quomodo plurimis satis, id est, hominibus mixtum seu conspersum eos penitus immurarit, aliumque saporem indiderit. Vide tit. Exemplum.

VII. Ex occasione thematis: *Simile est regnum cælorum grano sinapis*. Matth. 13. possunt afferri causæ, cur mansio in cælis regnum dicatur, nimirum ob tres causas. 1. Quia beati omnes ut Reges erunt summo in honore, juxta illud: Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. 2. Habebunt ut Reges, quod volent, nec ullus eorum voluntati repugnabit. 3. Erunt potentes ut Reges; hinc absque ullo timore cujusque mali erunt, ut merito de illis verificatum censeatur, quod Seneca dixit: Rex est, quique cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat. Vide titul. Beatitudo, & Fabrum conc. 3.

VIII. Ex eodem themate possunt indicari tria minima bona, quæ in magnam arborem excrescunt, seu copiosos fructus afferunt; quorum primum est intentio bona, quæ facit ut omnia opera meritoria regni cælestis fiant. 2. Tempus minimum, seu momentum, quo Deum & cælum lucrari valemus. 3. Minimus actus contritionis, per quem ab æterna damnatione liberari, & sempiternam felicitatem obtinere possumus; quæ proin minima singulariter commendanda erunt juxta titulos eosdem.

IX. Ex eodem themate indicari possunt tria minima mala, quæ copiosos fructus malos afferunt; quorum primum est cogitatio unica mortaliter peccaminosa, ob quam multi regnum cælorum amiserunt, & æternam damnationem incurrerunt. Secundum, verbum unicum inconsideratum, quod sæpe cædes, aliaque grandia mala creavit. Tertium, minimum opus scandalosum, quod multos sæpe in perniciem traxit: vel unicum peccatum veniale, quod tantas pœnas in purgatorio promeretur, præter alia grandia mala: vel minimus oculorum intuitus, qui multos in exitium temporale & æternum præcipitavit. Vide tit. Oculorum custodia, Peccatum veniale, Lingua.

X. Ex occasione thematis: *Simile est regnum cælorum grano sinapis*: potest ostendi, cur regnum cælorum (per quod hic via ad cælum, seu vita Christiano modo instituta intelligitur) grano sinapis comparetur, nempe ut significetur, non nisi per asperas tribulationes ad cælum perveniri, quod tres ob causas ordinavit Deus. 1. Ne hic patriam suam esse putent homines. 2. Ut cælo digni per propria merita fiant. 3. Ut dulcior eis fiat glo-

gloria cæleſtis, ſi magno pretio conſtitit. Vide Fabrum in Silva them. 4.

XI. Ex occaſione thematis: *Simile eſt regnum cælorum fermento*: oſtendi poteſt, quomodo regni cæleſtis ſpes tria ſata cogitationum, verborum, operum condiat, ut ex iis ſapidus, Deoque gratus cibus efficiatur. Vel per tria ſata intelligi queant triplicis generis afflictiones, videlicet indigentia, dolor, contemptus, quæ homini ſapidæ apparent, ſi ſpes regni cæleſtis illis immiſceatur. Vide tit. Beatitudo.

XII. Ex occaſione thematis: *Et ſine parabolis non loquebatur illis*: oſtendi poſſunt cauſæ, cur Chriſtus per parabolas ſit locutus; nimirum 1. Quia parabolæ propter collationem ſenſibilem cum ſpiritualibus perquam efficaces ſunt ad voluntatem noſtram flectendam, uti Propheta Nathan in Davide expertus eſt. 2. Quia parabolæ per ſenſibiles ſpecies propoſitæ firmius hærent in memoria, uti ipſimet quotidie experimur. 3. Propter morem ſapientum, & Syrorum, qui ut paucis multa, & ſapienter dicerent, aſſiduo parabolis utebantur. Unde inferatur, magnam Parabolis a Chriſto prolatis reverentiam habendam, & doctrinas, quæ per illas inſinuantur, magno fervore executioni mandandas, maxime duas, quæ in hodierno Evangelio proponuntur, ideoque explicandæ ſunt, uti apud Fabrum conc. 8. videre eſt.

PRO DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

I. ITe & vos in vineam meam. Matth. 20. Poteſt oſtendi, cuilibet vineam eſſe commiſſam, ſcilicet animam ſuam; quam nobilis autem hæc vinea ſit, colligi poſſe ex vino lætitiæ, quod inde hauriri poteſt, ſcilicet æternæ felicitatis, quæ proin breviter explicanda. Dein inferatur, quam æquum ſit, ut in hac vinea ſtrenue laboremus, fodiendo per humilitatem, paſtinando per mortificationem, alligando per amorem, & ſimilia alia officia exercendo; de quibus vide Fabrum conc. 3. Item tit. Anima, & Beatitudo.

II. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Matth. 20. Poteſt vitium otioſitatis diſſuaderi ex damnis, quæ ſecum ſolet afferre; ſimulque medium unum, aut alterum pro eo devitando offerri; de quo vide tit. Otium.

III. *Exiit primo mane conducere operarios*. Matth. 20. Poteſt oſtendi, quam felices ſe plerumque æſtiment operarii, ſi conducantur ab aliquo; quanto feliciores autem ſe reputare debeant operarii a Chriſto vocati, utpote quorum labor eſt longe honeſtior ob dignitatem vineæ, utilior ob mercedis magnitudinem, jucundior tum ob ſociorum præſentiam, tum ob ſolatiorum cæleſtium copiam, levior ob Chriſti, & gratiæ cooperantis auxilium. Vide tit. Labor.

IV. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum*. Matth. 20. Poteſt invidiæ vitium diſſuaderi ex damnis, quæ creare ſolet, ſimulque unum, vel alterum medium ad illud vitandum offerri; pro quo vide tit. Invidia §. 10. & 11. n. 4. & 5.

V. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Matth. 20. Oſtendi poteſt, quam magna ſit merces, quam Deus ſuis operariis tribuere ſolet; id quod ex tribus proprietatibus, quæ in mercede optari ſolent, colligi poteſt. Nam 1. eſt copioſa in ſe, ſeu quoad ſubſtantiam, utpote de qua Deus Abrahamo Gen. 15. dixit. Ego ſum merces tua magna nimis. 2. Eſt certa, quia qui promiſit, fallere nec vult, nec poteſt. Hinc diligenter mox peracto labore juſſit vocari operarios, & illis mercedem ſolvi. 3. Secura eſt, quia ubi ſemel accepta eſt, amitti amplius non poteſt; quæ omnia ex iis, quæ tit. Beatitudo, dicuntur, facile amplificari poſſunt.

VI. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Matth. 20. Poteſt oſtendi, quam pauci ſint, qui vocationi ſuæ ſincere reſpondeant. Declaretur ergo inprimis, quid ſit vocationi reſpondere. Dein quam pauci ſint, qui id, quod profitentur, opere confirment. Denique excitentur Auditores, ut ſaltem ipſi ex numero paucorum electorum eſſe conentur. Vide tit. Chriſtianus.

VII. Ex occaſione thematis: *Ite & vos in vineam meam:* Matth. 20. oſtendi poſſunt motiva ad animam ſuam velut vineam rite colendam, nimirum. 1. Benevolentia Dei vocantis. 2. Vineæ ſeu animæ præſtantia. 3. Laboris facilitas, & jucunditas. 4. Mercedis quantitas, quæ ex vini lætificantis comparatione explicari poteſt. Vide tit. Beatitudo. Anima. Labor. Item Fabrum conc. 1. & them. 1. in Silva.

VIII. Ex occaſione thematis ejuſdem poſſunt explicari media, quibus vinea fructuoſior effici queat. Qualia ſunt 1. Si diligenter ſtercoretur id, quod per humilitatem fieri debet. 2. Si bene fodiatur per conſtantem laborem. 3. Si diligenter paſtinetur per mortificationem inordinatorum affectuum. Si firmiter alligentur palmites, ſeu actiones noſtræ ipſi viti per bonam intentionem, ſeu conformitatem voluntatis noſtræ cum divina. Vide Fabrum conc. 3.

IX. Ex occaſione thematis: *Tolle, quod tuum eſt, & vade*: oſtendi poteſt, quomodo quivis homo contentus eſſe debeat mercede ſuorum operum, quam illi Deus dabit. Ad quem finem exemplum Beatorum in cælis proponi cauſæque indicari poſſunt, cur quivis illorum ſua gloria contentiſſimus ſit, uti Faber conc. 4. fuſe oſtendit.

X. Ex occaſione thematis: *Accipientes murmurabant adverſus patremfamilias*: oſtendi poteſt, quod nemo cauſam habeat invidendi alteri majora dona, quæ accepit a Deo. 1. Quia omnes æqualiter participare poſſunt ſummum bonum hominis, ſcilicet voluntatem, & beneplacitum Dei, juxta illud Davidis: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. 2. Quia poteſt quivis alterius donum ſuum facere congaudendo, ut Sanct. Ambroſius docet dicens: Habet aliquis Virginitatem? congaude illi, & tua eſt. 3. Quia ſumus commembra, fratres, & ſocii. Vid. tit. invidia, & Fabrum conc. 7.

XI. Ex occaſione thematis: *Sic erunt noviſſi-*

vissimi primi. Matth. 20. Ostendi potest, quomodo brevi tempore aliquis in meritis, & gloria aliis in magno gradu sanctitatis constitutis æquari possit, nimirum, per tres illas virtutes, per quas Christus nomen super omne nomen acquisivit, dum *humiliavit* se, *factus obediens* usque ad mortem crucis per generosam *patientiam*; de quibus vide speciales titulos.

XII. Ex occasione thematis: *Murmurabant adversus patremfamilias*: ostendi potest, quomodo aliquis invidiam passivam evitare possit, nimirum. 1. Si bona sua non ostentet. 2. Si opes suas duro labore comparet. 3. Si bona sua libenter aliis communicet. 4. Si contemnant invidos, quos evitare nequit. Vide Fabrom conc. 7. lit. H.

PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.

I. EXiit, *qui seminat, seminare semen suum*. Luc. 8. Potest Concionator seminanti verbum Dei semini comparari, & ostendi quam diversos fructus, & effectus pariat hoc semen; dum apud aliquos cadit secus viam, apud illos videlicet, qui vel garriunt, vel dormiunt, vel non attendunt sub concione; apud alios in spinas, dum illud contemnunt, vel aliis potius, quam sibi applicant; apud alios in petram, apud obstinatos scilicet, & consuetudinarios peccatores: apud alios in terram bonam, dum audiunt, & sibi applicant, sed cum diversa applicatione; unde aliud trigesimum, aliud centesimum fructum affert, apud eos maxime, qui etiam aliis audita in concione proponunt. Vide tit. Verbum Dei.

II. *Aliud cecidit in spinas*. Luc. 8. Ostendi potest, cur Christus divitias spinis comparaverit, nempe 1. Quia fodicant animum possidentis spinis immodici desiderii, ante possessionem; curarum & timoris in possessione, doloris & tristitiæ in amissione, & præterea spinis peccati & malæ conscientiæ. 2. Quia suffocant semen verbi Dei, hinc difficile intrare divitem in regnum cælorum. 3. Quia præ aliis subministrant pabulum igni æterno, uti expertus est dives Epulo. Vide tit.

III. *Aliud cecidit secus viam*. Luc. 8. Possunt tribulationes comparari cum semine, & ostendi, quam pretiosum sit semen; utpote quod tantum fructum in altera vita producit; deinde vero pariter probari, quomodo apud plerosque cadat secus viam, idest, nullum fructum ferant, dum ex necessitate potius, vel cum impatientia tolerant, quam ex Christiana patientia; quæ omnia facile ex iis, quæ tit. Patientia, & tit. Crux dicuntur, amplificari possunt.

IV. *In corde bono, & optimo audientes verbum, retinent illud, & fructum afferunt in patientia*. Luc. 8. Ostendi potest, quomodo Verbum Dei audiri aut legi debeat, ut optatus fructus referatur, scilicet in corde bono, & optimo, servando tres conditiones a Thoma Kemp. l. 1. c. 5. præscriptas, dum ait: Si vis profectum haurire, lege humiliter (cum voluntate parata ad omnem Dei nutum) simpliciter (veritatem in scripturis, & concionibus quærendo, non eloquentiam) & fideliter, utilitatem in verbo Dei quærendo, non subtilitatem sermonis: nec indagando, quid dixerit, sed quid dicatur. Vide plura c. cit. & tit. Verbum Dei.

V. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Luc. 8. Ostendi potest, unde colligi possit, quod verbum Dei in terram bonam ceciderit; si videlicet radicem fixerit in animo Auditorum, id est, si serium, & solidum propositum conceperint doctrinam propositam ita practicandi, ut per nullam tentationem a tali praxi abduci se sinant. Quales tentationes aliquot breviter proponi possunt. Vide tit. Perseverantia, & tit. Verbum Dei.

VI. *Et ortum fecit fructum centuplum*. Luc. 8. Ostendi potest, quomodo ex iis, quæ agimus, & patimur, alia trigesimum, alia sexagesimum, alia centesimum fructum referant, nempe qui agunt, quæ Deus vult, trigesimum; qui agunt etiam modo, quo Deus vult, sexagesimum; & qui agunt purissime, quia Deus vult, centesimum. Sic etiam qui patiuntur æquanimiter, ita ut non murmurent, nec indignentur, trigesimum fructum afferunt; qui libenter, & alacriter patiuntur, sexagesimum; qui constanter usque ad finem, centesimum. Vide tit. Resignatio, & Patientia.

VII. Ex occasione thematis; *Aliud cecidit juxta viam, & conculcatum est*. Luc. c. 8. ostendi potest, quomodo verbum Dei juxta viam cadat, nempe 1. Apud eos, qui terrenis implicantur. 2. Apud eos, qui id contemnunt. 3. Apud eos, qui illius statim iterum obliviscuntur. Vid. tit. Verbum Dei. Item Fabrum conc. 1.

VIII. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit supra petram*: ostendi potest, quinam intelligantur per hanc petram, nempe 1. Duri, & obstinati. 2. Qui certo vitio adhærent. 3. Inconstantes; de quibus vid. titul. citatos, & Fabrum lit. C.

IX. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit inter spinas*: ostendi potest, quinam per terram spinosam intelligantur, nimirum 1. Qui nimis solicitudinibus se onerant. 2. Qui divitiis inordinate adhærent. 3. Qui voluptatibus dediti sunt. Vide iterum tit. co.

X. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit in terram bonam*: potest ostendi, illos homines censeri terram optimam, qui statu suo contenti, voluntati, & dispositioni divinæ acquiescunt; ad quod incitari deberent triplici titulo. 1. Quia Deus sapientissime omnia disponit, atque adeo unumquemque ad statum ei convenientissimum vocat. 2. Quia in quovis statu quisque perfectus fieri potest. 3. Quia, quod deest in status qualitate, fervore Spiritus compensare potest. Vide Fabrum conc. 4.

XI. Ex occasione thematis ejusdem potest ostendi, cur aliqui ex semine verbi divini optatum fructum non ferant. 1. Quia mala intentione audiunt. 2. Quia sibi non applicant, sed aliis. 3. Quia non conservant, nec ruminant. Quæ fusius vide suo loco. Item in Fabro con. 5. & 6.

XII. Ex occasione thematis: *Exiit, qui seminat, seminare semen suum*: potest ostendi tri-

triplex femen, quod Deus fpargit in agrum hominis; quorum primum fuot Iofpirationes divinæ; Secundum occafiones bene agendi; Tertium occafiones patiendi; fimulque declaretur, quam diverfum fructum in diverfis hominibus afferant hæc femina. Vid. tit. cit.

PRO DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

I. ECce *afcendimus Jerofolymam, & confummabuntur omnia, quæ fcripta funt per Prophetas de Filio hominis*. Luc. 18. Oftendi poteft, quomodo vere paffio Chrifti hoc tempore renovetur, quamque adeo triftari potius, & condolere Chrifto hoc tempore, quam lætari multum debeamus. Vide tit. Bacchanalia. §. 10. n. 2.

II. *Cæcus quidam fedebat juxta viam*. Luc. 18. Oftendatur, quam apte hoc Evangelium hoc tempore legatur, quia numquam magis cæci funt homines, quam hoc tempore, cum nec vanitatem, nec ftultitiam, nec infelicitatem eorum, qui his diebus infaniunt, videant; dicat ergo Concionator, fe vifum illis reftituturum, & facturum, ut hæc tria omnia clare videant, curaturum. Vide l. c. n. 5.

III. *Domine, ut videam*. Luc. 18. Poffunt fraudes, quibus dæmon hoc tempore hominibus illudit, detegi fimulque modus, quo eas declinare, & eludere poffint, oftendi; pro quo vide l. c. n. 1.

IV. Ex eodem themate oftendi poffunt variæ ftultitiæ, quæ hoc tempore committuntur, nempe ftultitia larvatorum, potatorum, luforum, & fingulis larvæ detrahi, id eft, eorum ineptiæ demonftrari, & corrigi; de quo vide l. c. & tit. Ebrietas.

V. Item ex eodem themate poffet narrari, vel in memoriam revocari hiftoria de Rege illo, cui fenex grandævus fapientiam vendidit, juffitque ante omnes actiones confiderare, quem exitum fint habituræ; quam vide tit. 120. §. 7. Simulque fuaderi, quem exitum habitura fit res familiaris feu opes, dein corpus, & tandem anima, feu confcientia, fi hoc tempus, ut folet, tam infolenter tranfigant. De quo vide tit. Bacchanalia, varia damna exemplis demonftrata.

VI. *Tradetur gentibus, & illudetur*. Luc. 18. Narrari poteft, quid S. Gertrudis hoc tempore viderit, fcilicet Chriftum ad fimilitudinem languentis fupra pectus recumbere, uti in tit. 15. §. 4. n. 3. refertur, fimulque oftendi, quomodo refociliari debeat; de quo vide l. c. §. 10. n. 4.

VII. Ex occafione thematis: *Filius hominis tradetur gentibus, & illudetur*: Luc. 18. oftendatur, quomodo Chriftus tradatur gentibus, id eft, illis, qui tempore Bacchanalium vivunt ut Ethnici, nullum Deum quafi agnofcentes juxta illud Pfalmi: Dixit infipiens, non eft Deus. 2. Oftendatur, quomodo illudatur hoc tempore, dum periode peccant, ac fi Chriftrus faciem velatam habens non videret eorum peccata. Vide plura Titul. Bacchanalia.

VIII. Ex occafione ejufdem thematis dici poteft, citatum thema etiam hominibus hoc tempore applicari poffe, ut qui vel maxime illudantur a dæmone, ut Doctor a Pictore, qui juffus pingere larvam, iterum delevit illam, ficque effecit, ut Doctor putans fe larvatum effe varias ineptias committeret. Tales colores falfi autem funt. 1. Nemo nos nofcit. 2. In Bacchanalibus omnia licent. 3. In quadragefima omnia peccata eadem opera confiteri licebit. Vid. tit. cit.

IX. Ex occafione thematis: *Domine, ut videam*: poteft oftendi, quid videre hoc tempore debeamus, fcilicet. 1. Vanitatem gaudiorum in his Bacchanalibus percipi folitorum. 2. Stultitiam committi hoc tempore folitam. 3. Infelicitatem ob damna fequi folita in opibus, fama, corpore, & anima. Vide citat. titul. & Fabrum conc. 3.

X. Ex eodem themate poteft ftultitia, & cœcitas ebriorum, faltatorum, & larvatorum multiplex, fimulque media illam evitandi oftendi, ut Faber conc. 2. & in Silva them. 3. facit.

XI. Ex occafione ejufdem thematis oftendi poteft, quæ fit bona ftultitia; nimirum 1. Qui fe non vindicare ftudent. 2. Qui cæcam obedientiam exercent. 3. Qui mundi vanitatem contemnunt. 4. Qui timoratæ funt confcientiæ. De quo conceptu vide Fabrum conc. 7.

XII. Ex occafione thematis ejufdem poteft oftendi origo Bacchanaliorum, & inde deduci, quam fœda, & damnabilia fint Bacchanalia, quamque adeo caute celebranda, quem in finem illa Abimelechi cautela inculcari poterit: Quocunque perrexeris, memento te deprehenfum. Vide Fabrum conc. 4.

PRO FERIA IV. CINERUM.

I. CUM *jejunatis, nolite fieri ficut hypocritæ triftes*. Matth. 6. Oftendi poteft, cur Jejunium quadragefimale fit inftitutum, fcilicet propter quatuor effectus ab Ecclefia in hodierna præfatione indicatos; quos vide tit. 2. §. 11. n. 4.

II. Ex eodem themate oftendi poteft, Ecclefiam imitari hoc tempore Reginam Efther. cap. 14. confugientem ad Dominum, cinere implentem caput, luctui vacantem &c. & dicentem: Vade, & congrega omnes, &c. Efther. 9. de quo vide l. c. n. 1.

III. Item poteft oftendi modus rite perficiendi hoc jejunium; quo vide l. c. n. 12.

IV. Item varia media confortativa offerri pro facilius tolerando jejunio, quorum tria offert S. Ambrofius l. de offic. dum ait: Jejunii labor compenfatur mentis placiditate (feu hilaritate) levatur ufu, fallitur negotio: quibus pro quarto addi poteft exemplum Chrifti; de quo vide tit. 2. §. 11. n. 13.

V. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Ecclefia. Poteft cinis benedictus pro tabaco offerri, & oftendi quomodo tollat memoria mortis noxios humores triplicis concupifcentiæ, divitiarum, voluptatum, & honorum. Pro quo vide titul. Mors, & titul. Concupifcentia.

VI. *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus*. Ecc. in Miff. Oftendi poteft, hafte-

hactenus Bacchanalia corporis fuisse celebrata, deinceps Bacchanalia animæ celebranda esse, atque adeo, sicut prius commessationibus, ita nunc jejunio vacandum: sicut prius visui, & lætitiæ, ita nunc luctui & piæ tristitiæ indulgendum: sicut prius cum hominibus ludicra, & noxia conversatio instituta, ita nunc cum Deo seria, & pia: denique sicut prius pecuniæ prodige in luxum, & larvas dissipatæ, ita nunc salubriter in pauperes distribuendæ. Pro quo vide tit. Abstinentia, Misericordia, Oratio.

PRO DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

I. Ductus est *Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo*. Matth. 4. Ostendi possunt causæ, cur Christus tentari voluerit; nimirum ut suo exemplo doceret, militiam esse vitam hominis super terram: ut modum certandi, & vincendi indicaret, & quæ præmia certantibus sint promissa. Vide titul. Tentatio, & Thom. Kemp. l. 1. c. 13.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quid quivis Christianus ante, in, & post tentationem observare debeat, ut optatum ex tentationibus fructum reportet. De quo vide pariter cit. tit. Tentatio.

III. *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei*: Matth. 4. Potest ostendi exemplo Christi fructus tentationum, scilicet quod per recusationem earum rerum, quas in tentatione obtulit dæmon, omnia perfectiori modo obtineantur, uti inductione probari potest. Hinc Apoc. 2. dicitur: Vincenti dabo manna, &c. Vide cit. tit.

IV. *Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit*, Matth. 4. Potest comparatio piscium (aut certe ciborum quadragesimalium) cum pisce, qui Tobiam juniorem devorare voluit, institui, & inde fructus jejunii quadragesimalis demonstrari; pro quo vide tit. Abstinentia §. 11. n. 2. & §. 3. n. 30. & seq.

V. Ex ejusdem thematis occasione possunt Auditores ad jejunium magnum & generale, de quo S. August. sub Joan. dixit: Magnum & generale jejunium est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus; excitari, & ostendi 1. Quod magis sit necessarium, quia sine hoc, corporale jejunium parum, aut nihil prodest, uti ex tit. 2. §. 3. n. 1. 2. 3. & 4. videre est. 2. Quod magis utile sit, quia magis vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur & præmia. Vide l. c. n. 30. & seq. 3. Quod magis jucundum sit, quia si est gaudium in hoc mundo, utique possidet puri cordis homo, teste Thom. Kemp. l. 2. c. 6. Vide tit. Conscientia. 4. Quod magis gratum Deo & Sanctis sit, tum quia difficilius est vincere seipsum & cupiditates suas: tum quia desiderium Dei, & Sanctorum, qui ante omnia peccatum vitari, & mandata Dei observari desiderant, magis impletur. 5. Quia magis diuturnum est, cum perpetuo duret, corporalem autem certis dumtaxat temporibus observetur.

VI. *Hæc omnia tibi dabo*. Matth. 4. Potest in primis dici hæc verba: *Tibi dabo*; non immerito a quibusdam magneti comparari, juxta illud Poetæ: Cuncta trahunt ad se magnates aurea, sicut ad se magnetes ferrea cuncta trahunt. Ostendatur autem postea, quam diversa sint promissa Mundi, & Dei, Nam 1. Promissa mundi sunt falsa, Dei vera & solida. 2. Illa sunt noxia, quia qui ea vult capere, debet cadere a gratia Dei, ab hæreditate, & gloria cælesti in infernum; ista utilissima, utpote ad æternam felicitatem juvantia. 3. Illa modica, quia non nisi minima terræ particula; hæc ingentia, & Datore digna. 4. Illa incerta, & fallacia; hæc certa, & infallibilia: quæ omnia facile possunt fusius amplificari ex tit. Deus, & tit. Mundus. Vide etiam Thom. Kemp. l. 3. c. 3. & Fabrum in hac Dom. conc. 2.

VII. Ex occasione thematis; *Cum jejunasset quadraginta diebus & noctibus, postea esuriit*: Matth. c. 4. potest origo jejunii Quadragesimalis, causæ institutionis, & modus observandi indicari; de quo vide suo loco. Item Fabrum conc. 7. & in Silva them. 1.

VIII. Ex eodem themate potest ostendi, quid agendum sit tempore Quadragesimæ; nempe 1. Corpus castigandum per jejunium; hinc longiores preces ab Ecclesia instituuntur. 3. Passio Christi frequenter consideranda, quem in finem imagines eam repræsentantes proponuntur. 4. Pœnitentia agenda, quam ob causam Psalmus *Miserere* cantatur aut recitatur. Vide Fabrum conc. 6. & in Silva Dom. 2. Quadr. them. 3.

IX. Ex occasione thematis: *Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo*: possunt motiva ad certamen cum dæmone proponi, nempe 1. Exemplum Christi, velut Ducis. 2. Dei præsentia & auxilium. 3. Dæmonis superbia, & imbecillitas. 4. Coronæ victoribus promissæ præstantia; de quo vide tit. tentatio, & Fabrum conc. 1.

X. Ex eodem themate possunt ostendi conditiones ad milites Christianos requisitæ, nempe 1. Ut parent se & arment ad prælium. 2. Ut invocent Dei auxilium. 3. Ut dæmoni tentanti fortiter se opponant. 4. Ut partam victoriam Deo adscribant; de quo vide cit. tit. & Fabrum.

XI. Ex occasione thematis: *Cum jejunasset 40. diebus, & noctibus, postea esuriit*: potest explicari varium jejunium, scilicet. 1. Naturale. 2. Philosophicum. 3. Ecclesiasticum. 4. Magnum, & generale, quo a peccatis abstinetur, quod propterea ob necessitatem, & utilitatem specialiter commendandum est, uti suo loco videre est.

XII. Ex eodem themate potest jejunii utilitas per sententiam Siracidis c. 37. commendari, dum ait: *Qui abstinens est, adjiciet vitam*, scilicet naturalem corporis, spiritualem animæ, gratiæ, & gloriæ, quæ facile ex nostris notatis & ex Aloe P. Drexelii probari possunt.

PRO DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

I. *Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem*, Matth. 17. Potest ostendi, cur

cur hos tres Discipulos Christus hic in montem Thabor, & postea in montem Oliveti tempore Passionis assumpserit; nimirum ut ostenderet inprimis, quos magis diligeret, & in socios laborum, & gaudiorum assumere cuperet, nempe eos, qui in fide (quos Petrus denotat,) spe & fiducia (quos Jacobus repraesentat,) & in caritate (quorum Joannes figura est,) excellunt. Deinde ut ostenderet, Discipulos suos, sicut Socii gaudiorum sunt, ita & passionem socios esse debere. Excitandi ergo Auditores, ut iisdem virtutibus studeant, si pariter dilecti Discipuli esse velint.

II. *Duxit illos in montem excelsum*. Matth. 17. Ostendi potest causa, cur Christus gloriam suam in monte Apostolis ostenderit, nimirum ut indicaret, non posse ad gloriam Dei videndam perveniri, nisi prius multae difficultates & labores, & tribulationes perferantur: cum decretum sit, quod per multas tribulationes oporteat introire in Regnum Dei. Ostendatur ergo, quam libenter hunc montem scandere debeant, cum securi sint, quod ibi aeternum permanere liceat, & dicere: Bonum est nos hic esse. Vide tit. Beatitudo, & Crux.

III. *Et transfiguratus est ante eos*. Matth. 17. Ostendi potest quanta sit pulchritudo, & amabilitas Dei, & 1. Demonstrari, quantopere pulchritudo corporalis hactenus rapuerit, & etiamnum rapiat in sui amorem humana corda, id quod per exempla probari potest, & dicta; de quibus vide tit. Forma. 2. Inferri potest, quanto majores vires habitura sit infinita pulchritudo Dei, quae per totam aeternitatem occupavit, & satiabit omnes Sanctos: uti etiam Salomon Sap. 13. indicavit, dicens: Quorum si specie &c. Concludatur ergo: Si Jacobo olim Rachel omnes annos in labore consumptos breves fecit, & jucundos Geo. 29. quanto magis leves omnes labores & tribulationes factura sit pulcherrima Deitas per totam aeternitatem videnda, & amanda. Vide tit. Beatitudo.

IV. *Bonum est nos hic esse*. Matth. 17. Ostendatur aeternae felicitatis magnitudo ex quinque fontibus, ex quibus emanat; quos vide tit. Beatitudo §. 11. n. 7. Item Fabrum conc. 7.

V. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Matth. 17. Ostendi potest, quantum, & qoam optabile sit hoc elogium; si enim Aulici tam beatos se existimant, si a Principe, homine fragili, infirmo, ejusdem naturae, cujus favor vanus, inconstans, & noxius potius, quam utilis est, specialiter diligantur; quanto pluris aestimandum erit, inter intimos Dei tam potentis, & sapientis amicos numerari; an non ergo quivis alloquetur socios suos iis verbis, quibus olim Aulici Theodosii, teste S. Augustino lib. 8. Confess. c. 6. se allocuti sunt: Dic, quaeso te, omnibus nostris laboribus quo ambimus pervenire; quid quaerimus? cujus rei causa militamus? majorne poterit esse spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quae pericula pervenitur ad grandius periculum; & quamdiu istud erit? amicus autem Dei, si voluero, ecce fam. Vide tit. Amicitia.

VI. *Nemini dixeritis visionem hanc*. Matth. 17. Potest ostendi, cur Christus tantopere sua opera celari voluerit, scilicet, ut suo exemplo doceret, quantopere vana gloria fugienda sit, utpote quae opera nostra Deo insipida, nobis inania, proximo infructuosa facit, cum nullam illis Deus benedictionem largiatur. Vide tit. Vana gloria.

VII. Ex occasione thematis: *Transfiguratus est ante eos*. Matth. 17. potest ostendi, quomodo etiam quivis peccator in alium hominem transfigurari possit & debeat, si scilicet 1. Vestimenta animae fiant alba sicut nix per poenitentiam. 2. Si resplendeat facies ejus sicut Sol per novae vitae meliora exempla. 3. Si ascendat montem perfectionis Christianae, & superet omnes difficultates in ea assequenda occurrentes. 4. Si assumat secum fidem, spem & charitatem per tres discipulos indicatas; sic Deus de eo dicet: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vide Fabrum in Silva them. 1.

VII. Ex occasione thematis: *Bonum est nos hic esse*: potest familiariras cum Jesu commendari ex eo, quod ut Thomas Kemp. l. 2. c. 8. ait, esse cum Jesu dulcis sit Paradisus, quia cum illo adest omnis boni praesentia, omnis mali veri (id est, peccati) absentia, & utriusque indesinentia. Vide cit. c. & tit. Christus.

IX. Ex occasione thematis: *Hic est Filius meus dilectus*: ostendi potest, cur Christus tantopere fuerit dilectus a Deo Patre; nempe 1. Quia solam illius gloriam quaesivit. 2. Quia obediens illi fuit usque ad mortem. 3. Quia homines velut filios & imagines ipsius aeterni Patris ab interitu sempiterno vindicavit. Unde Auditores ad imitationem harum virtutum excitentur, si quidem dilecti ejusdem Patris filii esse velint. Vide tit. Intentio, Obedientia, Zelus.

X. Ex occasione thematis: *Transfiguratus est ante eos*: poterit ex eo, quod S. Lucas dixerit: Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera: ostendi orationem esse optimum medium ad transfigurandum & immutandum hominem, juxta S. Augustinum dicentem: Recte novit vivere, qui recte novit orare. Quia per orationem illustratur intellectus, movetur, & accenditur voluptas, & passiones domantur. De quibus effectibus, vide Fabrum conc. 9. lit. B.

XI. Ex occasione thematis: *Duxit illos in montem ex elsum seorsum*: ostendi possunt causae, cur eos in montem duxerit Christus; nempe 1. Ut doceret vim orationis, & orandi modum. 2. Ut doceret, non sine labore beatitudinem obtineri posse. 3. Ut doceret, beatitudinem non in hac vita, velut miseriarum valle, quaerendam esse. Vide Fabrum conc. 10. lit. D.

XII. Ex eodem themate ostendi potest qualitas bonorum caelestium, videlicet quod 1. Sint vera ac solida. 2. Pura & sincera. 3. Secura, & stabilia. 4. Perfecta, & completa. 5. Facili pretio comparabilia. Quae omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum conc. 2.

PRO

PRO DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

I. ERat *Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11. Dicere potest Concionator, quæstionem interdum a nonnullis moveri, ubi dæmonium mutum maxime dominetur: & recte responderi, in templis id maxime dominari; ibi namque in cathedra (dum Concionatores ob metum Auditorum veritatem dicere verentur,) in Confessionalibus (dum peccatores peccata sua sincere, & integre confiteri erubescunt,) in subselliis (dum ora ad orationem aperienda occludit dæmon) mutum dæmonium dominatur; unde dicat, se hoc dæmonium ejecturum, & 1. Ostensurum, quare Auditores libenter pati debeant dici veritatem. 2. Cur sincere explicare debeant peccata sua in confessione. 3. Cur serio orationem peragere debeant; pro qua materia vide tit. Confessio, tit. Veritas, & tit. Oratio.

II. *Et illud erat mutum.* Luc. 11. Potest narrari, quod aliquando dæmon ipse fassus sit, tres esse dæmones, qui plurimum homines ad infernum pertrahant, quorum primus vocatur *claudens*, ut scilicet ante peccatum committendum non meminerint Dei, novissimorum, aut aliorum mediorum a peccato absterrentium, atque adeo non horreant illud committere. Secundus vocatur *claudens os*, ne, ubi peccatum commissurum est, illud rite confiteantur. Tertius *claudens bursam* appellatus conatur efficere, ne restituant male ablata, & sic ipsa quoque peccata non remitti faciat. Ex his tamen tribus dæmonibus se tantum hodie medium ejecturum, atque adeo primum causas propositurum, & fraudes, per quas claudit os; deinde vero easdem solide refutaturum; de quo vide tit. Confessio, §. 11. n. 9.

III. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* Luc. 11. Potest ostendi, quomodo amor aut timor Dei sit talis fortis armatus, efficiatque, ut neque cupiditas ardens, neque timiditas jacens, seu timor tribulationum pacem animæ perturbare possint, quamque adeo sollicite Auditores curare debeant, ut hunc seu amorem, seu timorem atria cordis sui adjungant; de quo vide tit. Charitas, & Timor Dei.

IV. *Revertar in domum meam.* Luc. 11. Dicat Concionator id, quod de immundo spiritu in hoc Evangelio scribitur, plerumque etiam immundis hominibus contingere; nam & hos exire per peccatum a domo paterna, per loca inaquosa voluptatum ambulare, sed non invenire requiem, cum nulla res creata satiare possit animum Dei capacem; id quod fusius probari potest ex tit. Charitas, & tit. Concupiscentia. Sequendum proin, sed in meliori sensu, decretum immundi Spiritus, & dicendum: Revertar in domum meam ad Patrem per veram pœnitentiam, & ibi quæram requiem, quam foris in rebus creatis frustra quæsivi. Quæ amplificari possunt per similitudinem columbæ a Noe ex arca dimissæ Genes. 8. & Filii prodigi ad Patrem redeuntis. Luc. 15. Vide tit. Pœnitentia.

V. *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Luc. 11. Possunt damna malæ, & inveteratæ consuetudinis demonstrari, & ostendi, quomodo posteriora talis hominis fiant pejora prioribus, quoad reatus gravitatem, quoad pœnæ acerbitatem, & quoad emendationis difficultatem; de quo vide tit. Consuetudo §. 3. & 8. & Fabrum conc. to. lit. L.

VI. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. Dicere potest Concionator id, quod in hodierno Evangelio contigit, etiam hodie quotidie contingere; dum enim alium honoribus, alium divitiis, alium voluptatibus affluere homines vident, & ipsi pariter exclamant: Beatus venter, qui te portavit: Sed Christum eos corrigare dicendo: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: hi enim possident Deum, & in ipso omnia alia. Unde ostendatur 1. Quam falso illi beatos putent homines honoratos, divites &c. 2. Quanto verius beati dicantur, qui, uti verbum Dei monet, Deum amant & possident, quamque adeo vere dixerit Psalmista: Beatum dixerunt populum &c. Vide tit. Honor, Divitiæ, Voluptas & tit. Deus.

VII. Ex occasione thematis: *Cum venerit, invenit eam scopis mundatam:* Luc. 11. possunt damna raræ confessionis, & frequentis commode explicari, nempe 1. Quia ubi rara confessio est, ibi multæ sordes reperiuntur, & e contra. 2. Quia multæ dæmoni machinationes inveniuntur, & vicissim. 3. Quia facilis lapsus ad graviora. 4. Quia difficilis fit confessio. Vide Fabrum in Sylva nova.

VIII. Ex occasione thematis, *Erat Jesus ejiciens dæmonium, & ipsum erat mutum:* potest ostendi, quodnam sit illud dæmonium mutum, scilicet 1. Quod impedit, ne veritas, ubi oportet, dicatur. 2. Quod impedit, ne oratio debito tempore fiat. 3. Quod impedit, ne peccata in confessione rite aperiantur. Simulque ostendatur, quomodo expelli debeant hæc dæmonia. Vide tit. Oratio, Confessio, Mendacium.

IX. Ex eodem themate dici potest, Christum quidem olim ejecisse dæmonium mutum, sed hodie magis garrulum dæmonium ejiciendum. 1. Quod incitat ad garriendum in templo. 2. Quod incitat ad detrahendum aut murmurandum in colloquio. 3. Quod incitat ad impatientiæ verba, aut blasphemandum in adversitate, vel persecutione. Quæ omnia cur, & quomodo ejicienda sit, demonstrandum. Vide tit. Lingua, Taciturnitas, Patientia, Blasphemia.

X. Ex eodem themate potest ostendi quomodo ejiciendum sit dæmonium garrulum; scilicet ori appendendo seram parvulam rotulis litteralibus constantem; quæ non aperiri queat, nisi quando tria hæc verba, quæ olim Monachus quidam januæ appendit, necessitas, utilitas, charitas, prodeant; de quo vide tit. Taciturnitas & Lingua.

XI. Ex occasione thematis: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud:* potest dici, quod mundani, quando vident aliquem divitiis, honoribus, & voluptatibus affluentem, dicere soleant: Beatus venter,

qui te portavit &c. Sed Christus hos omnes corrigat dicendo, potius beatos esse, qui voluntatem Dei perfecte implent, hos enim veras divitias, honores, & voluptates possidere; id quod fusius probandum ex titulis Divitiæ. Honor. Voluptates. Resignatio.

XII. Ex occasione thematis: *fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*: potest status hominis malam consuetudinem habentis cum Pharaone Ægyptiaco comparari; & primo quidem ostendi, quomodo impediat animam suam, ne Deo debitum cultum exhibeat, deinde vero eam fugere volentem persequatur, & tandem in mari rubro Passionis, & Sanguinis Christi submergatur; pro quo conceptu vide tit. Consuetudo, & Fabrum conc. 8. lit. B.

PRO DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

I. ET *sequebatur eum multitudo magna*. Jo. 6. Ostendatur, quare Christiani multo magis sequi debeant Christum, quam Judæi, nempe ob tres causas. 1. Quia non morbos tantum corporales eorum sanavit, sed etiam spirituales, auferendo peccatum originale. 2. Quia pane longe nobiliori SS. Eucharistiæ eos pavit, in quo non unum sed plurima miracula ostendit. 3. Quia verbum Dei etiam modo longe excellentiori proponit, scilicet non ex lege scripta, & dura, sed lege gratiæ, & suavi desumptum, & ad summam perfectionem perducens. Ostendatur proin ulterius, quomodo Christum sequi debeant, scilicet magnam de ipso æstimationem concipiendo, magna cum fiducia ad illum confugiendo, & doctrinam ipsius avide audiendo, & practicando. Vide tit. Christus.

II. *Hoc autem dicebat tentans eum*. Joann. 6. Potest dici, merito dubitari posse, quomodo S. Jacobus cap. 1. dicere cum veritate potuerit, quod Deus neminem tentet, cum tamen hic expresse dicatur, Philippum tentasse; sed respondendum esse, quod S. Jacobus de tentatione loquatur, prout significat impulsum ad malum. Evangelium autem de tentatione, prout idem est, ac probatio, seu investigatio interna dispositionis hominis, locutum sit, & hoc modo Deum variis modis probare solere 1. Per penuriæ permissionem, ut probet fiduciam nostram. 2. Per ariditatis, & desolationis immissionem, ut probet devotionem nostram, an solida sit. 3. Per tribulationes immissas, ut probet patientiam nostram. 4. Per tentationem ad peccati permissionem, ut probet amorem nostrum. Excitentur ergo Auditores, ut probationes istas fortiter sustineant, memores doctrinæ S. Jacobi. I. Omne gaudium &c. simulque modus, quo probationem quamvis ex supra dictis sustinere fructuose debeant, ostendatur. Vide tit. Oratio, & Spes, & tit. Tentatio, & tit. Consolatio.

III. *Facite illos discumbere*. Joan. 6. Ostendi potest, quanto desiderio, & præparatione ad panem Eucharisticum præparare nos debeamus, quantaque majori reverentia, & aviditate sæpius eum sumere. 1. Quia mirabiliori modo producitur, & multo plura fragmenta remanet. 2. Quia multo perfectius satiat, & nutrit, nempe quoad ipsam etiam animam. 3. Quia multo majori cum charitate a Christo offertur, & faciliori modo haberi potest. Excitentur ergo Auditores, ut prompte accedant ad locum, ubi Christus per suos ministros hunc panem distribuit, & cum modestia discumbant, & de manu Sacerdotis illum accipiant. Vide tit. Eucharistia.

IV. *Colligite, quæ superaverunt, fragmenta*. Joan. 16. Narrari potest, quod de Monacho quodam in Speculo magno Exempl. scribitur, quod scilicet, eum micas in mensa juxta regulam suo tempore colligere neglexisset, & postea signo finitæ mensæ dato eas cito in volam manus abscondisset, ut eas Superiori ostenderet, & pœnitentiam peteret, Superior, dum manum Monachus aperuit, in miros uniones micas conversas viderit. Subinferatur hoc miraculum quemvis sperare posse, si fragmenta varia diligenter colligat 1. De Eucharistico pane, nimirum reminiscendo per totum diem accepti beneficii, atque per hanc memoriam ad gratias referendas, ad decentiam morum majorem, templaque frequentanda se excitando. 2. De pane Verbi divini unam, alteramve doctrinam sibi ferio applicando, frequenter ruminando, & in opus deducendo. 3. De pane naturali, diligenter reliquias colligendo, & pauperibus distribuendo; quæ omnia quomodo in uniones cælestes convertantur, facile ostendi potest ex dictis tit. Eucharistia, tit. Verbum Dei, & tit. Misericor.

V. *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum*. Joan. 6. Ostendi potest, quomodo Deus a liberalitate hominum superari se non patiatur, atque adeo quanta cum fiducia pauperibus eleemosyna, & alia misericordia sit distribuenda, quem in finem historia de Monasterio per duos Fratres: *Date, & dabitur vobis*: ditato, uti in Spec. Exempl. legere est, perapposite narrabitur. Vide etiam tit. Liberalitas & Misericordia copiosam materiam.

VI. *Accepit ergo Jesus panes, &, cum gratias egisset, distribuit discumbentibus*. Joan. 6. Potest tum per Christi exemplum, per discumbentium ordinem, & modestiam ostendi modus pie, & Christiane ad mensam accumbendi. Vide titul. Oratio. Gratitudo. Modestia.

VII. Ex occasione thematis: *Accepit ergo Jesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus*: Joan. cap. 6. proponi possunt causæ, cur frequenter communicandum sit; nempe 1. Beneficium maximum Institutionis hujus Sacramenti. 2. Summa nostra indigentia. 3. Summus noster fructus: de quibus vide tit. Eucharistia & tit. Communio, & Fabrum in Silva them. 1.

VIII. Ex eodem themate potest probari, quod Eucharistia sit optimum medium ad varias tentationes superandas, juxta illud Davidis Psal. 115. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant nos, præcipue tribulationem carnis, persecutionum, & mor-

& mortis; de quibus vide tit. Euchariſtia, & Communio.

IX. Ex occaſione thematis: *Faciet illos diſcumbere*: oſtendatur, quid requiratur ad dignam ſumptionem, ſcilicet probatio, quæ in quatuor capitibus conſiſtit. 1. In fide viva. 2. In ſeria pœnitentia. 3. In reverentia exteriori. 4. In profundiſſima humilitate. Vel rectius. 1. In debita præparatione. 2. Devota ſumptione. 3. Affectuoſa gratiarum actione; de quibus vide tit. cit.

X. Ex occaſione ejuſdem thematis poteſt oſtendi, quoties permittenda ſit commonio. 1. Sacerdotibus. 2. Religioſis, maxime fœminis. 3. Laicis, maxime conjugatis. 4. Adoleſcentibus; ſimulque ſalutaria præcepta circa frequentiam hanc ſuggerantur, maxime quomodo ſopplere poſſunt hanc frequentiam. Vide tit. cit.

XI. Ex occaſione thematis: *Diſtribuit diſcumbentibus, quantum volebant*: oſtendi poteſt, quod multi, quoties volunt, ad communionem accedant, & tamen optatum fructum & ſaturitatem non reportent, idque contingat. 1. Ex defectu debitæ intentionis. 2. Ex defectu legitimæ diſpoſitionis. 3. Ex defectu legitimæ collectionis; de quibus vide tit. Euchariſtia.

XII. Ex eodem themate incitari poſſunt Auditores ad ſpiritualem commonionem frequenter peragendam, eumque in finem explicari. 1. Quid ſit. 2. Quantos fructus afferat. 3. Quæ privilegia habeat præ reali communione, ſcilicet, quod a vana gloria ſit libera; qood brevis ſit, atque ideo majori fervore peragi poſſit; quod ſæpius in die repeti queat. Vide nos.

PRO DOMINICA PASSIONIS.

I. *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis myſterium*. Eccl. in Hymno. Dici poteſt, S. Leonem ſerm. 9. de Quadrag. ſic ordiri: In omnibus, dilectiſſimi, ſolemnitatibus Chriſtianis non ignoramus, Paſchalem Sacramentum eſſe præcipuum, cui condigne, & congrue ſuſcipiendo totius qoidem nos temporis inſtitota reformant, ſed doctrinam noſtram præſentes vel maxime dies exigunt, quos illi ſublimiſſimo divinæ miſericordiæ Saeramento ſcimus eſſe contiguos; ita ille, & per illum hodie Eccleſia. Qoia vero non omnes ſciunt hunc modum, ideo in hac concione docebitur. Narretur ergo breviter, qood in Speculo Exempl. V. Paſſio ex. 6. legitur de peregrino, tranſeunte die Veneris ſancto ſilvam, & videute omnes aviculas duabus alis arbori adhærentes velut mortuas, quæ tamen a tranſeunte in Paſchate omnes lætæ, & hilares ſint viſæ. Simili ergo modo, dicat Concionator, omnes Chriſtianos duabus alis, id eſt, affectu, & effectu, arbori crucis adhærere debere, id eſt meditando aſſidue paſſionem, varioſque affectus eliciendo, & cum Chriſto libenter ſufferendo tribulationes occurreutes. Vide tit. paſſio Chriſti.

II. *Quis ex vobis arguerer me de peccato?* Joann. 8. Oſtendi poteſt, quis ſit optimus modus ſe contra calumnias, & murmurationes hominom defendendi, ſcilicet, ſi quis iu officio ſuo ita ſe gerat, ut dicere poſſit: Quis arguet me &c. uode præcipue hæc verba uſurpanda a Paſtoribus, Judicibus, Concionatoribus, Patribus familias &c. Vide titul. Dilectio Proximi. parag. 3. num. 52. & 58. & titul. Exemplum.

III. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Joan. 8. Oſtendi poſſunt cauſæ, cur veritatem dicenti non credatur; nempe quia velut ſpeculum exhibet turpitudinem, & quia a nobis concupiſcentias noſtras velut radices malorum eruere conſtur; & tandem quia coovincit nos ob crimina noſtra. Declaretur ergo, quomodo ob has, & ſimiles cauſas potius libenter veritatem dicenti credere Auditores debeant, ut remedium adhibere poſſint. Vide tit. Veritas.

IV. *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu?* Joann. 8. Poteſt vitium judicii temerarii diſſuaderi, & 1. Oſtendi, quid ſit, & quæ ejus indicia. 2. Quam commune ſit vitium. 3. Quam noxium. 4. Quibus medils cavendum; de quibus omnibus vide tit. Judicium temerarium.

V. *Tulerunt ergo lapides in eum*. Joann. 8. Oſtendi poteſt, quomodo & cur humana judicia ſpernenda ſint, nimirum 1. Quia impoſſibile eſt omnibus placere. 2. Qoia vanum eſt, ea timere, cum ob ea homo, nec melior, nec deterior ſit. 3. Quia noxium eſt, ad ea attendere, cum omnia inordinata debeat facere, qui hæc judicia attendit, uti Polycletes Pictor oſtendit, qui, cum imaginem a ſe eleganter pictam juxta cujuſque prætereuntis ſenſum correxiſſet, turpiſſimam fecit. Vide tit. cit. Judic. temer.

VI. *Ero ſimilis vobis mendax*. Joan. 8. Poteſt natura, fœditas, & damna mendacii demonſtrari, & unum, vel alterum medium ad illud devitandum proponi; de quo vide tit. Mendacium.

VII. Ex occaſione thematis: *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem*: Joan. 8. oſtendi poteſt, cur Eccleſia nobis his diebus memoriam Paſſionis refricet, videlicet 1. Quia memoria hæc eſt Chriſto valde grata, uti non ſemel revelavit. 2. Quia eſt nobis valde otilis ad varias virtutes exercendas, præcipue patientiam in tribulationibus. 3. Quia illa gratitudinem pro beneficio paſſionis exigit. Vide tit. Paſſio Chriſti; ſimulque oſtendi, quomodo hæc memoria refricanda ſit, ſcilicet per affectuoſam meditationem, per doloroſam compaſſionem, per ferventem gratiarum actionem.

VIII. Ex occaſione thematis; *Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat*: oſtendatur 1. Quare vana gloria fugienda ſit, nempe quia vana, falſa, noxia Deo & nobis eſt. 2. Quomodo, ſi nos eam fugiamus, Deus illam quærat, faciendo, ut magis honorificemur a Deo & hominibus, uti ex vitis Sanctorum paſſim colligitur.

IX. Ex occaſione thematis: *Ipſe autem abſcondit ſe*: oſtendi 1. poteſt, quod & contra nos homines ſæpe tollant lapides judiciorum, detractionum, perſecutionum. 2. Quomodo con-

contra tales lapides defendere nos debeamus, scilicet scuto taciturnitatis, humilitatis & patientiæ; de quibus vide tit. eundem.

X. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quam grave sit vitium blasphemiæ, & quomodo Magistratus, & quilibet audiens eos, lapides tollere, id est, corrigere, & punire debeat blasphemantes; de quo vide tit. Blasphemia.

XI. Ex occasione thematis: *Ero similis vobis mendax:* potest ostendi, quantopere mendacium hominem dedeceat, sive consideretur ut filius Dei, sive ut Christianus, sive ut homo ad societatem natus, sive ut ingenuus, & liber, sive ut vir, de quo dicitur: *Ein Mann, ein Mann, ein Wort, ein Wort*; sive ut Germanus, cui propria creditur veracitas, quæ omnia facile amplius deduci possunt.

XII. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quinam sint mendaces occulti, id est, qui nolunt videri mendaces, & tamen sunt mendaces quam maxime. Nimirum 1. falsi & tepidi Christiani, qui fidem habent sine operibus. 2. Falsi amici, qui amicitiam ore, inimicitiam opere profitentur. 3. Falsi Sacerdotes & Religiosi, qui habitu clericum, fastus sæcularem præseferunt. 4. Hypocritæ, qui exterius sanctitatem, intus malitiam monstrant; quæ omnia facile ex propriis titulis dilatari & probari possunt.

PRO DOMINICA PALMARUM.

I. A*Lii autem cædebant ramos de arboribus*. Matth. 21. Ostendi potest, quomodo Christo ad nos per communionem Paschalem introducendo cum palmis obviare debeamus, superando nempe difficultates, quæ in tribus partibus Sacramenti pœnitentiæ obeundis sentiuntur a plerisque: in contritione scilicet, confessione, & satisfactione, maxime si restitutio facienda, aut consuetudo deserenda sit; qua de materia vide tit. Confessio.

II. Ex eodem themate ostendi potest, multos quidem comitari processionem Palmarum, palmam in manibus gestantes, sed optimam Deoque gratissimam, & ipsi portanti utilissimam palmam esse victoriam sui ipsius, maxime in illo vitio, quod adhuc maxime infestat; quæ omnia facile ex iis, quæ tit. Mortificatio §. 12. num. 8 & 9. dicta sunt, probari possunt.

III. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Matth. 21. Potest dici, quod Christus ideo hæc verba describi voluerit, ut nos quoque ad imitationem mansuetudinis in passione, & tribulatione nostra incitaret, sicque cuivis proximo de nobis dici possit: Ecce frater tuus venit tibi mansuetus. Probetur ergo; quam perfecte Christus mansuetudinem in passione sua docuerit, & quomodo quivis Christianus eum imitari debeat. Vide tit. Mansuetudo.

IV. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via*. Matth. 21. Potest ostendi, quomodo Christus per communionem Paschalem introduci in animam debeat; scilicet cædendo ramos de arboribus, id est, vincendo nos in confessione feria præmittenda: sternendo vestimenta in via, id est, varias virtutes fidei, spei, charitatis, humilitatis, religionis, exercendo, clamando Benedictus, qui venit, id est, in varias laudes Christi, & affectuosas petitiones erumpendo. Vide tit. Eucharistia.

V. *Hosanna Filio David*. Matth. 21. Potest inconstantia Mundi ostendi, quod hodie Christum tam solemniter introducat in urbem, & paulo post tam ignominiose educat in mortem. Demonstretur ergo, hoc idem omnibus Mundi amatoribus fieri, idque ex iis, quæ tit. Mundus dicta sunt, probetur.

VI. *Adduxerunt asinam, & pullum*. Matth. 21. Ostendi potest, cur Christus Jerusalem ingressus super asinam sedere voluerit, scilicet ut indicaret, neminem Jerusalem cælestem ingressurum, nisi qui super asinam, id est, corpus suum sederet, illudque in camo & fræno per mortificationem constringeret, & ut asinum tractaret, illaque tria ab Ecclesiastico c. 33. indicata: Cibaria, & virga, & onus asino: erga ipsum observaret. Ostendatur ergo, quomodo hæc in praxi observanda sint. Vide tit. Abstinentia. Mortificatio.

VII. Ex occasione thematis: *Alii autem cædebant ramos de arboribus*: Matth. c. 21. ostendi potest, quod optimi rami palmarum Christoque gratissimi sint concupiscentiæ, & occasiones peccandi abscissæ, maxime concupiscentiæ carnis, oculorum & superbiæ; item malorum sociorum: ad quem finem varia media offerenda; de quo vide tit. eit.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod rami omnium gratissimi sint, qui de arbore crucis abscinduntur, id est, tribulationes patienter toleratæ, maxime dolores in corpore, contemptus in fama, & desolationes in anima occurrentes; de quibus vide tit. Patientia.

IX. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quomodo rami palmæ præcidi debeant in difficultatibus circa confessionem, communionem, & emendationem vitæ occurrentibus, quæ omnes facile consideranti occurrent.

X. Ex occasione thematis: *Dominus his opus habet*: ostendi potest, quid Christus hac hebdomada exigat a nobis, scilicet 1. Majorem collectionem, & dispositionem curarum sæcularium. 2. Majorem devotionem in templo, & precibus frequentandis. 3. Majorem mortificationem in pœnitentiæ operibus suscipiendis. 4. Majorem compassionem in Christi cruciatibus considerandis, & fructuose sibi applicandis. Vide tit. Passio Christi. Item Fabrum conc. 3.

XI. Ex occasione thematis: *Straverunt vestimenta sua in via*: ostendi potest, quomodo virtutes varias, quæ sunt ornamenta, & vestimenta animæ, substernere debeant Auditores, nempe fidem, spem, charitatem, humilitatem, obedientiam, & similes, quæ proin, quomodo tempore communionis exerceri possint, fusius ostendendum.

XII. Ex occasione thematis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*: ostendi potest, quam multi tempore communionis dicant: Benedictus, qui venit in nomine Domini, & mox

cum

eum deferant. Uti 1. ii, qui post Corpus Christi acceptum mox recedunt sine gratiarum actione, & colloquio cum Christo. 2. Qui post Confessionem peractam mox ad antiqua vitia revertuntur. 3. Qui multa proposita, & fervensia desideria emendationis concipiunt, & statim iterum derelinquunt; quæ omnia facile practice demonstrari possunt.

PRO FERIA V. CŒNÆ DOMINI

E T

Die Veneris Sancto de Domini Passione.

I. *Christo igitur passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Potest Passio Christi Myrothecio spirituali comparari, & ostendi, quod varia mysteria sint quasi diversæ capsulæ præstantissimo balsamo refertæ ad varios afflictos homines, præsertim variis angoribus, contemptibus, morbis, indigentiis, persecutionibus, timore mortis, angustiatos. Pro quo materia vide tit. Passio. §. 12. n. 2. & in Instruct. 7. fol. 372. totam concionem.

II. *Accepto corpore Joseph, involvit illud sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo.* Matth. 27. potest ostendi, quomodo Auditores Christo sepulchrum longe gratius erigere queant, si cor suum Christo offerant, & in eo mysteria passionis per continuam illorum recordationem expendant, & lumina variorum affectuum, puta doloris, compassionis, fiduciæ, amoris, gratitudinis, imitationis accendant. Unde occasio datur potiora mysteria explicandi, & actus inde elici solito enumerandi.

III. *Jam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Cant. 2. Potest ostendi 1. quod hyems passionis, & imber effusi sanguinis transierit, enumerando & exaggerando potiora mysteria passionis, & varias sanguinis effusiones. 2. Ostendi potest, quod jam flores apparere debeant in terra nostra, id est, varii actus virtutum, ad quas Passio Christi specialiter nos excitat, elici, quorum aliquos c. tit. Passio §. 12. n. 3. indicatos videre est.

IV. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Ps. Potest magnitudo beneficii Redemptionis demonstrari, eumque in finem historia de Androdo servo Romano ipsmam leoni eripiente, & ab hoc postea vicissim contra alios leones in Amphitheatro defenso, narrari; sicque concio in duas partes dividi; in quarum prima ostendatur, quam acutam spinam peccati humanum genus per Adamum contraxerit, & quanto cum labore, & difficultate Christus per Passionem suam (cujus potiora mysteria recenseantur,) eamdem extraxerit. In secunda parte ostendatur, quid vicissim humanum genus debeat Christo, & quomodo eum contra peccata velut alios leones defendere, & in antro cordis ei habitationem concedere debeat; ubi pulchræ antitheses inter beneficium Christi, & obligationem hominis in occasione peccandi constituti fieri possunt. Vide cit. tit. Passio.

V. *Respice in testamentum tuum.* Psal. 73. Potest testamentum Christi in cruce factum, sanguine suo subscriptum, & tribus clavis velut sigillo munitum, aperiri, & quid cuivis forti hominum relinquet indicari, ubi tria præstanda erunt, 1. Certum mysterium proponendum, v. g. Sudor in agonia effusus, & quam gravis illa afflictio fuerit, quamque adeo pretiosum sit donum, ostendendum. 2. Cur forti hominum conveniat, & quam apte ei relicta sit a Christo, demonstrandum erit. 3. Quomodo hoc donum a Christo relictum pro honore, & solatio Christi, & propria salute quivis applicare debeat, indicandum erit; pro quo vide iterum cit. tit. Passio. & Instruct. 7. f. 39. n. 6.

VI. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2. Potest dici, quod vere S. Aug. tr. 119. in Joan. dixerit: *Crux Christi non tantum est lectulum morientis, sed etiam Cathedra docentis:* numquam enim perfectius virtutes, quam in cruce, docuit, præsertim humilitatem, obedientiam & patientiam, quæ proin tres virtutes fusius explicentur, ostendendo, 1. in quo consistat. 2. Quam perfecte Christus eas docuerit. 3. Quomodo eas imitari debeamus, & quem fructum inde reportaturi simus. Vide tit. Humilitas, Obedientia, Patientia, & tit. Passio.

VII. Ex occasione thematis: *Cœpit lavare pedes Discipulorum*: Jo. 13. Possunt causæ hujus lotionis explicari, nimirum 1. ut ostenderet, animam prius per confessionem, aut contritionem lavandam, quam corpus Christi sumatur. 2. Ut exemplum humilitatis relinqueret. 3. Ut insinuaret, se sanguine suo peccata nostra abluturum; quæ omnia fusius explicata vide apud Fabrum conc. 1. & passim in libris Meditationum, unde & sequentia themata non nisi breviter indicabuntur.

VIII. Ex occasione thematis: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*: possunt ostendi causæ institutionis; videlicet 1. ut esset memoriale passionis. 2. Juge sacrificium. 3. Pingue convivium; de quibus vide Fabr. concion. 2.

IX. Ex eodem themate possunt explicari circumstantiæ Institutionis & singularum rationes afferri, videlicet 1. cur sub duplici specie panis & vini instituerit. 2. Cur pridie quam pateretur. 3. Cur post agni Paschalis comestionem. 4. Cur nocturno tempore. 5. Cur in cœna. 6. Cur in cœnaculo grandi, & strato. 7. Cur tali ritu, panem in manus sumendo, gratias agendo, benedicendo, frangendo, dando discipulis &c. 8. Cur sub tali verborum formula. Quæ omnia explicata vide apud Fab. conc. 3. & 4.

X. Ex eodem themate explicari possunt primaria attributa, quæ elucent in hoc Sacramento, nimirum Potentia, Sapientia, Bonitas, Misericordia, & Justitia; de quibus vide Fabrum conc. 5.

XI. Ex eodem themate explicari possunt primariæ virtutes, quas in Eucharistia instituenda Christus ostendit, nimirum 1. Charitas. 2. Religio. 3. Humilitas. 4. Obedientia. 5. Patientia. 6. Constantia. 7. Fides; quæ passim apud Auctores in meditationibus explicantur.

XII. Ex occasione thematis: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*: ostendi potest, quod eodem ritu, quo Christus typicum agnum Paschalem sumpsit, agnum verum seu Corpus Christi sumere debeamus, videlicet 1. accincti renibus per continentiam. 2. Calceati per contemptum mundi. 3. Tenentes baculos per spem, & fiduciam 4. Festinantes per ardens desiderium. 5. Integre per consumptionem physicam, & moralem specierum, ees in suum convertendo. Vide Fabrum conc. 6.

PRO FERIA VI. PARASCEVES.

I. EX occasione thematis: *Plangent eum planctu magno, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum*: Zech. cap. 12. potest narrari historia de Nobili Angelo, qui cum Sareceno in die Parasceves per silvam transiens omnes aviculas expensis alis arbori ad modum crucis adhærentes vidit; simulque ostendi, quomodo Christiani nunc pariter duabus alis affectus gratitudinis, fiduciæ, contritionis, amoris &c. & effectus, multa pro & cum ipso sustinendo, & abstinendo adhærere debeant; quem conceptum vide in Instruct. 7.

II. Ex occasione thematis: *Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei*: Act. 14. ostendi potest, quod, cum periculosa itinera suscipientes comites fideles adsciscant, Auditores comites tres Christi; ut P. Balthasar Alvarea Societatis Jesu Sacerdos vocabet) indigentiem, dolorem, & contemptum eligere debeant, id quod in exemplo Christi monstrandum. Vide cit. Instr.

III. Ex occasione thematis: *Duxerunt eum, ut crucifigerent*; Matt. c. 27. potest spirtualis processio institui ad quinque loca præcipua passionis, videlicet 1. ad montem Oliveti. 2. Ad locum flegellationis. 3. Ad locum coronationis. 4. Ad locum bajulationis Crucis. Ad montem Celvariæ, & in singulis brevis exhortatio haberi.

IV. Ex eodem themate potest spiritualis processio, ut in die Parasceves fieri solet, institui, & 1. Crux præferri, per cujus aspectum animentur eam sequentes. 2. Turba flagellantium sequi, qui inordinatum amorem velut sanguinem flagellis spiritualibus expellant. 3. Subsequi turba crucigerorum crucem suarum tribulationum portantium. 4. Agmen claudere turba expansis brachiis orantium; quæ omnia facile susius deduci possunt.

V. Ex occasione thematis: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis dolori meo*. Thren. 1. potest tragœdia spectanda exhiberi, in quo quinque actus constituant quinque præcipua mysteria passionis, videlicet agonia, flagellatio, coronatio, crucis bajulatio, crucifixio; & spectatores ad varios affectus eliciendos incitari.

VI. Ex occesione thematis: *Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*. Luc. c. 22. possunt omnes Sanguinis Christi effusiones proponi, & per ees Auditores ad odio habendum, & persequendum peccatum incitari, sicut Elephantes sanguine conspecto ad furorem concitari solent. Possunt autem singulis effusionibus singula peccata mortalia opponi.

PRO RESURRECTIONE DOMINI.

I. SUrrexit non est hic. Marc. 16. Persuaderi potest, ut Auditores cum Christo resurgere studeant; ideoque in prima perte ostendatur, in quo consistat vera resurrectio, scilicet in eo, quod anima iterum corpori uniatur, & non amplius dissolvatur; sic ergo & resurrectio spiritualis consistit in hoc, quod homo iterum Deo concilietur, & hæc unio non amplius dissolvetur. 2. Quomodo hæc resurrectio obtineri debeat, scilicet per gratiam Dei, & propriam virtutem seu cooperetionem, quæ omnia facile ex iis, quæ tit. Pœnitentia, & tit. Resurrectio dicuntur, amplificari possunt.

II. Ex eodem themate ostendi potest, ex quibus indiciis colligi possit, quod aliquis vere cum Christo resurrexerit, nempe ex eo, quod quis quatuor dotes corporis gloriosi in anima spiritualiter possideat. Et 1. sit subtilis in difficultatibus omnibus, quæ velut firmus murus emendationem impediunt, perrumpendis. 2. Sit agilis ad omnia, quæ sive ad cultum Dei, sive ad salutem propriam, charitatemque proximo exhibendam pertinent. 3. Sit clarus claritate boni exempli domesticis, & vicinis præbendi, in iis præcipue occasionibus, & meteriis, in quibus scandalum præbueret. 4. Sit impassibilis in iis occasionibus, in quibus se hactenus iracundum, aut impatientem ostenderat. In quem finem non parum conducet exemplum juvenis, qui, cum eidem ex terris peregrinis redeunti mulier impudica, cum qua prius fœdum commercium habuerat, occurreret, diceteque: Ego sum illa &c. non me nosti? respondit: At ego non sum amplius ille. Vide tit. Pœnitentia, & tit. Exemplum.

III. Ex eodem themate potest Mundi vanitas ostendi, & pro fabella Paschali narrari, quod cuidam Sacristano contigit, qui, cum pecunias suas in sacrario, ubi scripta erant hæc verba: Hic jacet Christus sepultus: recondidisset, paulo post ablatas esse deprehendit, & hanc subscriptionem, priore deleta, substitutem. Surrexit, non est hic. Ostendatur ergo per sententias S. Scripturæ, SS. PP. & Exempla tum honorum, tum voluptatum, tum divitiarum materalium vanitas, & ad spirituales honores, voluptates, & divitias quærendas excitentur Auditores. Vide tit. Divitiæ, Honor, Voluptas.

IV. *Quis revolvet nobis lapidem*? Marc. 16. Dici potest hoc esse potissimum fere impedimentum, quo homines impediantur ab emendatione vitæ, quod difficultatem in ea intervenientem horreant; hinc lib. de imitatione Christi c. 25. ait: Unum est, quod multos a profectu, & ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis, seu lebor certeminis. Ostendatur ergo, quæ media ad hanc emendationem edhibere debeent, scilicet magnum desiderium emendationis concipiendo: gratiam divinam

vinam per orationem crebro petendo, & tandem serio cooperando, & vim sibi in iis, quæ maxime infestant, vitiis inferendo, eumque in finem varias personas, quæ a tali vitio facile abstinent imaginando, & quasi insultando sibi, ipsi dicere: Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris? Vide cit. tit. Pœnitentia, & tit. Consuetudo.

V. *Ibi eum videbitis.* Marc. 19. Potest ostendi, cur Christus tam variis personis post Resurrectionem suam apparuerit, nimirum ut non ipse solus gaudium Resurrectionis participaret, sed etiam illis communicaret. Simili ergo modo & eos, qui spiritualiter cum ipso resurrexerunt apparere variis personis debere: Matri suæ Ecclesiæ tamquam gloriose resurgentes: Domesticis in species hortulani, qui zizania evellat, & virtutum flores producat: Amicis & vicinis per modum pacem apprecantis: Afflictis per modum hospitis favum mellis, id est consolationem, porrigentis: Ignorantibus per modum peregrini socios in Emmaus euntes instruentis: in Purgatorio constitutis per modum Redemptionis; quæ omnia facile ulterius amplificari possunt. Vide titul. Pœnitentia, & Zelus.

VI. *Præcedet vos in Galilæam.* Marc. 16. ostendi potest quis sit optimus modus proximum ad frugem, seu vitiorum fugam, & virtutum amorem trahendi, nempe per exemplum. Dein vero pariter demonstrari potest, quomodo hic modus ab iis, qui subditos habent, usurpari practice debeat. Vide tit. Exemplum.

VII. Ex occasione thematis: *Surrexit, non est hic.* Marci 16. ostendi potest, quomodo cum Christo vere resurgendum, scilicet 1. vere & non simulate vitam priorem detestando. 2. Apparendo Simoni seu Sacerdoti per legitimam confessionem. 3. Sumendo cibum Eucharistiæ per communionem, sicque probando se vere surrexisse. Vide Fabrum in Dom. Resurr. n. 1.

VIII. Ex eodem themate potest triplex Resurrectio proponi. 1. Phantastica, qualis fuit Samuelis a Pythonissa excitati. 2. Imperfecta seu hominis denuo morituri, qualis fuit Lazari. 3. Perfecta, & perpetua, qualis fuit Christi, qui non moritur amplius; quæ omnes tres Resurrectiones in sensu morali explicari possunt. Vide tit. Resurrectio.

IX. Ex occasione thematis: *Nolite expavescere:* ostendi potest, cur non timere debeamus, sed potius gaudere in hoc Festo juxta sensum Ecclesiæ dicentis: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. 1. Quia Victoria generalis de triplici hoste, mundo, Dæmone, ac carne, reportata. 2. Quia devicta peccata, & velut Pharao cum exercitu suo in mari rubro demersa. 3. Quia mors quoque superata, juxta illud: O mors, ubi est victoria tua? Cor. 15. quæ fusius explicata vide apud Fabrum conc. 8.

X. Ex eodem themate ostendi potest, cur hoc tempore assiduo ab Ecclesia Alleluja cantetur? nimirum quia idem significat, ac *laudate Deum*, propter beneficium Redemptionis, propter gaudium Resurrectionis, propter favorem multiplicis apparitionis. Quæ beneficia paulo amplius demonstrari possunt, de quo vide de Fabr. concion. 6.

XI. Ex occasione thematis: *Qui revolvet nobis lapidem?* possunt tres lapides a vera resurrectione impedientes indicari, de quibus Thomas Kemp. l. 3. c. 12. ait: Obsistet inolita consuetudo, sed meliori consuetudine devincetur: Remurmurabit caro, sed fervore spiritus frænabitur: Instigabit & exacerbabit te serpens antiquus, sed oratione fugabitur: insuper & labore utili aditus ei magnus obstruetur. Vide tit. Consuetudo, Dæmon.

XII. Ex occasione thematis: *Surrexit, non est hic:* ostendi potest, cur Christus primo B. Virgini, dein mulieribus, Magdalenæ apparuerit, & ubique salutares doctrinæ eruendæ; quales videri possunt apud Fabrum conc. 16. n. 6. & 7. Item conc. 9. n. 3. lit. D.

PRO FERIA II. PASCHATIS.

I. QUi sunt hi sermones, *quos confertis ad invicem?* Luc. 24. potest ostendi 1. quam cauti esse debeant homines in loquendo ob gravia damna, quæ ex lingua male custodita sequuntur; simulque ostendi optimum esse medium ad hanc cautelam adhibendam, si Christum omnia audientem, & quærentem: Qui sunt hi sermones &c. imaginemur; si enim præsentia S. Bernardini tantum valuit, ut dicerent socii turpia loquentes: Tacete, Bernardinus venit: quanto magis Christi aut Dei præsentia idem efficiet? Vide tit. Lingua.

II. *Duo ex discipulis Jesu ipsa die ibant in castellum nomine Emmaus.* Luc. 24. Dici potest, communem quidem esse consuetudinem, quod hoc die ambulent ad aliquod templum vel prædium, & dicant, se in Emmaus ire velle; quam consuetudinem utpote per se non malam facile tolerari posse, sed quod multi spiritualiter statim post communionem Paschalem eant iterum in Emmaus, id est, ad populum abjectum, ad malos socios, & socias, hoc merito tolerandum non videri; ideo ostendendum, quantopere detestandus sit relapsus, & quæ media adhibenda. Vide titul. Peccatum §. 3. 5. & 12. Vide Relapsus.

III. *Tu solus peregrinus es?* Luc. 24. Ostendi potest, quam vere omnes homines peregrini sint, & salutares inde doctrinæ eruendæ, maxime ut solum necessario victu, & vestitu sint contenti: non curent multum de locis, aut personis, quo transeunt: cum omnibus pacifice agant; patienter ferant molestias itineris; nihil emunt, aut procurent, quod secum ferre non possunt: Patriam semper ob oculo habeant, ejusque desiderio se solentur. Vide tit. Opera bona, & Fabrum conc. 4.

IV. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Luc. 24. Ostendi possunt fructus præsentiæ Dei cogitatæ, quod scilicet 1. faciat ardentes in observatione Mandatorum Dei, juxta illud Senecæ: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturi testis assistat. 2. Ardentes in oratione. 3. Ardentes in operatione, nam oculus Domini saginat equum. 4. Ardentes in tribulatione patienter feren-

faenda, uti S. Stephanus expertus est. Vide tit. Praesentia Dei.

V. *Et aperti sunt oculi eorum*. Luc. 24. Explicari possunt causae, cur multi ex Communione nihil proficiant, scilicet ob defectum legitimae intentionis, dispositionis, devotionis, collectionis post Communionem; de quibus vide tit. Eucharistia, & Fabrum conc. 2.

VI. *Ipse se finxit longius ire*. Luc. 24. Ostendendum, quomodo & nunc Christus fingat se longius ire. 1. Tempore necessitatis quoad temporalia. 2. Tempore morborum, quando non habentur, vel nihil proficiunt remedia. 3. Tempore ariditatis & desolationis in oratione. 4. Tempore tentationis. 5. Tempore persecutionis. Demonstretur pariter, quomodo in his occasionibus se gerere, & ad Christum clamare, & cogere debeant dicentes: Mane nobiscum Domine &c. Vid. tit. Oratio, & tit. Tentatio, & Crux.

VII. Ex occasione thematis: *Duo ex Discipulis ibant in castellum nomine Emmaus*. Luc. 24. potest ostendi, qui Christiani in Emmaus *oder Nebenauss* ire soleant, videlicet. 1. Qui exiguam ad Deum fiduciam habent. 2. Qui beatitudinem in hac vita obtineri posse putant. 3. Qui sine patientia Caelum intrare volunt. 4. Qui a confessione, & communione Paschali se subducuntur. De quibus vide Fabrum in sylva nova them. 1.

VIII. Ex occasione thematis: *Surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem*: ostendi possunt causae, cur multi post communionem Paschalem ad antiqua vitia redeant. Nimirum 1. Temeritas, & praesumptio in occasionibus peccati iterum frequentandis. 2. Defectus serii propositi. 3. Consuetudo; pro quibus proin idonea remedia praescribantur, qualia in Fabro conc. 1. videri possunt.

IX. Ex occasione thematis: *O stulti & tardi corde ad credendum*: potest ostendi modus corrigendi proximum. Nimirum 1. ut sit privata. 2. Ut sit suavis. 3. Ut sit efficax; de quibus vide tit. Dilectio Proximi.

X. Ex occasione thematis: *Finxit se longius ire*: potest dici, esse antiquum morem, ut Fabula Paschalis hoc tempore narretur, itaque, & hunc morem nunc servatum iri. Narretur itaque Fabulam de lupo, quia a Rustico in furto deprehensus promisit, se deinceps non ultra septem obolorum pretium furaturum; sed paulo post occurrente vacca cum vitulo, sibi persuasit, vaccam nonnisi quatuor, vitulum vero trium obolorum pretium aequare, ac proin utrumque devoravit. Ex qua deducatur, quomodo peccatores promissa sua secus interpretantes antiqua peccata repetant, uti variis instantiis ostendi potest. Vide Inst. 2.

XI. Ex occasione ejusdem thematis narrari potest fabula de duobus musculis, urbano, & villano, quorum prior, cum villanum visitans non nisi mucidum panem accepisset, eundem secum in arcem, & penuarium instructissimum perduxit; sed cum ibidem a fele insidiante fere deprehensi essent, valedixit villanus urbano, dixitque, malle se mucido pane cum pace, quam deliciis urbani cum perpetuo timore frui. Ex qua fabella inferatur, quam vere dixerit Salomon: Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena jurgiis; atque adeo vita privata prae aulica aut deliciis, & opibus abundante sit amanda. Vide Ibid.

XII. Ex occasione ejusdem thematis narretur fabula de sartore Jovem accusante, quod reos non puniendo male ageret, unde a Jove in caelum evocatus, & in throno colocatus, jussus est ostendere modum bene regendi; cum ergo puerum in horto pomum furantem vidisset, magno furore suppedaneum scabellum ipsum projecit. Quod cum vidisset Jupiter, accessit ad illum, dixitque: En, O Sartor nequissime, quam male mundum regeres; si enim ego in te tuique similes toties scabellum meum projicere voluissem, ubi lcriniarios sufficientes pro scabellis fabricandis acquirere potuissem? Inferatur ex hac fabella, quam patienter mutuos defectus sufferre debeamus, memores, quod iisdem defectibus, & pluribus ipsi subjaceamus.

PRO FERIA III. PASCHATIS.

I. EX occasione thematis: *Habetis hic aliquid, quod manducetur?* possunt ova paschalia distribui, & 1. Quidem Clerici deauratum, in quo Christus in specie Hortulani depictus est, sicut S. Magdalenae apparuit. 2. Magistratui rubrum, in quo vigiles sepulchrum custodientes depicti sunt. 3. Patribus familias caeruleum, in quo Christus in Galilaeam praecedens repraesentetur. 4. Mulieribus violaceum, in quo repraesententur Mulieres ad sepulchrum euntes 5. Juvenibus partim album, partim rubrum, quod Angelum in sepulchro sedentem exhibeat; quae omnia quid moraliter significent, fusius ostendatur, uti fit instr.

II. Ex eodem themate unicum ovum offeratur, illud nempe, quod vicinus quidam vicino suo male rem familiarem administranti obtulit ea conditione, ut singulis diebus in singulas domus partes portaret, quod faciendo, cum omnia sibi melius succedere advertisset, tandem aperiens invenit hanc schedam: *Wilst dass dir dein Sach wohlgeling? Schau all Tag fleissig zu dein Ding*. Unde doceatur, quomodo animam inspicere debeamus, tempore examinis, confessionis, & annuae recollectionis, aut quomodo frumentum bonorum operum, penuarium talentorum, passionum velut pecorum cura, vinum conscientiae bonae, laboratorium quotidianorum laborum se habeat; quae fusius vide in cit. Inst. 53.

III. Ex occasione thematis: *Pax vobis*; ostendatur, qualis pax optetur a Concionatore Auditores, nimirum 1. Sibi. ipsi inter animam, & conscientiam. 2. Conjugibus inter se. 3. Domesticis, liberis, & famulis. 4. Pax in civitate; & Provincia; de quo vide Fabrum in Silva them. 5.

IV. Ex occasione thematis: *Pax vobis*: potest explicari, in quo consistat vera pax animi, ejusque necessitas, utilitas, & jucunditas demonstrari; de quo vide tit. Pax.

V. Ex eodem themate possunt quatuor impedimenta pacis interioris demonstrari, videlicet. 1. Culpa mordens. 2. Cura pungens;

3. Af-

3. Affectus vigens. 4. Tribulatio erucians, & pro singulis salutaria remedia afferri. Vide tit. Pax.

VI. Ex occasione thematis: *Ego sum, nolite timere*: indicari possunt causæ, cur quis præsente Christo timere non debeat, quia videlicet est prudentior, fidelior, potentior quocumque exercitu humano, & Angelico. Hinc merito cum S. Davide dicere potest: Si consistant adversum me castra, non timebo, quoniam tu mecum es. Vide tit. cit. Pax.

PRO DOMINICA IN ALBIS.

I. *Venit Jesus, & stetit in medio.* Jo. 20. ostendi potest, quod felices quidem judicati sint Apostoli, quod Jesum in medio stantem videre meruerint; sed multo feliciores nos sumus, qui non semel, sed semper eum in medio habere possumus, nempe si eum habeamus semper in memoria præsentem, cogitando: in intellectu, eredendo, quod omnia in eo habeamus: in voluntate, ex corde toto diligendo. Demonstretur deinde, quos fructus ex ipsius præsentia habituri simus, nempe habendo Spectatorem, Adjutorem, & Consolatorem maximum, & optatissimum. Vide tit. Christus.

II. *Pax vobis.* Jo. 20. Potest persuaderi pax, & concordia cum proximo, & 1. ostendi, in quo consistat, nempe ut idem sentiamus, & velimus, juxta exemplum primorum Christianorum, quorum erat cor unum, & anima una. 2. Quanti fructus sperari possint ex hac pace, scilicet, illi, qui judicantur per commune proverbium: Concordia res parvæ crescunt: *in temporalibus bonis*, ut Scilurus Rex filiis indicavit; de quo vide tit. Pax: *in virtutibus, & meritis*; ut enim numquam homines magis ditescunt, quam tempore pacis; ita & in spiritualibus: *in lætitia animi*, juxta illud Ps. 132. Ecce quam bonum &c. Vide tit. cit. Pax.

III. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis*: Jo. 20. Quæri potest, cur Christus bis pacem precatus sit, & respondeeri, quod indicare voluerit, non satis esse, ut pacem cum aliis habeamus, sed etiam nobiscum ipsi habere, cum charitas a seipso incipiat, & frustra quis universum Mundum lucretur, si animæ suæ detrimentum faciat. Ostendatur ergo 1. in quo pax ista consistat, scilicet in bona, & tranquilla conscientia, seu in devitando malo, & faciendo bono, juxta 1. Petr. 3. & Ps. 33. Ostendatur fructus hujus pacis, quod scilicet hoc sit Regnum Dei, quod si quæramus, omnia adjicientur. Item gaudium perpetuum juxta illud Prov. 15. Secura mens &c. & S. Pauli Philipp. 4. Pax Dei, quæ exuperat &c. Vide tit. Pax & tit. Conscientia.

IV. *Pax vobis.* Jo. 20. Potest dici, recte dixisse Thomam Kemp. l. 3. c. 26. *Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant.* Ostendatur ergo ex eodem capite, & maxime ex c. 23. quid requiratur: & illa quatuor, quæ magnam pacem important, fusius explicentur. Vide etiam tit. Pax, & tit. Resignatio.

V. Ex eodem themate dici potest, mirari quidem nonnullos, cur homines tam parum pacifici, & concordes sint, cum tamen extera animalia pleraque tam pacifica sint; verum causam in promptu esse, quia radicem discordiarum numquam evellunt. Unde dicatur 1. quænam sit hæc radix, ex Seneca tit. Pax. 2. Ostendatur, quomodo hæc radix auferri possit per tria media in eodem titulo indicata.

VI. *Ostendit eis latus, & manus.* Jo. 20. Ostendi potest, cur Christus sua quinque vulnera retinere voluerit, nempe ut essent nobis quinque asyla, 1. Contra iratum Deum ob nostra peccata. 2. Contra tentantes dæmones. 3. Contra persequentes homines. 4. Contra crucia ntes morbos, aliasque tribulationes. 5. Contra mortem instantem. Ostendatur ergo, quomodo in his omnibus confugere debeamus ad hæc vulnera, & quomodo revera experturi simus id, quod S. Augustinus fassus est: In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax medium, quam vulnera Salvatoris. Vide Passio Christi. Fabrum hic c. 3. & Vicentium Carassam in Fasciculo Myrrhæ.

VII. Ex occasione thematis: *Pax vobis*: Jo. 20. ostendi potest, quomodo pacem cum Deo habere possimus, videlicet per duo media a Davide indicata: Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Vide Fabrum conc. 1. lit. B.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo pacem cum proximo habere possimus, scilicet per mutuam dilectionem, per unam Religionem, per mutuam subventionem, de quibus vide l. c. lit. C.

IX. Ex eodem themate probari potest: quomodo pacem nobiscum ipsis habere possimus, scilicet 1. Eradicando concupiscentiam, juxta illud S. Jacobi: Unde lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris. 2. Tollendo nimias sollicitudines; de quibus Thomas Kempensis l. 3. c. 30. Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habeas. 3. Conformando voluntatem suam cum divina: sic enim nihil contra voluntatem suam fiet. Vide tit. Resignatio & concupiscentia.

X. Ex occasione thematis: *Venit Jesus, & stetit in medio*: ostendi 1. potest, quomodo Dei præsentia semper ob oculos haberi possit. 2. Fructus hujus præsentiæ explicari possunt, scilicet puritas mentis in fugiendis peccatis, quorum, teste Seneca, pars magna tollitur, si peccaturis testis assistat: Ardor ad pugnandum cum hostibus, duce inspectante; Collectio in oratione; quis enim aspiciens coram se Regem non attendat sedulo ad eum? Consolatio spiritualis; juxta illud Davidis: Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum. Hine S. Ephrem dixit: Semper Dei memineris, & cælum mens tua evadet. Vide Fabrum conc. 6.

XI. Ex occasione thematis: *Infer digitum tuum huc*: ostendi possunt causæ, cur Christus quinque vulnera retinere voluerit, scilicet 1. Propter gloriam, & beneplacitum æterni Patris. 2. Propter gloriam suam. 3. Propter gaudium Beatorum. 4. Propter terrorem damnatorum. 5. Propter solatium, & auxilium viven-

viventium. Vide titul. Vulnera & Fabrum conc. 3.

XII. Ex occasione thematis: *Beati qui non viderunt, & crediderunt* 1. ostendi potest, quid potissimum credi debeat, ut etiam in hac vita beati simus, scilicet ut Christus S. Catharinam Senensem docuit, potentia Dei, sine qua nihil fit in mundo; sapientia illius, qua malum in bonum convertere novit: bonitas, qua omnia ad summum nostrum bonum ordinat. 2. Ostendat, quomodo, qui credunt ista, beati sint; quia semper habent, quod volunt. Vide tit. Resignatio.

PRO DOMINICA II. POST PASCHA.

I. EGo *sum pastor bonus*. Joan. 10. Potest ostendi, quam vere Christus dixerit: Ego sum pastor bonus. 1. Quia cognovit omnes oves suas. 2. Quia saluberrima pascua SS. Eucharistiæ, & verbi Dei ipsis providit. 3. Quia a lupo veniente, nempe diabolo, fortiter eas defendit. 4. Quia animam suam pro illis per tot cruciatus posuit. Declaretur ergo in secunda parte, quomodo oves vicissim ipsum agnoscere, amare, vocem ejus audire, & vitam etiamsi, oportet, pro ipso ponere debeant. Vide tit. Christus, & Passio.

II. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est*. Joan. 10. Ostendi possunt varii mercenarii, qui vident lupum venientem, & dimittunt oves, nempe 1. Parochi, & alii animarum Curatores, qui curam ovium non habent, nec Sacramenta debito modo administrant. 2. Magistratus, qui videt vitia grassantia, & non punit. 3. Patresfamilias, qui malas societates domesticorum non arcent. 4. Ludimagistri, qui ignorantiam, & otium non arcent a discipulis. 5. Domestici, qui non judicant excessus graves liberorum, aut conservorum: qui omnes proin, quam gravem olim rationem reddituri sint, fusius ostendi potest ex comparatione ovium, & animarum; præmii seu mercedis a Deo & hominibus dari solitæ. Vide tit. Zelus, tit. Anima.

III. *Lupus rapit, & dispergit oves*. Joann. 10. Possunt mali socii lupis comparari, tum propter inimicitiam, quam erga bonos velut oves gerunt, juxta illud Sap. c. 2. Circumveniamus ergo justum &c. tum propter fraudes, quibus utuntur: tum denique propter mortem æternam, quam inferunt. Ostendatur ergo unum vel alterum medium, quo evitari possint. Vide tit. Societas.

IV. *Fiet unum ovile, & unus Pastor*. Joan. 10. Potest veritas Catholicæ Fidei demonstrari, & ostendi, quod vere Ecclesia Romana sit ovile Christi ob unitatem, sanctitatem, & universalitatem: & quod Romanus Pontifex sit verus Pastor hujus ovilis per continuam successionem deductus. Inferatur dein, quantum beneficium a Deo collatum sit Auditoribus, dum in hoc ovile sunt recepti: quantopere proin Pastores suos revereri, & amare, eorumque vocem audire, & cum magna charitate & concordia in hoc ovili vivere debeant, Vide tit. Fides.

V. *Vocem meam audient*. Joann. 10. potest ostendi, quod sit præcipuum signum ovium Christi, seu prædestinatorum, si vocem Pastoris libenter audiant; simulque probetur triplici modo. Pastorem Christum loqui 1. per occultas inspirationes, & vocationem ad statum; cui proin respondendum. 2. Per Concionatores, quorum proin vox cum omni reverentia, & submissione excipienda, & implenda. 3. Per superiores, quibus proin obediendum perfectissime. Quod autem hæc auditio triplicis vocis sit unum ex certioribus signis prædestinationis, probari potest ex iis, quæ de Obedientia tit. 103. & Verbum Dei tit. 145. dicta sunt.

VI. *Cognosco oves meas*. Jo. 10. Potest occasio sumi mansuetudinis commendandæ, utpote quæ est genuina proprietas ovium; & 1. ostendi, in quo consistat mansuetudo Christiana; de quo vide tit. Mansuetudo. 2. Quos fructus afferat, nempe a Christo Matth. 5. indicatos: dum dixit: Beati mites, quoniam possidebunt terram, quintuplicem scilicet; quam vide l. c. §. 12. n. 2. indicatam.

VII. Ex occasione thematis: *Cognosco oves meas*. Jo. 10. ostendi potest, ex quibus indiciis veræ oves Christi, seu prædestinati ad vitam æternam cognosci queant, videlicet 1. Ex mansuetudine. 2. Ex patientia. 3. Ex misericordia. 4. Ex humilitate. De quibus vide Fabrum conc. 9. lit. B. C. D. K. & Auct. them. 3.

VIII. Ex eodem themate possunt alia indicia verarum ovium proponi, nimirum 1. Timor peccati. 2. Fuga luporum, id est, malorum sociorum. 3. Sacramentorum pius & frequens usus, velut proprius pastus ovium Christi. 4. Concordia. 5. Obedientia. Quæ omnia si nimis multa videantur pro una concione, potest unum tantum, aut alterum, maxime ex tribus ultimis, assumi & dilatari. Vide Fabrum locis cit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest ex ipsis Christi verbis, quæ conditiones ad veram ovem requirantur; nam 1. ex illis verbis: *Cognoscunt me meæ*: deducitur, fidem, per quam Christus agnoscitur, esse necessariam. 2. Ex verbis. *Vocem Pastoris audiunt, & sequuntur eum*: obedientia Pastoribus exhibenda colligitur. 3. Ex verbis: *Alienum non sequuntur, sed fugiunt*: fuga hæreticorum & diaboli colligitur; de quibus vide Fabrum concion. 8. lit. D.

X. Ex eodem themate deduci potest, quinam non sint veræ oves, seu hædi: nimirum 1. Qui facile transiliunt mandata, ut hædi septa, nocentque tenellis arboribus. 2. Qui pilos habent versus terram pendentes, ut hædi, id est, non nisi terrena sapiunt. 3. Qui propter mala exempla graviter fœtent, ut hædi. 4. Qui per inimicitias proni sunt ad arietandum, ut hædi. Vide Fabrum conc. 7.

XI. Ex occasione thematis: *Ego sum pastor bonus*: ostendi potest, quomodo quisque Pastor sui ipsius esse debeat. 1. Dominando affectibus, sensibus, & membris. 2. Seipsum & suos defectus cognoscendo. 3. Ad bona pascua educendo. 4. Vires suas custodiendo: 5. Pro iisdem pugnando. Vide Fabrum.

XII. Ex occasione thematis: *Fiet unum ovile*,

vile, & unus Pastor: demonstretur veritas nostræ fidei ex eo, quod habeat 1. Unum ovile, scilicet Ecclesiam. 2. Unum Pastorem, scilicet Pontificem. 3. Unum pascuum, scilicet Sacramentorum, & verbi divini, tam traditi quam scripti, usum. Vide Fabrum conc. 8. littera G. & H.

PRO DOMINICA III. POS PASCHA.

I. *Modicum, & non videbitis me.* Joan. 16. Potest vanitas rerum mundanarum ostendi, præcipue honorum, divitiarum, & voluptatum; quam vere de iis dici possit: Modicum, & non videbitis, & cum Jonatha Saulis Filio 1. Reg. 14. Gustans gustavi paululum melis, & ecce morior. Ex altera vero parte ostendatur, quam longa & acerba sit mors, aut tormenta, quæ per hoc modicum eminent: quamque adeo vere dictum sit: Modicum, quod delectat; æternum, quod cruciat: Vide tit. Voluptas, Honor, Divitiæ, Æternitas. Item Thom. Kemp. l. 3. c. 12.

II. Ex eodem themate potest brevitas vitæ, & mortis incertitudo demonstrari, & inde excitari Auditores ad dignam præparationem pro morte quovis momento subeunda instituendam. Vide tit. Mors: & Thomam Kemp. l. 1. c. 23. aut si placet, hortare ad divitias, & opes pro altera potius vita, ubi æternum manendum, quam pro hac, ubi tantum per modum viatoris transeundum congregandas.

III. Ex eodem themate possunt Auditores excitari ad tribulationes fortiter ferendas, & ostendi, quam sint modicum comparatæ cum æternitate felicissima, quam per easdem comparamus, juxta illud Sancti Pauli 2. Cor. 4. Quod in præsenti momentaneum &c. & existimo, quod non sunt condignæ &c. Quamque adeo verum sit axioma: Momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat. Vide tit. Patientia. tit. Crux. tit. Æternitas.

IV. Ex eodem themate potest probari, quod vita nostra Comœdia sit, hic Mundus theatrum, Deus, Angeli, & homines Spectatores, juxta illud S. Pauli 1. Cor. 4. Spectaculum facti &c. Unde excitari possunt Auditores. 1. Ut non current, quam personam habeant, cum Deus tanquam Comicus sciat, quæ cuique convenientissima sit. 2. Ut contentur personam bene agere, nec in ea ad exemplum hominum, sed Christi Instructoris attendant. 3. Ut præmium non ab hominibus, sed a Deo expectent, cui placere plus optandum est, quam si quis omnibus hominibus placerat. Vide tit. Intentio.

V. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Jo. 16. Ostendi potest, in quo verum gaudium consistat, nimirum in fine suo, ad quem creatus est, possidendo, seu amore Dei, juxta illud S. Augustini: Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Ostendatur ergo 1. quod gaudium verum a nulla creatura haberi possit, quia cum cor triangulare sit, non potest illud Mundi globus implere. 2. Ostendatur, quomodo in Deo solo verum gaudium reperiatur. Vide tit. Gaudium, & Thom. Kem. l. 3. c. 16.

VI. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, Mundus autem gaudebit.* Jo. 16. Potest ostendi diversus status eorum, qui Mundo, & eorum, qui Deo serviunt, id quod potissimum ex fine, & exitu vitæ utrorumque demonstrandum; ut apposita nonnulli per gallinam & falconem declararunt; ut anim hic, dum vivit, optimum cibum, & cor prædæ accipit, & in manibus portatur; post mortem vero infimum abjicitur: gallinam vero in vivis in fimeto grana, & victum colligere debet; post mortem vero mundatur, coquitur, argenteæ patinæ imponitur, mensæ Principis infertur, & illius stomacho sepelitur; ita similis est exitus & status servorum Mundi & Christi. Vide tit. Mundus: & tit. Deus.

VII. Ex occasione thematis: *Modicum, & non videbitis me.* Jo. 16. potest ostendi, quam omnia sint in mondo modica. 1. Dignitates, & honores. 2. Robur, & pulchritudo corporis. 3. Divitiæ & voluptates. 4. Favor & gratia hominum. 5. Regimen, & imperium. Vide Fabrum con. 5.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, modicum temporis quam studiose observandum. 1. Quia maxima per illud bona obtinere possumus. 2. Quia gravissima per illud damna incurrimus. 3. Quia severissimam de illo rationem Deo reddere cogemur. Vide Fabrum concion. 2. littera B. G. H.

IX. Ex eodem themate potest duplex memoria æternitatis, miseræ & felicis, pro myrothecio spirituali (*fur ein Balsam Buchslein*) offerri, simulque ostendi, quomodo per illud abstinendo ab illicitis voluptatibus, & tolerando temporales adversitates roborare, & solari debeamus. Vide tit. Æternitas, Beatitudo, Infernus.

X. Ex eodem themate ostendi potest vitæ nostræ brevitas, & inde tres doctrinæ erui. 1. Ut non simus nimium solliciti de divitiis accumulandis, quia brevi itineri modicum viaticum est necessarium. 2. Ut bonis operibus, quibus in æternum fruemur, accumulandis impensa studeamus. 3. Ut miserias hujus vitæ patienter, & alacriter sustineamus, utpote non nisi modico tempore duraturas.

XI. Ex occasione thematis: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*: ostendi potest, quomodo solidum, ac verum gaudium in solo Deo ejusque amore inveniatur, eumque in finem referri potest, quod de Martyre quodam refertur, qui, cum inter tormenta se continuo lætum ostenderet, causam hujus lætitiæ rogatus respondit: Quia Deum meum tollere nemo potest. Ostendatur proin, quid hoc gaudium sit. 1. Solidum, & verum, utpote satians animam. 2. Sit purum, quia nulli peccato immixtum. 3. Sit perpetuum, quia contra voluntatem amitti non potest. Vide Fabrum conc. 6. lit. B.

XII. Ex eodem themate ostendi potest gaudium bonæ conscientiæ. 1. Quia est testimonium gratiæ apud Deum inventæ. 2. Quia spem certam felicitatis perpetuæ obtinendæ ingenerat. 3. Quia tolli invito non potest. Vide tit. Conscientia, & Beatitudo.

PRO

PRO DOMINICA IV. POST PASCHA.

I. V*Ado ad eum, qui misit me*. Jo. 16. Ostendi potest, quomodo quivis hæc verba sibi etiam occinere, & inde ad vitam rite instituendam excitari debeat. Dicatur ergo, quod quivis homo ad hunc finem missus sit, ut Dominum Deum suum laudet, revereatur, amet, eique serviens salvus fiat: eum in finem omnes creaturas subjectas esse pedibus ejus, variaque talenta credita. Unde semper cogitandum; Vado ad eum, qui misit me, qui rationem severissimam exiget, quomodo finem meum sectatus, creaturis usus sim, talenta expenderim &c. Vide tit. Judicium.

II. *Quo vadis*: Jo. 16. Dici potest, rectios hodie mirari quem posse, quod fere nemo seipsum sincere interroget, quo vadis? cum tamen in hoc tota fere salus vertatur. Ostendatur ergo 1. omnes ire ad domum æternitatis, Ecclas. c. 12. & quidem miseræ, vel beatæ; & ad hanc duplicem portam ducere, latam, & angustam, quem libet proin nunc cum Hercule in bivio stare. Ostendatur ergo, cur arctam portam potius, quam latam eligere debeant. Vide tit. Patientia, & tit. Crux.

III. *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*. Jo. 16. Ostendi potest, cur merito ob Christum abeuntem & a suo corde expulsum quivis peccator tristari debeat; quem in finem Christus qua Deus fonti comparari poterit, & ostendi, quomodo in eo omnia bona recentius, abundantius, constantius reperiantur, quam adeo stulte peccator deserto hoc fonte ad res creatas velut cisternas convertatur. Unde merito Deus per Jeremiam c. 2. tam patheticis verbis queritur: Obstupescite &c. Vide tit. Peccatum.

IV. *Expedit vobis, ut ego vadam*. Jo. 16. Ostendi potest, quod hoc ipsum etiam quivis de occasionibus, & societatibus malis dicere queat; expedit enim 1. ut vadant & discedant a nobis ad rerum temporalium augmentum. 2. Ad animæ salutem. 3. Ad proximi ædificationem; quæ omnia facile copiosius amplificari possunt, & pro coronide illa Christi sententia usurpari Joan. 18. Si me quæritis, finite hos abire. Vide titul. Consuetudo, & Societas.

V. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Jo. 16. Ostendi potest in primis, quantopere Paraclitus nobis sit necessarius ad instruendos, confortandos, & consolandos nos. 2. Quod istum accipere non possimus, nisi omnibus rebus creatis valedicamus; nam, teste S. Gregorio, bonorum Authori aliter inhærere non possumus, nisi cupiditatem a nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus; hinc, ut S. Bernardus s. 3. de Ascens. ait, ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleri nequiverant, quia carni dominicæ etsi sanctæ inhærebant. Vide tit. Concupiscentia.

VI. *Cum venerit ille, arguet Mundum de peccato*. Jo. 16. Ostendi potest, quomodo ii, qui aliorum curam gerunt, & Spiritu bono reguntur, gerere se erga illos debeant, & non solum consolari, & blande tractare, sed etiam arguere de peccato. Unde 1. demonstretur, quam necessaria, atque adeo, & obligatoria sit hæc correctio. 2. Quomodo utiliter fieri possit, & debeat. Vide tit. Dilectio proximi.

VII. Ex occasione thematis: *Quo vadis?* ostendi potest, quomodo semper memoria mortis in mente sit habenda ob triplicem causam. 1. Ut mature disponamus domui nostræ præparando nos ad eam. 2. Ut moderemur cupiditatibus nostris, cogitantes, nos non habere hic manentem civitatem. 3. Ut facilem nobis illius adventum raddamus, uti Seneca suasit dicens: Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ita ut si sors tulerit, possis illi obviam ire. Vide tit. Mors. Item Fabrum conc. 3. lit. H.

VIII. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quod frequenter etiam judicii post mortem secuturi memoria sit habenda, ob tres pariter causas. 1. Ut Judicem nobis mature per grata illi opera conciliare studeamus. 2. Ut ad quæstiones ibi proponendas mature nos præparemus. 3. Ut Patronos, qui ibi nobis assistant, variis obsequiis conciliemus. Vide tit. Judicium.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quod similiter ob tres causas memoria Purgatorii sæpe sit refricanda. 1. Quia conducit ad venialia peccata, quæ tam graviter puniuntur, æstimanda & fugienda. 2. Quia excitat ad satisfactionem in hac vita per opera bona, & indulgentias præstandam. 3. Quia incitat ad misericordiam purgantibus animabus exhibendam, ut similem aliquando misericordiam experiri mereamur. Vide tit. Purgatorium.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quod etiam memoria Inferni tam a Justis, quam a Peccatoribus frequenter ob tres causas sit refricanda. 1. Quia conducit ad peccata mortalia, quibus ea pœna decreta est, odio habenda & fugienda, ut dicamus: non emo tanti pœnitere. 2. Ut omnes hujus mundi miserias facilius toleremus, si cum S. Francisco Borgia ad mentem reducamus, quid in inferno ob peccata sustinere debuissemus. 3. Ut zelum ad succurrendum peccatoribus concipiamus, & ne ipsi veniant in locum horum tormentorum, cum divite Epulone solliciti simus. Vide tit. Infernus.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod præsertim memoria beatitudinis æternæ assiduo sit recogitanda ob tres pariter causas. 1. Quia conducit ad fervorem in bonis operibus frequentandis excitandum. 2. Quia conducit ad tribolationes fortiter, & cum gaudio sustinendas, dum credimus, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 3. Quia conducit ad fastidium rerum temporalium ingenerandum, ut cum Sancto Ignatio dicamus: O quam sordet mihi terra, cum cælum aspicio, & considero. Vide tit. Beatitudo.

XII. Ex occasione thematis: *Expedit vobis, ut ego vadam*: ostendi potest, quam expediens sit, ut Deus quandoque a nobis discedat, & in varias tribulationes, desolationes, tentationes, imo & peccata cadere permittat. 1. Ut ad ipsum in tribulationis, & tentatio-

oibus

nibus recurrere studeamus, justa illud Psalmi: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. 2. Ut in desolationibus cum pure quærere, eique propriis expensis servire discamus. 3. Ut propter lapsum in peccata humiliemur, & cautiores fiamus. Vide Fabrum conc. 9. lit. C.

PRO DOMINICA V. POST PASCHA.

I. PEtite, *& accipietis*: Jo. 16. Potest ostendi, cur frequenter & ferventer sit orandum, nempe ob ingentes utilitates orationis, quas vide tit. Oratio. §. 9. n. 2.

II. Ex eodem themate potest ostendi, artem orandi esse quæstuosissimam, & facillimam, sicut artem mendicandi: ob quam mendicus quidam omnibus liberis pedes, & crura fregisse scribitur, ut mendicare cogerentur. Demonstretur ergo, quomodo tempore orationis ut mendicos gerere se debeant. 1. Agnoscendo, & monstrando suam infirmitatem. 2. Ferventer orando, & clamando. 3. Non desistendo, etiamsi non statim detur. 4. Non indignando, licet omnino non detur. Vide tit. Oratio §. 12. n. 14. & 15.

III. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jo. 16. Ostendatur, quid sit in nomine Christi petere, nimirum 1. propter voluntatem ejus, & mandatum petere, quia toties hortatus est ad orationem. 2. Per ipsius merita petere, sicut Ecclesia facit, claudens orationes per verba: Per Christum Dominum. 3. Orationes suas cum orationibus Christi jungere, sicut malum nummum cum cumulo bonorum. 4. Ad exemplum Christi petere, maxime in horto Oliveti orantis. Vide tit. Oratio §. 12. num. 22.

IV. *Usque modo non petistis quidquam.* Jo. 16. Potest ostendi, multis, etsi sæpe orarint, tamen dici posse: Usque modo non petistis quidquam. Hinc merito tales audire increpationem S. Jacobi c. 4. Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. Ostendatur ergo, quomodo rite, & efficaciter orare debeant; de quo vide tit. cit. §. 11. n. 4. & §. 12. n. 19.

V. *Petite, & accipietis.* Jo. 16. Possunt enarrari utiliter, & efficaciter refutari tentationes, per quas Diabolus homines retrahit ab oratione; quas vide tit. cit. §. 11. num. 6.

VI. Ex eodem themate potest oratio sagittæ illi, de qua 4. Reg. 1. dicitur: *Jace sagittam, sagitta salutis Domini*, comparari, & tum utilitas, tum proprietas, tum praxis orationis demonstrari, uti videre est cit. tit. §. 12. n. 2.

VII. Ex occasione thematis: *Petite, & accipietis*: potest necessitas orationis demonstrari ex quatuor causis. 1. Ex voluntate Dei, qui rogari vult, ut dona accipienda mereamur: eaque cum majori solatio accipiamus, simulque Deo magis familiares efficiamur. 2. Ex indigentia nostra tam quoad corporis, quam animi necessitates. 3. Ex frequentibus peccatis, quorum veniam impetrare cogimur. 4. Ex impugnatione Dæmonis, contra quam assiduo Dei præsidio indigemus. Vide tit. Oratio, & Fabrum conc. 1.

VIII. Ex eodem themate potest jucunditas orationis demonstrari ex variis titulis. 1. Quia *Mendici* sumus, quid autem jucundius mendico, quam mendicare posse a tali Domino, qui liberalem stipem certo porrigat? 2. Quia *Rei* sumus, & ad graves pœnas purgatorii vel inferni damnati; quid autem jucundius reo, quam cum Judice loqui, & veniam impetrare posse? 3. Quia *Discipuli* sumus: quid autem jucundius discipulo, quam a sapientissimo Magistro in saluberrima scientia instrui posse? 4. Quia *Sponsæ* Dei sunt animæ nostræ; quid autem jucundius sponsæ, quam cum amantissimo sponso colloqui posse? Vide tit. Oratio.

IX. Ex eodem themate potest utilitas orationis demonstrari, probando veritatem sententiæ a S. Augustino prolatæ: *Recte novit vivere, qui recte novit orare.* Nam 1. Utilis est ad peccata vitanda, quia, teste S. Chrysostomo, impossibile est, hominem orationis studiosum (saltem graviter) peccare. 2. Utilis est ad virtutes plantandas; uti Christus S. Catharinæ indicavit, dicens: Noveris, filia charissima, quod in oratione humili, continua, & fideli cum perseverantia lucratur anima perfectionem, & omnem virtutem. 3. Quia per orationem gustat anima, quam suavis sit Deus; atque adeo gustato spiritu desipit omnis caro. Vide cit. tit.

X. Ex eodem themate possunt circumstantiæ orationem efficacem facientes explicari. Videlicet 1. Reverentia interior, & exterior. 2. Fiducia firma. 3. Perseverantia. De quibus vide nos, item Fabrum conc. 5.

XI. Ex eodem themate possunt causæ, & remedia distractionum proponi. Videlicet 1. Culpa mordens. 2. Cura pungens. 3. Affectus vigens. 4. Tribulatio crucians; de quibus vide nos. l. c.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo occurri possit tentationibus circa orationem occurrentibus; quarum prima est consolationum defectus. 2. Defectus attentionis. 3. Defectus temporis ad orandum. 4. Defectus exauditionis; pro quibus remedia vide in tit. Oratio §. 11. n. 6.

PRO FERIIS ROGATIONUM.

I. EX occasione thematis: *Quis habet amicum, & ibit ad illum?* Luc. 11. ostendi potest, quomodo processiones pie, & fructuose sint instituendæ, videlicet ad exemplum trium Regum in Bethlehem peregrinantium, quia 1. Bonam intentionem Christum quærendi habuerunt. 2. Stellam ducem secuti sunt, & devote Christum adorarunt, quod & peregrinantes facere debent, non discedendo a vexillo, & in templo preces devote persolvendo. 3. Munera obtulerunt, quos imitari debent peregrinantes, thus devotæ orationis, myrrham contritionis vel confessionis, aurum charitatis offerendo. 4. Per aliam viam reversi sunt in regionem suam; peregrinantes autem per sinceram vitæ emendationem. Vide Instruct. 7.

II. Ex eodem themate ostendi potest, tunc similes processiones fructuose institutum iri, si procedant terribiles, sicut castrorum acies ordinata. Et 1. quidem omnes sani sint, non tam

tam quoad corpus, quam animam. 2. Si non tantum plebei, sed etiam primariæ personæ velut Duces compareant. 3. Si bonum ordinem servent, ut in exercitu fieri solet. 4. Si bene conjuncti, & concordes sint. 5. Si armis spiritualibus, puta Rosariis, & libellis precatoriis, bene sint instructi. 6 Si non discedant ante finem Processionis, & gratias persolutas ob felicem successum. Quæ omnia fusius explicata videri possunt in cit. Instruct. 7. n. 5.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quod In processione oratio fit Deo gratior, & efficacior ob tres causas. 1. Quia per illum Sanctum, ad cujus honorem processio instituitur, Deo offertur. 2. Quia plures simul orant; multi autem minimi, teste S. Ambrosio, dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impossibile est non audiri. 3. Quia oratio humiliantis se (id quod peregrinantes pedibus incedentes faciunt) penetrat nubes, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat. Vide cit. Instr. n. 6.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, unde natum sit proverbium, quo dicitur: *Qui multum peregrinantur, raro sanctificantur*. Nimirum ex defectu veræ intentionis: Quia 1. aliqui comitantur processionem, ut locum, ad quem tendunt, ejusque thesaurum, vel alia visu ibidem digna videant, mala curiositas est. 2. Alii, ut cognatos, & amicos visitare queant, & inanis vanitas est. 3. Alii, ut comedere, & bibere, vel alia commoda temporalia participare possint, & turpis quæstus est. Melius ergo 4. alii eunt, ut ædificent, & bonum exemplum aliis præbeant, & prudentia est. Et tandem optime alii 5. eunt, ut ædificentur, id est, vel gratias pro accepto beneficio referant, vel varias gratias sibi aliisque impetrent, & hoc charitas est, facitque, ut tales peregrinantes vere sanctificentur. Vide cit. Instr.

V. Ex eodem themate proponi possunt, & refutari excusationes frivolæ, propter quas aliqui se processionibus subducere conantur, quarum prima est respectus humanus, Quid dicent homines? Secunda timor damni in bonis temporalibus aut lucro cessante patiendi. Tertia horror molestiæ per peregrinationem subeundæ, cum tamen Deus & Sancti ubique quæri & invocari queant; quas excusationes vide refutatas in cit. Instr. 2.

VI. Ex occasione thematis: *Pulsate & aperietur vobis*: declarari possunt causæ, cur Deus non statim, aut omnino non audiat preces. Nempe 1. Quia male petitur, hinc S. Jacobus dixit: Petitis &c. 2. Quia sæpe non exaudit ad votum, ut exaudiat ad salutem; sicut medicus cum ægroto, aut mater cum filio noxia petente facit. 3. Quia differt sua dona, non aufert, ut ardentius petamus, magisque æstimemus, si difficilius fuerint obtenta, nam cito obtenta vilescunt, diu desiderata dulcius obtinentur, teste S. Augustino. 4. Quia opponunt nubem peccati. Vide tit. Oratio, §. 11, n. 6. Item Fabrum conc. 4.

PRO FESTO ASCENSIONIS.

I. Ex occasione thematis: *Assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei*. Marci ult. possunt proponi causæ, ob quas Christus in cælum assumptus sit, nimirum 1. Ob gloriam Patris, quæ non modica illi orta est ob Filium tantopere exaltatum. 2. Ob gloriam ipsius Christi, quam tot tantisque meritis comparavit. 3. Ob gloriam nostram, pro qua nobis obtinenda cælum reseravit. Vide Fabr. conc. 3.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quod, sicut Reges ob devictum hostem capitalem magno gaudio excipiuntur, & in signum gratulationis varia illis spectacula exhibentur, ita ad ipsum tanto æquius erga Christum præstandum sit, quanto & a graviori hoste liberavit, majorem felicitatem procuravit. 1. Itaque ignes missiles variorum affectum, puta fidei, spei, charitatis, gratulationis, gaudii &c. jaciendi. 2. Comœdia exhibenda, in qua gloria Christi per imitationem repræsentetur. 3. Certamen contra seipsum per generosam sui victoriam instituendum.

III. Ex eodem themate potest ostendi, quod, sicut Christus virtute propria ascendit ad cælum; ita quivis Christianus pariter virtute propria, maxime per humilitatem, obedientiam, & patientiam, ascendere debeat; de quibus vide eosdem titulos.

IV. Ex eodem themate potest specialiter magnitudo gloriæ Christi, ejusque exaltatio humilitati ejusdem adscribi, juxta illud S. Pauli ad Ephes. c. 4. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit. Unde explicetur 1. Humilitas illius per gradus. 2. Ostendatur, quod competens tantæ descensioni ascensio responderit. De quo vide tit. Humilitas.

V. Ex occasione thematis ejusdem potest ostendi, quod inter alias causas, cur Christus in cælum ascenderit, etiam fuerit, ut esset advocatus noster, juxta illud. 1. Jo. 2. Sed etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Unde excitentur Auditores ad fiduciam in eo ponendam. 1. Quia potest a Patre omnia impetrare ratione meritorum suorum. 2. Quia vult impetrare ratione fraternitatis, quam nobiscum participare dignatus est. 3. Quia scit causam nostram agere, ratione infinitæ sapientiæ suæ; ut adeo nihil desit, quod ad Advocatum undequaque absolutum requiri posse videatur. Vide Fabrum conc. 3. lit. E.

VI. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo non obstante Ascensione dixerit Christus: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Nimirum 1. manet per realem existentiam in Eucharistia. 2. Per cooperationem in operibus nostris, ut ipse insinuavit dicens: Sine me nihil potestis facere. 3. Per protectionem, teste S. Cypriano dicente: Qui pro nobis semel mortem vicit, semper vincit in nobis. 4. Per patrocinium, ut dictum est in priori numero.

PRO

PRO DOMINICA VI. POST PASCHA.

I. ET *vos testimonium perhibebitis*. Joan. 15. Ostendi potest, quomodo quivis Christianus testimonium de Christo exhibere debeat, 1. *corde*, credendo firmiter, quæcumque ab ipso per se vel per Ecclesiam revelata sunt. 2. *ore*, doctrinam ipsius profitendo & publicando. 3. *opere*, vitam ipsius & mores omni studio imitando, præsertim multa cum ipso patiendo, & martyrium spiritoale subeundo; nam, ut S. Gregorius hom. 15. in Evangelia recte dixit, sine ferro & sanguine Martyres esse possumus, si patientiam veraciter custodimus. Vide plura de hoc tit. Fides, & titul. Patientia, §. 3. a n. 36.

II. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Joan. 16. Potest ostendi, quid sit scandalum activom, & quam gravia per illud damna Deo, Proximo, & sibi ipsis creet is, qui alios scandalizat. Vide tit. Exemplum V. Exemplum malum. Item Fabrum hic conc. 3.

III. Ex eodem themate suaderi potest Auditoribus, ut scandalum passivum fugiant & 1. Ostendi quomodo committatur, & quam stulte agant, qui ex alieno peccato aut facto bono, arenarum more, venenum fugunt, & conficiunt, id est, occasiooem peccandi accipiunt. 2. Ostendatur, quam vane & stulte se excusent, dicentes, alterum causam & occasionem fuisse peccati, cum occasio hominem fragilem noo faciat, sed qualis, quisque sit, ostendat, nec quisquam nisi a seipso lædatur. 3. Unum vel alterom medium ostendatur, quo scandala talia vitari possint; de quibus vide tit. Judicium temerarium, & Thomas Kemp. l. 2. c. 24.

IV. *Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*. Ostendi potest, quam verum sit illud S. Pauli 2. Tim. 3. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur; id eoim experieotia in Christo, Apostolis, & aliis Sanctis testatur, & confirmant SS. Patres, quorum testimonia vide titul. Patientia, §. 3. a o. 41. & ratio ipsa dictat, quia sicut similitudo amorem, ita dissimilitudo odium parit; hinc impii Sap. 2. dixerunt: Circumveniamus justum &c. gravis est nobis &c. abstinet se &c. hinc & invidia accedit, ut in Esau erga Jacob, Caio erga Abel, Judæis erga Christum contigit. Ostendatur ergo ulterius, quod justi propterea non debeant turbari, sed pergere bona vita, talesque aspicere, ut argumentantes in publica disputatione doctrinam aliorum explorantes, quibus in fine gratiæ aguntur pro doctissimis argumentis. Sed & ipsi persecutores errorem suum agnoscent dicentes: Hi suot, quos aliquando &c. Sap. 5. Vide tit. Patientia & Perseverantia.

V. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me*. Jo. 15. Ostendi potest 1. quantopere Spiritus veritatis sit necessarius, utpote qui hodie nec in aulis, nec in tribunalibus, nec in cathedris, nec in tabernis, nec in privatis domibus reperitur; id quod in specie magis per inductionem probari potest. 2. Osteodatur, quomodo iste Spiritus veritatis iterum obtineri & reduci queat, si scilicet ipsum a Christo frequenter & serio petamus; hic enim locum habebit illud Luc. 11. Si ergo vos, cum sitis mali &c. Vide tit. Veritas.

VI. Ex eodem themate potest ostendi ratio, cor Spiritus veritatis vix ullibi reperiatur, quia scilicet duo Spiritus contrarii illi in plerisque locis dominantur, scilicet spiritus concupiscentiæ & timoris, id quod per inductionem facile probari potest. Ostendatur ergo, quomodo hunc duplicem spiritum expellere debeant, solum Deum quærendo, timendo & amando; sic enim dicent: Quid mihi est in cælo. Ps. 72. &, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Vide cit. tit. & tit. Concupiscentia.

VII. Ex occasione thematis: *Et vos testimonium perhibebitis de me*. Joan. 15. ostendi potest, quomodo quivis Christianus testimonium de Christo perhibere debeat, scilicet quatuor modis, quibus communiter testimooium ferre solemus, nempe 1. Viva voce, cum occasio se offert. 2. Duorum digitorum erectione, scilicet faciendo bonum & cavendo malum. 3. Sigilli impressione, extraordinaria quadam pietatis opera præstando. 4. Subscriptione, id est manu & opere contestando, se esse verum Christianom, Christique imitatorem & discipulum. Vide Fabrum conc. 15.

VIII. Ex occasione thematis: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini:* possunt tres præcipue occasiones proponi, in quibus frequenter homines scandalizari solent. 1. In Clericis. 2. In Religiosis. 3. In Superioribus; doceatur proin modus ejusmodi scandala vitandi, quem Faber tradit conc. 4. lit. C & D.

IX. Ex occasione thematis: *Ille* (spiritus veritatis) *testimonium perhibebit de me:* ostendi potest, cum spiritus veritatis tam exosus sit hominibus, nimirum 1. Quia adversatur sensui impiorum. 2. Quia eorum mores redarguit. 3. Quia invictus est. De quibus vide Fabrum cooc. 5. lit. F G H.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quæ testimonia exhibeat spiritus veritatis de nostra fide, nimirum 1. Consensum SS. Patrum. 2. Constantiam Martyrum. 3. Multitudinem miraculorum. 4. Sanctitatem Fidei recta ad finem hominis ultimum assequendum perducentem; de quibus vide tit. Fides. Item Fabr. conc. 7.

XI. Ex eodem themate dici potest, Pilatum quidem olim quæsivisse, quid est veritas? sed hodie magis quæri posse, ubi est? nam 1. in cogitationibus pauci sunt, qui res apprehendant, ut apprehendendæ sunt. 2. In verbis quoque pauci sunt, qui saltem potentioribus veritatem dicere audeant. 3. In factis, quia pauci sunt, qui opera suæ professioni conformia producunt. Vide tit. Mendacium.

XII. Ex occasiooe thematis: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*, ostendi potest, quomodo se quivis Christianus ad Spiritus Sancti adventum præparare debeat, scilicet 1. secedeodo, quantum fieri potest, a turbis. 2. Orationi vacando. 3. Concordiam servando. 4. Cum Virginea Matre preces jungendo. Vide tit. Spiritus Sanctus, & Fabrum cooc. 2. in Festo Pentec.

PRO DOMINICA PENTECOSTES.

I. CUm *complerentur dies Pentecostes*, *erant omnes pariter in eodem loco*. Actor. 2. Potest ostendi exemplo Apostolorum, quæ dispositiones ad Spiritum Sanctum digne recipiendum adhiberi debeant, nimirum 1. ingens desiderium indicatum per verbum *: expectabant*: nam hoc desiderium sinus & saccus noster est ad dona Dei accipienda, ut Sanctus Augustinus tract. 4. in epist. Joan. ait. 2. *Concordia*: erant enim omnes pariter in eodem loco; & multitudinis erat cor unum, & anima una. Hinc Eccl. 25. interea, in quibus placitum est Spiritui Dei, concordia Fratrum primo loco ponitur: sicut enim anima non vivificat, nisi membra sint unita; ita nec Spiritus Sanctus communicat effectus suos, nisi membris per concordiam unitis. 3. *Oratio constans:* erant enim perseverantes in oratione: quam dispositionem Christus ipse Luc. 11. requisivit, dicens: Petite, & dabitur vobis; si enim vos, cum sitis mali &c. hinc David Psalm. 118. Os meum aperui & attraxi Spiritum. 4. B. Virginis intercessio: erant enim orantes cum Maria Mater Jesu: etenim fas est, ut avertam faciem tuam. 3. Reg. cap. 2. ita Christus Matri, de qua rectius dicitur: Neque enim negare tibi quidquam poterit. Vide tit. Spiritus Sanctus.

II. *Veniemus*, *& mansionem apud eum faciemus*. Joan. 14. Potest Spiritus Sanctus animæ hominis comparari, & 1. ostendi quomodo vegetativæ animæ operationes in Apostolis exercuerit, faciendo, ut crescerent in virtutibus. 2. sensitivæ, faciendo, ut viderent, audirent, olfacerent (exempla & virtutes Christi intuerentur, & imitarentur) gustarent (seu apprehenderent objecta cælestia). 3. Intellectivæ, faciendo, ut recte intelligerent, & efficaciter vellent quæ ad suam & aliorum salutem pertinerent. Inferantur subinde, quantopere homo sollicitus esse debeat, ne per peccatum hanc animam amittat, cum nihil non agere & vitare soleant homines, ne animam suam corpori unitam separent. Vide tit. cit. Spiritus Sanctus.

III. *Tamquam ignis sedit supra singulis eorum*. Actor. 2. Possunt effectus Spiritus Sancti per similitudinem ignis explicari, & 1. ostendi, quod sicut ignis exsiccat, tollendo omnem humorem concupiscentiæ malæ; cum enim sit charitas divina, nullum alium amorem admittit. Hinc Sancta Teresia cum amorem inordinatum erga Sororem quandam nullis mediis expugnare posset, suadente Confessario, quotidie Spiritum Sanctum invocavit, & mox obtinuit quod voluit. 2. Quod sicut ignis illuminet; hinc Christus Joan. 14. Paraclitus autem Spiritus &c. ille vos docebit omnia. 3. Quod calefaciat amore divino; hinc Apostoli: Quis nos separabit &c. Rom. 8. Aquæ multæ (tribulationum) non potuerunt extinguere charitatem. Inferatur deinde, quam ferventer debeant hunc ignem petere dicentes: Veni Sancte Spiritus, reple &c. maxime cum ipse Christus dixerit: Ignem veni mittere &c. Luc. 55.

IV. *Loquebantur variis linguis magnalia Dei*. Actor. 2. Potest dici, quod Spiritus Sanctus advenerit tamquam Magister linguarum, & docuerit Apostolos variis loqui linguis magnalia Dei, & 1. *Hebream* velut sanctam, dum non nisi de Deo & pertinentibus ad eum locuti sunt. 2. *Latinam*, *seu Romanam*, dum doctrinas Fidei conformes tradiderunt. 3. *Græcam*, dum fraudes & hæreses Hæreticorum refutarunt. 4. *Hispanicam*, dum omnes levitates in lingua fugerunt. 5. *Gallicam*, dum suaviter & amice loqui didicerunt. 6. *Germanicam* sinceram, dum omne mendacium fugientes, nonnisi veritatem verbis & factis prodiderunt. Vide titul. citat. Spiritus Sanctus & titul. Lingua §. 13. numer. 6.

V. *Et apparuerunt dispertitæ linguæ*. Actor. 2. Ostendi potest, quod Spiritus Sanctus ideo in forma linguæ apparuerit, ut doceret artem loquendi omnium difficillimam. Demonstretur ergo 1. in quo consistat ars recte loquendi; de qua vide præcepta titul. Lingua, §. 13. num. 1. Deinde ostendatur, quomodo Spiritus Sanctus hanc artem Apostolos docuerit. Vide cit. titul. Spiritus Sanctus.

VI. *Paraclitus autem Spiritus*, *quem mittet Pater in nomine meo*, *suggeret vobis omnia*. Joan. 14. Potest ostendi, quam convenienter Spiritus Sanctus Paraclitus, id est Consolator vocetur, nempe quia replet amore divino, sicque facit obtinere finem suum, qui est vera, maxima, & perpetua consolatio, quæ proin tres proprietatis fusius demonstrentur, simulque ostendatur, quomodo hanc consolationem Spiritus Sanctus Apostolis communicarit. Vide titul. citat. Spiritus Sanctus, & titul. Gaudium, & Consolatio.

VII. Ex occasione thematis: *Paraclitus autem Spiritus*, *quem mittet Pater in nomine meo*, *ille vos docebit omnia*. Joan. cap. 14. possunt ostendi causæ, cur Spiritus Sanctus in mundum missus sit, nimirum ut esset Magister Mundi. Unde ostendatur, quam perfecte omnes veri Magistri proprietates possideat, videlicet 1. Quod scientiam & artem omnium præstantissime calleat, cum sit ipse Amor Patris & Filii. 2. Quod habeat facillimum modum docendi, cum unico momento doctissimos in hac arte efficiat, uti in Apostolis patuit. 3. Quod sit sanctissimus quoad mores, ita ut nullum sit perversionis periculum, unde Spiritus Sanctus per Antonomasiam vocatur. 4. Quod sit benignissimus, atque adeo *velit* etiam hanc artem docere. Unde excitandi sunt Auditores, ut se illius disciplinæ totos committant, & lectionem ab eo præscriptam diligenter addiscere studeant. Vide tit. Spiritus Sanctus.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, in quo constat scientia seu ars amandi, quam Spiritus Sanctus docet, scilicet in tribus præceptis a S. Davide Psalm. 33. indicatis, quorum primum est; *Declina a malo*; nam proprium

prium est amantium fugere, quidquid amato displicet. Et hoc præceptum ad viam purgativam spectat. Secundum est: *Fac bonum*, seu virtutes exerce: nam proprium etiam amantium est facere semper, quod amato placet; & hoc præceptum ad viam illuminativam pertinet. Tertium est: *Inquire pacem*: seu perfectissimam voluntatis tuæ cum divina conformitatem: nam proprium amantium est unum fieri; & hoc ad viam unitivam spectat. Vide cit. tit.

IX. Ex eodem themate explicari possunt conditiones ad verum Spiritus Sancti Discipulum pertinentes, quorum prima est *magna æstimatio magistri*. nam primus discendi ardor est nobilitas magistri. Secunda conditio est vehemens desiderium artis addiscendæ, quod ex considerata illius præstantia & utilitate concipitur. Tertia est indefessa industria in ejus doctrinis seu inspirationibus accipiendis. Quarta constans exercitium in iisdem doctrinis practicandis, & executioni mandandis.

X. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo advenientem talem hospitem excipere debeamus, nimirum 1. Vehementer desiderando, ad quod præstantia tanti hospitis considerata non modice juvabit. 2. Humiliter invitando, cum Ecclesia, assiduo hoc tempore dicente: Veni S. Spiritus, reple tuorum corda Fidelium. 3. Cum summa reverentia excipiendo. 4. Totam dispositionem domus seu cordis ei committendo. 5. Omne, quod ei displicet, fortiter removendo.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod, cum Spiritus Sanctus sit amor divinus, nullum corrivalem patiatur, atque adeo omnis amor alius prius expelli debeat, præsertim lascivus, sensualis, proprius; qui prout explicari debet, simulque demonstrari, quod omnia bona, quæ ab his percipi queant, ab illo infinities melius sperari queant. Vide tit. Charitas.

XII. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, quod Spiritus Sanctus præter alias artes etiam artem recte loquendi doceat; unde de hac arte per hos tres dies tria docenda sunt, in quo consistat hæc ars, quare studiose discenda, & quibus mediis. Hodie ergo dicatur, artem hanc in tribus consistere, videlicet ut 1. Raro. 2. Considerate. 3. Charitative loquamur; de quibus vide tit. Lingua.

PRO FERIA II. PENTECOSTES.

I. *Sic Deus dilexit Mundum*. Jo. 3. Potest ostendi, quomodo dilexit Deus Mundum, ut non solum Unigenitum suum, sed etiam Spiritum Sanctum velut amorem suum infinitum & divinum daret. Declaretur ergo hujus amoris magnitudo ex donorum præstantia, & inferatur, quam æquum sit, ut vicissim nostrum amorem Deo offeramus, omnemque alium amorem excludamus. Vide titul. Charitas, & titul. Spiritus Sanctus.

II. Ex eodem themate potest ostendi, cur tam pauci homines Spiritum Sanctum, qui est ipsa Charitas, accipiant nimirum quia dispositionem debitam & summe necessariam non adhibent, nempe amorem inordinatum creaturarum, seu concupiscentiam, certe quam nullum alium amorem patiatur; ostendit per hoc, quod, teste Sancto Bernardo serm. 3. de Ascensione, ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleri non poterant, quia carni Dominicæ, etsi sanctæ, inhærebant. Comparentur ergo hi amores inter se ex eo, quod Amor divinus seu Spiritus Sanctus, sit honestus, satiativus, perpetuus: amor creaturæ impurus, turpis, vanus; & inferatur, quam iniquum sit, hunc amorem amori divino postponere. Vide tit. Charitas, & titul. Spiritus Sanctus.

III. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo*. Joan. 1. Potest ostendi, cur Spiritus Sanctus in specie columbæ descenderit, nimirum ut, quemadmodum Ven. Beda Marc. 3. dixit, ostenderet, se homines magis ad mansuetudinem, quam iracundiam, incitare. Ostendatur ergo 1. Quantopere mansuetudo ista Christianis sit necessaria. 2. Quomodo eam Spiritus Sanctus Apostolos docuerit, & hodie adhuc paratus sit docere omnes Christianos. Vide tit. Mansuetudo, & tit. Spiritus Sanctus.

IV. Ex eodem themate potest alia causa afferri, cur Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuerit, nimirum ut ostenderet, quemadmodum columbæ sunt fertiles valde, ita se quoque liberalem esse in donis suis communicandis. Ostendatur ergo 1. Quæ sint illa dona. 2. Quam necessaria & utilia sint homini Christiano, quamque adeo assidue illa a Sancto Spiritu petere debeat. Vide tit. Spiritus Sanctus, & Fabrum hic conc. 3.

V. *Alii autem dicebant irridentes: quia musto pleni sunt isti*. Actor. 2. Potest ostendi effectus amoris divini ex comparatione cum musto. 1. Quia ut mustum plene satiat & inebriat ut nullam amplius delectationem ex creaturis haurire velit. 2. Ut mustum dulcedine sua mire recreat, & lætificat. 3. Ut mustum audaces facit & intrepidos, ut in Apostolis cernere erat. 4. Ut mustum loquaces facit, sic etiam Apostoli loquebantur magnalia, ita ut verum fuerit dicere: Ex abundantia cordis os loquitur. Vide tit. Spiritus Sanctus & tit. Charitas.

VI. *Et factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis*: Act. 2. Potest ostendi, quod Spiritus Sanctus in modum venti advenerit, ut ostenderet, se vento similes effectus operari, & 1. Insperato advenire; quia Spiritus, ubi vult, spirat. 2. Vehementer impellere ad bonum; nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, teste Sancto Ambrosio. 3. Æstum concupiscentiæ plurimum temperare; quæ omnia ex dicto titul. Spiritus Sanctus facile dilatari possunt.

VII. Ex occasione thematis: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Jo. c. 3. ostendi potest dilectio Dei erga homines triplici ex capite. 1. Considerando, quis dederit. 2. Quem dederit. 3. Pro quo dederit. 4. Quem ob finem dederit. 5. Qua conditione dederit. Vide Fabr. conc. 5.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Apostoli vicissim dilexerint Deum, quod explicari potest per illa verba: *Musto pleni sunt*. 1. Quia quasi emotæ mentis homines nihil de terrenis rebus senserunt. 2. Quia ut ebrii pocula & vinum, ita illi solum Deum eructabant, loquentes magnalia Dei. 3. Quia audaces & intrepidus faciebat ut ebrii esse solent. 4. Quia ut ebrii inflammabantur, sed non nisi divino amore. 5. Quia ut ebrii discurrebant per mundum provocantes ad amorem. 6. Quia lætos & hilares faciebat ut ebrios. Vide Fabrum conc. 6.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo verificatum sit illud Eph. 4. *Ascendens in altum dedit dona hominibus*, simulque declarari, quam pretiosum sit donum Spiritus Sanctus, sive 1. In seipso spectetur, nam ut sic infinitæ bonitatis & dignitatis est. Sive 2. Ratione dantis, quia ut sic ex infinito amore & liberalitate procedit. Sive 3. Ex parte accipientis ponderetur, quia sic mundo ingratissimo & immerito collatum est. Sive 4. Ex parte fructificationis spectetur, quia ut sic quasi infinitum fructum producit. Vide eod. tit. & Fabrum in conc.

X. Ex occasione ejusdem thematis possunt explicari causæ, cur Spiritus Sanctus in specie ignis, venti, columbæ, nubis, linguæ ignea apparuerit, & ex quavis specie salutaris doctrina erui & commendari. Vide tit. Spiritus Sanctus §. 10. n. 2. 3. 4.

XI. Ex eodem themate potest inprimis explicari, quid sit donum Spiritus Sancti in genere, videlicet impulsus ad patranda heroica virtutum opera. Deinde possunt ex septem talibus donis priora tria explicari, videlicet tit. Donum *Sapientiæ*, quo contemplamur divina & æterna, & secundum illa de rebus judicamus ex fide & scripturis sacris. 2. Donum *Scientiæ*, quæ versatur circa res creatas & docet nos ferre judicium de rebus agendis, modum recte utendi mediis ad salutem, aperit fraudes Dæmonis, mundi, & carnis, suggerens veritatem ad vincendas illas. 3. Donum *Intellectus*, quo discutimus scripturarum difficultates & modos, sensus litterales & mysticos, figuras & tropos, indeque salutaria documenta capimus, discutimus etiam fidei controversias, conscientiæ scrupulos & laqueos tollimus, & causas litigantium difficiles dijudicamus. Vide Fabrum conc. 4. lit. B C D.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quanta damna per linguam male usurpatam Deo, Christo, Proximo, nostræ personæ, & rebus nostri inferantur, quamque adeo indigeamus auxilio Spiritus Sancti, qui doceat nos artem loquendi. Vide tit. cit.

PRO FERIA III. PENTECOSTES.

I. EX occasione thematis: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Jo. 10. potest inprimis ostendi, quæ sit vita illa, propter quam Christus venit, scilicet vita æterna, quæ sola, quia caret omnibus miseriis, & morti non est obnoxia, vera vita dici potest. Deinde ostendi potest, quomodo suo exemplo docuerit, quomodo abundantius participari possit hæc vita, scilicet per humilitatem, obedientiam, patientiam, & similes virtutes.

II. Ex occasione ejusdem ostendi potest, quomodo vita in hoc sæculo & statu viæ consistat in charitate Dei, proximi, & sui ipsius ordinata, & quomodo Christus hanc triplicem charitatem velut ignem in nobis accendat. De quo vide Bibl. tit. Spiritus Sanctus §. 10. num. 7.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo vitam prædictam animæ conservare possimus, nimirum 1. Per respirationem, id est, mentis ad Deum frequentem elevationem, seu orationem. 2. Per cibum varium, puta verbi divini, Eucharistiæ, voluntatis divinæ, seu mandatorum Dei. 3. Per potum aquæ salientis in vitæ æternæ, seu gratiæ divinæ, conservationem, vel etiam sanguinis Christi, ex frequenti Sacramentorum usu hausti. 4. Per somnum seu animi quietem, dum certis temporibus anima a curis, & negotiis sæcularibus avocatur, & rebus divinis applicata quiescere finitur.

IV. Ex occasione thematis: *Ego sum ostium*: ostendi potest, quotupliciter *Christus sit ostium*, nimirum 1. Ostium Pastoralis officii, quia hoc nemo nisi potestatem ab ipso acceptam habere potest. 2. Ostium Ecclesiæ, quia in hanc nemo, nisi per Christi fidem, & baptismum ingreditur. 3. Ostium gratiæ, quia nemo hanc obtinere potest, nisi pes merita Christi. 4. Ostium gloriæ, quia nemo ad hanc intrare potuisset, nisi ipse cælos reserasset. Incitentur proin Auditores, ut de Christo dictum putent illud Prov. 8. Beati, qui vigilant ad fores meas quotidie, & observant ad postes ostii mei; qui me invenerint, invenient vitam, & haurient salutem a Domino. Vide Fabrum conc. 9. lit. C.

V. Ex occasione thematis: *Ego veni, ut vitam habeant*; explicari possunt reliqua quatuor dona Spiritus Sancti, videlicet 1. *Consilii*, quo instruimur, priusquam magnum aliquid, & periculosum aggrediamur, definiamus, mandemus, loquamur. 2. Donum *Fortitudinis*, quo corroboratur cor nostrum, quodvis temporale damnum pati velimus, ne æternum incurramus. 3. Donum *Pietatis*, quo excitat nos Spiritus Sanctus ad Religionem, & amorem cultus divini, nec non ad curam proximi, emolliens cor nostrum, ut Dei voluntati, ac cultui se submittat, & ad proximum inclinet. 4. Donum *Timoris*, quo immittit in cor varia argumenta, quæ superbiam, & vanitatem nostram retundant, ac timere Deum faciant. Vide Fabrum ser. 2. post Pent. conc. 4. lit. E F G H.

VI. Ex eodem themate ostendi possunt media ad artem recte loquendi, per quam vel maxime vita animæ abundantius acquiritur, addiscendam; quorum primum est *oratio*, per quam dicatur cum Davide Ps. 140. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Secundum *silentii amor*, nemo enim secure loquitur, qui non libenter

ter tacet. Tertium *consideratio*, ut Sanctus Augustinus suasit dicens: Omne verbum prius veniat ad limam, quam ad linguam. Quartum *mulcta* pro transgressionibus imponenda, ita ut cum Seneca dicatur: Ego mihi irascor, & ego a me pœnas exigam. Quintum *radicis exstirpatio*, quæ est, teste Th. Kempensi lib. 1. cap. 10. quod per mutuas locutiones consolari ab invicem quærimus, & libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel contraria nobis sunt, loquimur. Vide tit. Lingua.

PRO FESTO TRINITATIS ET DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Matth. 28. potest 1. ostendi, quam merito mysterium SS. Trinitatis credatur, tum ob figuras veteris testamenti, tum ob textus novi, tum ob miracula hunc in finem edita. 2. Cur quivis Christianus eam profiteri debeat. Nempe quia hæc professio est nostra tessera contra infideles: est scopus, & regula nostrarum actionum; unde dicitur: Gloria Patri &c. est clypeus contra Dæmones: est cythara laudis divinæ, per quam cum Angelis canimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Vide tit. Deus & Fabr. c. 1. & 2.

II. Ex eodem themate ostendi potest 1. Cur hoc Festum a Christianis summa cum devotione sit celebrandum; quia scilicet est Festum omnium trium Personarum, atque adeo celeberrimum. 2. Quomodo debeat celebrari, nimirum firmiter eam credendo, firmiter in eam sperando (quia potest juvare propter potentiam Patris, & scit juvare propter sapientiam Filii, & vult juvare propter bonitatem Spiritus Sancti) atque adeo semper cogitando, quæ placeant illi propter Patrem, loquendo propter Filium, operando propter Spiritum Sanctum. Vide loc. cit.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo SS. Trinitati perpetuum *Gloria Patri*, *aut Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cani possit, si videlicet omnes cogitationes, verba, & opera purissime ad majorem Dei gloriam referantur; aut si semper facere studeamus, quæ Deo magis placent, quomodo magis placent, & quia magis placent. Ostendatur proinde, quam excelsus, Deoque gratus, atque adeo, & nobis utilis futurus sit hic modus colendi Sanctissimam Trinitatem. Deinde quomodo hic ipse modus practice usurpari possit, & debeat.

IV. Ex occasione ejusdem thematis ostendatur, quod homo peculiari ratione obligetur ad colendam Sanctiss. Trinitatem, eo quod creatus sit ad imaginem ejusdem; quem enim magis amaret imago, si posset, quam illum, cujus est imago? Ostendatur ergo 1. Vel ex ipso corde triangulari, atque anima, tribusque potentiis, quod creatus sit ad imaginem Sanctissimæ Trinitatis; dein quomodo imaginem hanc venerari, mundam conservare, & ubi opus fuerit, renovare debeant.

V. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo quivis Christianus hoc die imitari debeat servum illum, qui a Domino suo ad conventum Dæmonum ductus, & Lucifero homagium prestare jussus, renuit id facere, dicensque: Reddo me Sanctissimæ Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui Sancto: totum conventiculum dissipavit. Ostendatur proin, quomodo quisque se reddere Sanctissimæ Trinitati debeat, videlicet 1. Per seriam detestationem vitæ præteritæ. 2. Per novum propositum, serio, & constanter illi serviendi. 3. Per novam oblationem omnium suarum actionum ad majorem gloriam ejusdem Sanctissimæ Trinitatis.

VI. Ex eodem themate ostendatur, cur quivis homo se totum Sanctissimæ Trinitatis obsequio cum summa fiducia consecrare debeat ob tria attributa eidem specialiter convenientia, scilicet ob potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem Spiritus Sancti; de quibus vide Fabr. conc. 5.

VII. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Matth. 28. Potest explicari pro capacitate Auditorum Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & causæ afferri, cur illud firmiter credere, & profiteri debeamus; de quo vide tit. Deus, §. 3. a num. 3. & §. 5. a num. 3. & §. 12. num. 9.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, cur hoc Festum præ omnibus Festis devote sit celebrandum; & quomodo id ipsum aptissime fieri possit; de quo vide cit. §. 12. num. 10.

IX. Ex eodem ostendi potest, quam grata sit Deo laus illa Ecclesiæ, qua canit: Gloria Patri &c. & quomodo Auditores perpetuum *Gloria Patri, aut Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. juxta Sanctorum Angelorum exemplum canere possint; de quo vide tit. Deus; §. 12. num. 11.

X. *Cujus est imago hæc?* Matth. 22. Ostendi potest hominem esse imaginem Sanctissimæ Trinitatis, & inde inferri, quanto in honore hæc imago habenda, quam sollicite ab omni macula per peccatum contrahi solita custodienda, quantosque ob hunc cultum fructus quisque sperare possit. Vide tit. Anima, §. 12. num. 1.

XI. Ex eodem narrari potest historia ex speculo magno Exemplorum de servo, qui a Domino suo ductus ad Dæmonem, eique se mancipare jussus, ubi audivit, abnegandam sibi Sanctissimam Trinitatem esse, in hæc verba prorupit: Reddo me Sanctissimæ Trinitati: sicque Dæmonem fugavit. Inferatur subinde quid idem quivis homo facere debeat, idque propter Potentiam Patris, Sapientiam Filii, & Bonitatem Spiritus Sancti quæ tres proprietates ab iis, qui servire cupiunt, in Dominis requiruntur. Vide cit. tit. Deus §. 12, num. 2.

XII. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*. Matth. 28. Ostendatur, quomodo SS. Trinitas semper sit nobiscum. 1. Per *immensita-*

situtem, & *præsentiam*; unde excitandi Auditores, ut quod S. Bernardus de S. Angelo Custode dixit: *In omni angulo Angelo tuo reverentiam babe, nec audeas illo præsente, quod me præsente non auderes*, multo magis erga SS. Trinitatem observetur. 2. Per *potentiam*, adjuvando, & protegendo nos, unde fiducia concipienda, iterumque applicandum, quod Sanctus Bernardus de Angelis dixit: Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, tantum adhæreamus eis &c. 3. Per *sapientiam*, dirigendo nos, unde providentiæ illius omnia committenda, omnisque sollicitudo in illum projicienda. Vide tit. cit. Deus §. 3. & 5.

PRO DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

I. H*Omo quidam fecit cœnam magnam*. Luc. 14. Potest ostendi, quam vere Christus in SS. Eucharistia cœnam magnam apparaverit. Est enim magna in se propter cibi, & potus præstantiam. 2. Magna propter modum præparandi, nempe miracula intervenientia. 3. Magna propter effectus, nam satiat, nutrit, augmentat, pinguefacit, & delectat animam plus, quam ullum aliud convivium, ut adeo merito etiam cum magno desiderio, præparatione, & devotione sumi debeat. Vide tit. Eucharistia.

II. Ex ejusdem thematis occasione dici potest, hanc cœnam esse similem convivio Norimbergæ per tres mensas sibi superimpositas instituto; de quo vide loc. cit. §. 12. n. 8.

III. Item occasione anagrammatis, quo *Eucharistia* idem significat, ac *Cithara Jesu*, possunt effectus potiores Eucharistiæ indicari, simulque quomodo hæc cithara pulsari, id est, Eucharistia sumi debeat, ostendi; de quo vide loc. cit. n. 9.

IV. *Et cœperunt se omnes excusare*. Luc. 14. Afferri possunt & refutari excusationes, ob quas aliqui horrent venire ad hanc cœnam; de quibus vide loc. cit. n. 18.

V. *Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*. Luc. 14. Ostendi potest, quinam potissimum frequenter ad Eucharistiam accedere debeat; nimirum. 1. Pauperes, qui cupiunt in virtutibus & meritis crescere; hic enim audient illud olim S. Augustino dictum: Cresce, & manducabis me, & non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. 2. Debiles in spiritu, & variis morbis spiritualibus obnoxii; hinc enim virtus exibit, & sanabit omnes. 3. Cœci, qui illuminatum nondum intellectum in rebus spiritualibus habent; his enim merito dicitur: Accedite ad eum, & illuminamini, magisque aperientur oculi, quam Jonathæ gustato melle. 4. Claudi seu difficulter progredientes in via mandatorum & perfectionis; hinc enim magis confortabuntur, quam Elias per panem ab Angelo allatum; quæ omnia facile dilatari & probari possunt per ea, quæ in cit. tit. §. 3. & 4. dicuntur.

VI. *Introduc huc*. Luc. 14. Dici potest, plerumque in particularibus Ecclesiis processionem solemnem in Festo Corporis Christi institutam, privatam iterum processionem institui, & hoc vel maxime esse cuivis homini, cum & ipse sit templum Dei, suadendum, quomodo autem id fieri debeat. Vide loc. cit. §. 12. n. 24.

VII. Ex occasione thematis: *Homo quidam fecit cœnam magnam*: Luc. 14. potest ostendi, quod cœna hæc magna sit ipsa vita æterna seu beatitudo, quæ merito dicitur magna. 1. Quia in ea reperiuntur omnis generis deliciæ, velut epulæ. 2. Quia ibi satietas & abundantia plenissima habetur. 3. Quia musica præstantissima & suavissima beatorum Deum laudantium auditur. Unde excitentur Auditores ad magnum desiderium hujus cœnæ concipiendum, & ut diligenter se ad eam præparent vocationi suæ respondendo. Vide Fabrum conc. 10. lit. c.

VIII. Ex eodem themate potest Eucharistia huic cœnæ magnæ comparari, quia continet triplicis generis fercula in conviviis splendidis apponi solita. 1. Fercula oculos solum delectantia, & admiranda (*Bschawessen*) quia in ea plurima continentur miracula, quæ solum oculo Fidei aspici, & credi debent. 2. Fercula solida (*Hauptspein*) quia Eucharistia animam satiat, nutrit, pinguefacit, roborat. 3. Bellaria (*Confect*) quia præbet delicias Regibus, id est, qui super seipsos regnant. Vide tit. Euch. & tit. Communio.

IX. Ex eodem themate potest Eucharistia comparari convivio Assueri. 1. Propter dignitatem instituentis. 2. Propter multitudinem invitatorum. 3. Propter cibos, & potum præstantissimum. 4. Propter sumptionem, ad quam nemo cogebatur, sed quisque sumebat, quantum volebat, id est, juxta dispositionem. Vide loc. cit.

X. Ex occasione thematis: *Et cœperunt se omnes excusare*: possunt frivolæ excusationes, per quales aliqui a frequenti communione se excusant, afferri, & refutari; quarum prima est, respectus humanus: quid dicent homines? Secunda, quod Ecclesia semel dumtaxat communionem quovis anno præcipiat. Tertia consuetudinis malæ deponendæ difficultas. Quarta, quod nullus advertatur fructus. Quinta, quod frequentior usus pariat contemptum. Sexta negotiorum multitudo. Septima, quod quis non audeat amplius lætus esse ob perpetuam recollectionem. Octava, quod indignus sit tam frequenti communione. Nona, quod reverentia exigat rariorem communionem.

XI. Ex occasione thematis: *Et vocavit multos*: possunt causæ afferri, cur solemnis processio circa hanc octavam instituatur, videlicet. 1. Ut gratos nos pro beneficio Eucharistiæ institutæ exhibeamus. 2. Ut compensemus, quod per annum neglexinus. 3. Ut aliorum injuriæ refarciantur. 4. Ut hæreticorum perfidia redarguatur. 5. Ut oppida & arces muniantur contra hostes, exemplo S. Claræ, hostes per Eucharistiam fugantis. Vide tit. Eucharistia §. 12. n. 21.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christum in corpus nostrum per privatam processionem introducere debeamus. 1. Præ-

1. Præferendo crucem confessionis. 2. Perticas ornatas floribus per modestiam exteriorem, & interiorem corporis portando. 3. Musicos choros congregando per laudes Christo cantandas. 4. Angelos introducendo per varias virtutes exercitas. 5. Christum in argentea capsa per puritatem, & deaurata per charitatem, portando. 6. Proceres seu cælites ad comitandum Christum invitando. 7. Ignes festivos per tormentorum explosionem excitando, id est, actus charitatis erga Deum, proximum & seipsum exarcitos. 8. Hymnum Ambrosianum per gratias actas cantando vel dicendo. Vide tit. cit. & Fabrum in Sylva them. 5.

PRO DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

I. N*Onne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Luc. 15. Ostendi potest, quanti Christus fecerit animam hominis, dum eam per tot annos, tot labores, tot cruciatus, ipsamque mortem quæsivit, suoque exemplo etiam alios Pastores ad similem conatum pro animabus suscipiendum excitavit, quorum aliquot exempla ex tit. Zelus, & tit. Anima enarrari possunt. Inde inferatur, quas gratias Christo referre debeamus, scilicet nos totos ei committendo. Si anim totum me debeo, &c. tit. Passio, §. 3. n. 3. O quam ingrata foret ovicula, quæ a Pastore tam sollicite quæsita, & in humeros sublata, ultro desiliret, & aufugeret, lupis in prædam cessura.

II. *Murmurabant Pharisæi, & Scribæ.* Luc. 15. Potest vitium murmurationis dissuaderi, & 1. Quidem ostendi, in quo consistar, nempe quod sit injusta querela de factis aliorum. 2. Quam sit commune hoc vitium, dum passim tales murmurariones contra æquales, contra superiores, contra ipsum Deum audiuntur. 3. Quare sit fugiendum, quia scilicet est contra charitatem, quæ juber onera alterius portare: contra justitiam, quæ monet, ut neminem inauditum damnemus: contra prudentiam, quæ dictat, ut medium inutile ad finem non adhibeamus; quid autem juvat murmuratio ad emendationem? Contra obedientiam, quæ monet, ut omnia de manu Dei, & Superiorum æquo animo accipiamus, dicentes cum S. David: Obmutui, qola tu fecisti. Vide plura tit. Detractio (cui affinis est murmuratio) & tit. Judicium temerarium, quod plerumque antecedit murmorationem. Vide etiam Fabrum hic conc. 3.

III. *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. 15. Potest ostendi, cur quivis Christianus exemplo Christi peccatores in cor suum recipere, & pro illis orare debear. Itaque. 1. Cur eis succurrere debeat, nempe quia sunt membra ejusdem corporis; quia sunt fratres eodem Christi sanguine spiritualiter progeniti, & quia miseri sunt, & in latrones infernales inciderunt. 2. Ostendatur, quomodo quis eisdem succurrere, possit nempe corde (compatiendo, & desiderando eis succurrere) ore (precando pro illis assiduo, & verbis, ubi licet, adhortando ad emendationem) opere (varia opera pro ipsis Deo offerendo). De quibus vide tit. Zelus.

IV. *Cum invenerit eum, imponit in humeros suos.* Luc. 15. Potest dici optaodum esse, ut omnes Christiani pro sigillo haberent Christum ovam in humeris gestantem, cum inscriptione: Alter alterius onera portate, nihil anim magis necessarium & utile ad concordiam conservandam in communitate. Ostendatur ergo 1. quomodo Superiores Subditorum. 2. Æquales æqualium. 3. Subditi Superiorum onera portare debeant. Vide tit. Dilectio proximi & Thomas Kempensis l. 1. c. 16.

V. *Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. Ostendi potest, quantum gaudium quivis peccator per feriam pœnitentiam creare possit, Deo, Angelis, Sanctis, domesticis, vicinis, superioribus, sibi ipsi ante, in, & post mortem; simulque unum aut alterum medium ad talem pœnitentiam offerri, maxime ut Christo per fiduciam appropinquet. Vide tit. Pœnitentia, & tit. Conscientia.

VI. *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Luc. 15. Ostendi potest, quod quivis peccator, qui per gratiam divinam per peccatum amisit, mox illam quærere debeat. 1. Ergo ostendatur; quam pretiosa sit hæc drachma. 2. Quomodo quærenda sit, nempe per scopum contritionis, vel confessionis, aut examinis conscientiæ. 3. Quod non sit differenda hæc inquisitio; de quibus vide tit. Pœnitentia, & tit. Gratia, & Thomam Kempensis lib. 3. cap. 55.

VII. Ex occasione thematis: *Nonne dimittit nonaginta novem oves in deserto, & vadit ad illam quæ perierat.* Luc. c. 15. Ostendi potest, cur animæ cura omnibus præponenda sit, nempe. 1. Quia, com ad imaginem Dei facta, & pretioso Christi Sanguina sit redempta, omnibus rebus creatis exceptis Angelis, præponderat; hinc nihil aliud prodest, si anima perdatur. 2. Quia unam dumtaxat animam habemus, qua perdita, omnia perdidimus. 3. Quia anima est pretiosissimum talentum a Deo concreditum, de quo proin severissima ratio est reddenda. Vide tit. Anima.

VIII. Ex occasione thematis: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat:* potest ostendi utilitas pœnitentiæ. 1. Ob reparationem gratiæ. 2. Ob restitutionem meritorum. 3. Ob restitutionem tranquillitatis conscientiæ. 4. Ob famam recuperatam. De quibus vide tit. Pœnitentia, & Fabrum conc. 2. & Sylva them. 1.

IX. Ex occasione thematis: *Gaudium erit coram Angelis Dei:* ostendi potest, cur Angeli gaodeant super peccatore pœnitentiam agente, nimirum. 1. Propter Deum, cujus imago reparatur. 2. Propter Christum, cujus ovicula summe amata inventa est. 3. Propter Spiritum Sanctum, cujus templum mundatum & reconciliatum est. 4. Propter Ipsos Angelos, quorum numerus instauratur. 5. Propter ipsos peccatores, qui ab æterno interitu liberan-

rantur. 6. Propter dæmones, quibus præda gratissima eripitur. Vide Fabrum conc. 9. & in Sylva them. 3.

X. Ex eodem themate ostendi potest, cur majus gaudium sit super uno pœnitente, quam 99. justis: nimirum 1. Quia jucundius Deo spectaculum exhibetur per vim & victoriam a peccatore de seipso relatam. 2. Quia propter peccatores Christi incarnatio & passio, ex quibus infinita bona provenerunt, decreta est. 3. Quia peccatores hoc ipso, quod dimissa sint illis peccata multa, cum S. Magdalena plus diligunt. Vide Fabrum in Sylva.

XI. Ex occasione thematis: *Si perdiderit drachmam, nonne accendit lucernam?* potest ostendi, quod etiam damnum ex peccato veniali ortum sit magnifaciendum ac reparandum, quia talia peccata multa bona auferunt, puta conscientiæ tranquillitatem, favorem Dei, meriti augmentum, gratias Dei speciales, profectum in virtutibus. 2. Multa mala inferunt, puta maculam animæ, imminutionem charitatis, virium animæ debilitatem, dispositionem ad peccatum mortale. Vide ibid. them. 2.

XII. Ex eodem themate potest ostendi cur Deus in nobis accenderit lucernam conscientiæ, nempe 1. Ut sciremus, quid agendum aut omittendum. 2. Ut retraheret a malo, & impelleret ad bonum. 3. Ut actionum nostrarum esset testis. 4. Ut esset accusator nostrarum actionum, & tutor proximi. Vide l. c. them. 5.

PRO DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

I. *Cum turba irruerent, ut audirent verbum Dei*. Luc. 5. Potest ostendi fervor turbæ in audiendo verbo Christi, & afferri rationes, cur tunc tam avide audierint, simulque ostendi, quam dissimilis sit fervor in modernis Christianis, & quæ causæ sint hujus teporis, nimirum quia non credunt firmiter, doctrinas in concione propositas Dei verbum esse, nec simili cum intentione accedunt ad conciones; quæ omnia fusius demonstrentur ex iis, quæ de verbo Dei titul. 145. dicta sunt.

II. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus*. Luc. 5. Ostendi potest, quod plerique homines hæc verba olim in fine vitæ usurpare possint; nimirum quia plerique aut mala agunt, aut extra statum gratiæ agunt, aut sine legitima intentione, quam autem stulte agant, colligi potest ex similitudine illorum, quibus thesaurus Regis apertus esset cum facultate auferendi inde per horam, quantum vellent, & possent; an non enim tales stulte agerent, si omnia alia agerent, quam exportarent divitias ex thesauro &c. Sane verendum est, ne verificetur olim illud Isaiæ 16. Mœrebunt &c. Vide tit. Labor, & tit. Intentio, & tit. Opus bonum.

III. *In verbo autem tuo laxabo rete*. Luc. 5. Potest ostendi, quomodo quivis homo fructuose laborare possit, si videlicet in verbo Christi laborem peragat. Hoc autem tripliciter fieri potest 1. In verbo tuo, id est, per gratiam tuam, quæ proin prius invocanda est, dicendo cum Ecclesia: Actiones nostras &c. 2. Si ad honorem Christi laboremus, juxta monitum S. Pauli, 1. Cor. 10. Sive manducamus &c. 3. Si ad exemplum Christi bene omnia agamus, ut dici possit: Bene omnia fecit. Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. Vide tit. Opus bonum.

IV. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam*. Luc. 5. Possunt fructus multiplices bonorum operum demonstrari, nempe meritorius, satisfactorius, impetratorius, simulque ostendi, quanta consolatio, & alacritas in omnibus laboribus sit oritura. Vide cit. Opus bonum.

V. *Piscatores autem descenderant, & lavabant retia sua*. Luc. 5. Potest examinis quotidiani necessitas, & utilitas demonstrari, & ab initio quinque ejus partes breviter explicari. Vide tit. Examen Conscientiæ.

VI. Ex eodem themate etiam frequentioris confessionis necessitas, & utilitas demonstrari, frivolæque nonnullorum excusationes refutari possunt. Vide titul. Confessio, maxime §. 7.

VII. Ex occasione thematis: *Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei*. Luc. 5. potest ostendi, cur verbum Dei libenter, & studiose sit audiendum, nimirum 1. Propter Deum, cujus Epistola est verbum Dei. 2. Propter amorem Christi, qui est increatum Verbum Dei. 3. Propter nostram necessitatem, & utilitatem, quia est signum prædestinationis, cibus spiritualis animæ, myrotheción spirituale, armamentarium animæ, & optimum instrumentum ad perfectionem acquirendam. Vide tit. Verbum Dei, §. 8.

VIII. Ex eodem themate possunt proponi & solvi utiles quædam quæstiones de hac materia. 1. Cur nullum præceptum datum sit de verbo Dei audiendo. 2. Cur viva vox prævaleat mortuæ voci librorum. 3. Cur SS. Patres præferant verbum Dei Corpori Christi. 4. Quis sit triplex auditus, quem Doctores requirunt ad fructuose audiendum verbum Dei, scilicet, auditus naturæ, quo verbum suscipitur: auditus intelligentiæ, quo sensus verbi discernitur: auditus obedientiæ, quo res verbi efficitur. Vide tit. cod. §. 10.

IX. Ex eodem themate possunt aliæ quæstiones circa fructum verbi divini proponi, nimirum 1. Quia fructus sit quærendus in audiendo verbo Dei. 2. An semper aliquis sentiatur. 3. Cur sæpe non magnus sequatur. 4. An in tali casu desistendum ab auditione. 5. An desistendum tunc a prædicatione. 6. Quomodo reportandus fructus. Quas quæstiones vide solutas in cit. tit. §. 10.

X. Ex occasione thematis: *Duc in altum, & laxate retia in capturam*: ostendi potest, quomodo quivis Christianus perfectus esse possit, & debeat. 1. Quia hanc perfectionem exigit natura, Deus, Christus, & exempla Sanctorum. 2. Quia consistit in duobus tantum præceptis: Declina a malo, & fac bonum.

num. 3. Quia ad hæc præcepta omnes habent copiosa media, scilicet Instructores, auxilia Dei, Sacramentorum usum, exempla sociorum. Vide tit. Perfectio & Fabrum conc. 4. & Sylva them. 4.

XI. Ex eodem themate possunt proponi industriæ, quibus multa, & magna merita non magno labore comparari queant, videlicet si 1. Intentio sit purissima ex solo charitatis motivo elicita. 2. Si alacritas in operibus ostendatur. 3. Si difficultates occurrentes generose superentur. 4. Si liberales nos erga Deum ostendamus. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

XII. Ex occasione thematis: *In verbo tuo laxabo rete:* ostendi potest, quantam efficaciam habeat obedientia. 1. Ad Dei beneplacitum augendum. 2. Ad meritorum incrementum. 3. Ad fructum in proximi salute copiosum obtinendum. Vide tit. Obedientia.

PRO DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

I. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 5. Potest hypocrisis vitium dissuaderi, & 1. ostendi, quid sit, & unde cognosci queat. 2. Quam commune sit Ecclesiasticis, & sæcularibus, ita ut de plurimis dici queat: Vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau. 3. Quam exosum sit Deo, & hominibus. Vide tit. Hypocrisis §. 1. & 9. & 10. n. 6.

II. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Matth. 5. Potest iraoundiæ vitium dissuaderi, & 1. ostendi, quæ sit iracundia mala. 2. Quam noxia sit bonis temporalibus, corpori, animæ, societati humanæ &c. Vide tit. Iracundia §. 11. n. 8. item Fabrum hic conc. 7.

III. Ex eodem themate possunt varia remedia ad iracundiam propriam sedandam proponi, & commendari, quæ videre licet tit. cit. §. 10. & §. 11. n. 10. & 11. Item apud Fabrum hic conc. 5.

IV. Ex eodem potest ostendi, quomodo ira aliena compesci possit; de quo vide tit. cit. §. 11. n. 22 & §. 12. n. 1.

V. *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Matth. 5. Possunt ostendi causæ, ob quas quivis libenter, & celeriter inimico suo reconciliari debeat, quas videre licet tit. Dilectio inimici §. 8. & §. 11. n. 4.

VI. Ex eodem themate possunt refutari frivolæ excusationes, quæ a plerisque afferuntur, ne inimicis suis ignoscere cogantur, quas vide tit. cit. §. 11. n. 5.

VII. Ex occasione thematis: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Pharisæorum.* Matth. 5. potest ostendi, quam multipliciter vitium Hypocrisis regnet in mundo, & 1. apud Christianos, qui nomen sine operibus habent. 2. Apud devotos, qui fictam pro vera, & solida virtute exercent. 3. Apud politicos, qui curam boni Reipublicæ habere præ se ferunt, cum tamen nonnisi proprium interesse quærant. 4. Apud falsos amicos, qui veram amicitiam simulant. 5. Apud Religiosos, & Clericos, qui habitu perfectionem mentiuntur nihil minus autem opere præstant. Vide tit. Hypocrisis.

VIII. Ex eodem themate potest ostendi, in quo consistat vera justitia, & virtus, nimirum 1. ut ex bona intentione eliciatur, vel ex communi motivo charitatis divinæ, vel ob specialem honestatem cujusque virtutis. 2. Ut discrete eliciatur; nam discretio omnibus virtutibus modum, & ordinem præscribit. 3. Ut constanter eliciatur, nam ficta in naturam suam cito recidunt, ut ex fucata pulchritudine patet. Vide tit. Virtus, & Hypocrisis.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quam odiosum, inexcusabile, perniciosum, & curatu difficillimum, ac diabolicum sit hoc vitium, de quibus vide tit. Hypocrisis §. 7.

X. Ex occasione thematis: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio;* potest ostendi, quod ira sit similis triplici lanceæ, qua Absalon a Joabo perfossus est, nam corpori, animæ, & rebus fortunæ tum propriis, tum alienis nocet gravissime. Dein ostendatur, quomodo contra hanc triplicem lanceam pectus triplici ære, seu lorica, scilicet consideratione longanimitatis divinæ, consideratione proximi, ut instrumenti Justitiæ divinæ, consideratione propriæ fragilitatis muniendum sit. Vide tit. Iracundia.

XI. Ex eodem themate possunt variæ quæstiones circa iracundiam proponi, & solvi. Nimirum 1. quod sit discrimen inter iram, & indignationem. 2. Quando ira peccaminosa sit. 3. Qui sint gradus iræ. 4. Quomodo ira sit usurpanda. 5. Quibus non irascendum; quæ omnia vide tit. Ira, & Fabrum conc. 4.

XII. Ex occasione thematis: *Vade prius reconciliari fratri tuo:* potest ostendi. 1. Cur inimicitia Deo tam exosa sit. 2. Cur Christo. 3. Cur hominibus. 4. Cur ipsi iracundo; de quibus vide tit. Iracundia.

PRO DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

I. *Misereor super turbam.* Marci 8. Ostendi potest, quinam homines potissimum misereri debeant aliorum; de quibus vide tit. Misericordia, §. 11. n. 2.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo misereri debeant, seu circumstantiæ in misericordia exercenda observandæ proponi; quas vide loc. cit. num. 3. & §. 10. num. 3.

III. Ex eodem possunt causæ, ob quas misericordia exercenda sit, proponi, & amplificari ob quas vide tit. cit. §. 8.

VI. Ex eodem possunt offerri aliquot media ad misericordiam prompte exercendam; quæ vide cit. tit. §. 9.

V. Ex eodem possunt afferri, & refutari excusationes, per quas aliqui se eximere volunt ab obligatione misericordiam exercendi; quas vide tit. cit. §. 11. n. 4.

VI. *Ecce jam triduo sustinent me.* Marc. 7. Potest ostendi, quomodo Christum movere pos-

possimus, ut necessaria sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia suppeditet, si scilicet per triduum, *Fidei*, qua credamus, Deum posse, & velle juvare; *Spei*, qua ad ipsum actu confugiamus, nostramque ei necessitatem exponamus; *Charitatis*, qua mandata ejus observamus, &, quidquid Deus circa nos, ut nostra bona disponit, æquissimo animo disponamus. Hoc sane triduo si Christum sustineamus, id est, hos actus eliciamus, tanto certius sperare poterimus, ipsum dicturum: Misereor super turbam: quanto gratiores hi actus, quam illud triduum, sunt futuri. Vide plura tit. Fides, Spes, Charitas, Resigratio.

VII. Ex occasione thematis: *Unde ememus panem?* Marc. 8. Ostendi potest, cur & quando consilium petendum; hinc 1. ostendatur necessitas, quia nemo sibi sapiens satis: utilitas, quia salus, ubi multa consilia: jucunditas, quia sicut odoribus delectatur cor, ita bonis amici consiliis anima dulcoratur: & securitas, quia si quis sine consilio nihil faciat, post factum non pœnitebit. Deinde ostendatur, in quibus casibus sit maxime petendum, nimirum 1. In lectione status. 2. In reformatione vitæ. 3. In tentationibus, & adversitatibus, in quibus animus perturbatus, quid agendum sit, difficulter videre potest. 4. In gravioribus negotiis, præcipue patriæ salutem concernentibus. Vide tit. Consilium.

VIII. Ex occasione thematis: *Unde istos quis poterit saturare panibus?* potest ostendi, quomodo homines in egestate habere se debeant, videlicet per triduum Fidei (qua credatur ipsum scire, posse & velle juvare) spei, (qua auxilium ab ipso petatur) & caritatis, (qua mandata ipsius observentur, & voluntas ipsius æquo animo accepietur, nec murmuretur). Vide cit. tit.

IX. Ex occasione thematis: *Misereor super turbam:* ostendi potest, erga quos præcipue misericordiam ostendere debeamus, videlicet 1. Erga pauperes. 2. Erga afflictos. 3. Erga peccatores. 4. Erga defunctos; de quibus vide tit. Misericordia.

X. Ex eodem themate ostendi potest potissimum motivum misericordiæ exercendæ, videlicet quod sit signum prædestinationis ad vitam æternam, idque probetur 1. ex promissione Christi: Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. 2. Ex textibus S. Scripturæ. 3. Ex SS. Patribus. 4. Ex experientia, qua S. Hieronymus testatur, se numquam vidisse mala morte defunctum, qui libenter opera misericordiæ exercuit. 5. Ex æquitate; quia conveniens est, ut, qua mensura alteri metimur, eadem & nobis Deus metiatur.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quod Christus Luc. 6. dicens: Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est; omnium doctrinarum ad misericordiam spectantium compendium exhibuerit. Nam 1. ostendit, quomodo sit exercenda, offerens pro idea exemplum Patris æterni. 2. Principale motivum, scilicet summam dignitatem ex eo ortam, quod Patri cælesti nos similes faciat. 3. Medium efficacissimum suggerendo, scilicet exemplum misericordiæ, quam Pater cælestis erga nos ostendit. Unde merito dicitur: Nonne & te oportuit misereri conservi tui? Vide cit. tit.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo misericordiam metiri & exhibere proximo debeamus, scilicet 1. dando mensuram bonam per bonam voluntatem. 2. Confertam per actualem eleemosynam. 3. Coagitatam per liberalitatem. 4. Super affluentem per hilaritatem. Dein ostendi potest, quomodo vicissim accepturi simus mensuram bonam in temporalibus bonis: confertam per augumentum gratiæ in virtutibus, & meritis: coagitatam per felicem mortem, & liberationem e purgatorio: super affluentem per copiosum gloriæ augumentum. Vide tit. cc.

PRO DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

I. *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. Potest ostendi, quantopere societas malorum hominum ad ludum, compotationes, luxuriem invitantium, præcipue mulierum sit devitanda: de quo vide tit. Societas.

II. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. Ostendi potest, unde quisque colligere possit, se frugiferam arborem esse, nempe ex fructibus bonorum operum, hæc autem an bona sint, debere cognosci. 1. *Ex odore*, si scilicet in gratia, quæ sola bonum & Deo gratum odorem tribuit operibus, sint facta. 2. *Ex colore*, si com diligentia, & decentia extrinseca fiant, non obiter, non perfunctorie, non tepide &c. 3. *Ex sapore*, si cum bona intentione fiant; absque hac enim omnia Deo ingrata, & insipida sunt. Vide tit. Intentio, tit. Gratia & Opus bonum.

III. *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Matth. 7. Potest ostendi, quanti referat ad hoc, ut arbor bonos fructus faciat, ut ab initio bene colatur, hinc occasio sumetur ad bonam educationem liberorum concionandi; de qua vide tit. Educatio.

IV. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. Potest ostendi, quos fructus a quovis homine exigat Deus; sicut enim non a quavis arbore quivis fructus, ita nec a quovis homine quævis opera exigi queunt. Ostendatur ergo, quod in primis quivis fructus Christiano homini convenientes producere debeat; deinde opera statui suo conformia, id quod percurrendo varios status ostendatur, simulque probetur, & rationibus, & exemplis, quemvis in suo statu perfectum esse posse. Vide titul. Christianus.

V. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur.* Matth. 7. Ostendi potest, quæ potissimum sint impedimenta, ob quæ arbores etiam alioqui bonæ fructum non faciant, nempe 1. si inutiles rami, puta vana & sensualia desideria, inordinati amores, non præcidantur. 2. Si diu non irrigentur; ut succum attrahere queant; id est, si orationis & Sacramentorum usus negligatur. 3. Si vermes

fio-

flores & folia consumentes non auferantur, Id est, si societates & occasiones malæ non deferantur. Vide tit. Oratio, tit. Societas, & tit. Concupiscantia.

VI. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Matth. 7. Potest ostendi in primis, quam noxium, turpe, & indignum viro honesto, & maxima Christiano, Christi, qui est ipsa veritas, discipulum & sectatorem se profitenti, sit mendacium oris: & inde inferatur, quanto detestabilius sit mendacium vitæ; a quo tota salus, & felicitas hominis corrumpitur. Vide tit. Hypocrisis, & mendacium, & tit. Christianus.

VII. Ex occasione thematis: *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Matth. c. 7. ostendi potest 1. quam convenienter homo a nonnullis arbori inversæ comparetur, quæ ramos versus cælum exporrigat. 2. Quam præstans sit arbor, sive rectitudinem, sive altitudinem, sive fæcunditatem attendas. 3. Quanto studio colenda, cum arbores materiales longe viliores tanto studio colamus.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo arbor animæ nostræ colenda sit; videlicet 1. dando operam, ut firmas agat radices timoris Dei. 2. Ut stercoretur, vel irrigetur per Sacramentorum usum, aliaque media ad gratiam obtinendam, & retinendam necessaria. 3. Ut inutiles rami concupiscentiæ inordinatæ præscindantur. 4. Ut a vermibus tentationum defendatur. 5. Ut Deo vel Sanctis custodienda commendetur, ut olim certis Diis commendabantur.

IX. Ex eodem themate ostendatur, ex quibus indiciis arbor bona cognoscatur; nempe primo ex floribus bonorum desideriorum. Secundo ex foliis efficacium propositorum. Tertio ex fructibus operum statui convenientium.

X. Ex eodem themate ostendatur, quare bonis operibus sedulo vacandum, scilicet 1. ob necessitatem, quia ex bonis operibus homo justificatur. 2. Ob utilitatem, quia opera ista sunt veræ divitiæ spirituales. 3. Ob jucunditatem, quia gaudebit homo semper vespere, si diem insumat fructuose. 4. Ob dignitatem, quia per bona opera assimilatur Deo, qui vidit opera sua, & erant valda bona: & Christo, qui omnia bene fecit. 5. Ob facilitatem, quia Deus magis pensat, ex quanto, quam quantum quis agat; hinc Christus onus suum leve, & jugum suave esse dixit. Vide tit. Opus Bonum.

XI. Ex occasione thematis: *Non omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum:* potest ostendi, quinam hæc verba mala usurpent, nimirum. 1. Hæretici, qui credunt, se per solam fidem justificari. 2. Tepidi Christiani, qui solo nomine contenti sunt. 3. Devoti Christiani, qui in solis externis signis suam devotionem ponunt. 4. Inconstantes Christiani, qui multa proponunt, pauca exequuntur. Vide Fabrum conc. 4.

XII. Ex occasione thematis: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium:* ostendi potest, quod per hos Prophetas recte designentur Hæretici, qui vestimenta ovium gerunt, ob sequentes causas. 1. Quia semper verbis apparenter piis utuntur, dicentes se esse Evangelicos & Catholicos. 2. Quia in aliquibus articulis conveniunt cum Catholicis. 3. Quia assiduo S. Scripturam allegant. 4. Quod quasdam doctrinas bonas, & laudabiles tradant. 5. Quod in quibusdam bonis operibus sint valde ferventes verbi grat. in oratione, verbi divini auditione, eleemosyna danda, & similibus. Quare detrahantur illis hæc vastimenta, ostendendo, quod lupi potius dicendi sunt, ob insidias veris ovibus structas.

PRO DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona sua.* Luc. 16. Dicere potest Concionator, se miram propositionem probaturum, nempe quod avari sint maximi prodigi. Ostendatur ergo ab initio, quinam sint avari, idque per varios actus probetur; dein ostendatur, quomodo tales bona sua, quæ injuste retinent, reipsa dissipent, dum iisdem neque ad honorem Dei, nec ad salutem propriam, nec ad commodum proximi utuntur. Inferatur ergo, quam severam olim rationem sint reddituri. Vide tit. Avaritia.

II. Ex eodem themate ostendatur, quinam sint maximi dissipatores & prodigi, nempe qui tempus inutiliter transigunt, & sine fructu elabi sinunt. Demonstretur ergo 1. quam pretiosum sit hoc tempus. 2. Quam multi sint, qui illud dissipant, id quod per varios status hominum facile probari potest. 3. Quam severam olim rationem tales prodigi redditur sint; pro quo scopo vide tit. Tempus.

III. *Redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16. Ostendi potest, quomodo quivis homo librum rationum componere debeat, in una parte libri scribendo: *Accipe beneficium*: in altera: *Redde servitium*: seu quod idem est, acceptum & expensum. Ostendatur ergo, quam grande ex una parte acceptum fuerit, enumerando potiora beneficia creationis, conservationis, redemptionis, justificationis, institutæ Eucharistiæ, vocationis ad statum &c. quam exiguum autem ex altera parte sit expensum, id est, quam male compensata, & ad præfixum finem usurpata ista beneficia, id quod pariter per enumerationem ostendi potest. Vide tit. Ingratitudo, & tit. Judic.

IV. *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis.* Luc. 16. Ostendatur prudentia, & indefessa vigilantia, ac conatos sæcularium in assequendo fine proposito, quam ingeniose excogitent media, & quam efficaciter ea exequantur, id quod in mercatoribus ad augendas opes, in amatoribus ad explendam libidinem, in ambitiosis ad honores obtinendos, cernere licet. Ostendatur dein, quam parum homines laborent in fine supernaturali assequendo, in spiritualibus opibus, delitiis, & honoribus quærendis, & augendis. Vide titul. Prudentia, & Thom. Kemp. lib. 3. cap. 3.

V. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, Luc. 16. Potest ostendi, quomodo miseri-

fericordia fit unum ex certioribus fignis prædeftinationis, idque probetur judicio Chrifti. Matth. 25. proceffum judicii proponentis, & mifericordibus dicentis: Venite Benedicti. 2. Judicio SS. Patrum. 3. Experentia, de qua S. Hieronymus dixit: Non memini, me legiffe, mala morte fuiffe defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, habet enim multos interceffores, & impoffibile eft multorum preces non exaudiri. Vid. tit. Mifericordia.

VI. *Facite vobis amicos*. Luc. 16. Poteft mifericordia erga animas Purgatorii commendari, & probari, quod hæc mifericordia fingulariter conducat ad conciliandum Deum, atque ad falutem noftram affecurandam; pro qua materia vide tit. Mifericordia erga Defunctos, §. 10. num. 5.

VII. Ex occafione thematis: *Diffamatus eft apud eum, quafi diffipaffet bona illius*. Luc. c. 16. poteft oftendi, quam multi fint ejufmodi villici diffipantes varia bona. Et 1. quidem bona animæ, puta gratiam, & virtutes, fcientiam, & doctrinam, honorem, & famam. 2. Bona corporis, puta formam, & pulchritudinem, robur, & valetudinem, ipfam vitam. 3. Bona fortunæ, puta divitias, nobilitatem, dignitatem, fruges; quæ omnia quomodo diffipentur, vide apud Fabrum conc. 3.

VIII. Ex eodem themate oftendi poteft, peffimum villicum diffipantem bona domini fui effe, qui tempus diffipat. 1. Quia nihil nobilius tempore, utpote per quod Deus emi poteft. 2. Quia damnum temporis irrevocabile eft. 3. Quia tefte Seneca, omnia alia aliena funt, folum tempus noftrum eft. Vide tit. Tempus.

IX. Ex occafione thematis: *Facite vobis amicos*: poteft oftendi, quod amici præ aliis faciendi fint pauperes. 1. Quia potentes funt ad intercedendum pro nobis, utpote ab eleemofyna comitati. 2. Quia fideles funt, utpote ad ipfum ufque Judicem comitantes. 3. Quia multi funt; impoffibile autem eft, multorum preces non audiri.

X. Ex eodem themate poteft oftendi, per hos amicos potiffimum intelligi a SS. Patribus Sanctos in cælis exiftentes. Utpote qui 1. fciunt juvare, utpote plenam miferiarum noftrarum notitiam habentes. 2. Poffunt juvare, utpote intimi amici Dei, & fua, ac Chrifti merita prætendentes. 3. Volunt juvare, quia fumme diligunt nos, ideoque fpecialiter curabunt, ut ficut ipfi recepti funt in æterna tabernacula, ita & nos quoque in illa recipiamur. Vide tit. Sanctorum cultus, & Fabrum conc. 2. lit. F.

XI. Ex occafione thematis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*: explicari poteft, cur divitiæ mammona iniquitatis vocatæ fint, nimirum 1. Quia fæpe per iniquitatem comparantur. 2. Quia facile iniquos faciunt. 3. Quia fæpe cum iniquitate ufurpantur. 4. Quia frequenter inique, & inæqualiter difpenfantur; unde Auditores excitandi funt, ut melius eafdem ufurpando vitium illarum corrigant. Vide tit. Divitiæ.

XII. Ex occafione thematis: *Filii hujus fæculi prudentiores funt filiis lucis*; oftendi poteft, in quo fint prudentiores, nimirum. 1. Quia magis feduli, & induftrii funt ad faginandum corpus. 2. Quia magis attenti funt ad temporalia bona obtinenda. 3. Quia magis vigilant ad nocendum aliis. 4. Quia plura fæpe faciunt, & excogitant, ut tueantur fua fcelera, ut defendant, & propagent hærefes. 5. Quia diligentius fibi in futurum profpiciunt de rebus neceffariis in hac vita, quam jufti pro æternitate. Unde inferendum cum Thoma Kemp. l. 3. c. 3. Erubefce ergo, ferve piger, & querulofe, quod illi paratiores inveniantur ad perditionem, quam tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem. Vide cit. caput, & Fabrum conc. 2. lit. G. & filvam them. 2.

PRO DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

I. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui*. Luc. 19. Poteft miferandus ftatus peccatorum explicari; & 1. quidem oppugnatio, & everfio urbis Jerofolymitanæ pathetice defcribi. Dein fpiritualiter ad peccatorem applicari, dicendo quod inimici dæmones circumdabunt, ne effugere poffit: coangustabunt peccatorum commifforum confcientia: in terram profternent partim in defperationem, partim in mortem, & fepulchrum præcipitando: non relinquent lapidem fuper lapidem, auferendo omnia bona corporalia, & fpiritualia, nudumque in alterum orbem rapiendo. Excitari proin poffunt Auditores ad pœnitentiam illis verbis: Jerufalem, Jerufalem, convertere ad Dominum Deum tuum. Vide tit. Pœnitentia.

II. *Videns civitatem flevit fuper illam*. Luc. 19. Oftendi poteft, quam juftas hodie caufas quifque habeat flendi fuper civitatem, in qua habitat, nempe 1. Quod Deus tam graviter offendatur, & tam parum colatur. 2. Quod plerique terrenis tantum opibus inhient, nihil de futura cogitantes. 3. Quod charitas, & concordia in exilium expulfa fit, dum omnes, quæ fua funt, quærunt, non quæ aliorum; hinc nulla Juftitia in tribulationibus, nulla fidelitas inter vicinos, & domefticos, nulla mifericordia erga infirmos, & pauperes, quarum omnium caufarum gravitas ex damnis facile defcribi poteft. Vide tit. Charitas, & Juftitia, & tit. Difcordia.

III. Ex eodem themate poteft oftendi, quas alias caufas homo habeat, lacrymas faltem internas fundendi; de quibus caufis vide tit. Lacrymæ §. 8. n. 3.

IV. Item ex ejufdem thematis occafione poffunt effectus, & fructus piarum lacrymarum oftendi; quos vide l. c. §. 9. n. 2. & §. 3. toto.

V. *Non relinquet in te lapidem fuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus vifitationis tuæ*. Luc. 19. Poteft oftendi, quam variis modis Deus nos vifitet, nempe 1. per occultas infpirationes. 2. Per concionatores vivos, & defunctos, id eft, libros fpirituales. 3. Varias tribulationes immittendo. Oftendatur proin, quomodo hæ fieri foleant, quanta cum reverentia, & promptitudine accipiendæ: & quam fe-

severa vindicta timenda sit iis, qui non agnoscunt tales visitationes. Vide tit. Pœnitentia, & tit. Verbum Dei. Item Fabrum in Festo S. Joannis Baptistæ conc. 7. lit. L.

VI. *Cœpit ejicere in illo & ementes, & vendentes*. Luc. 19. Potest ostendi, quantopere Deo displiceant distractiones in oratione; pro quo vide tit. Evagatio mentis, §. 8. Deinde proponantur aliquot media ad tales distractiones vitandas; quæ vid. cit. §. 9. & 10.

VII. Ex occasione thematis: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo*. Luc. 19. potest ostendi, quomodo hæc omnia in morte hominis præsertim peccatoris contingent. Et 1. Inimici circumdabunt vallo, nempe dæmones, peccata, curæ sæculares. 2. Coangustabunt undique, quia supra se videbit severum Judicem, infra se infernum aut purgatorium, intra se vermem conscientiæ, extra se amicos, & bona deserenda, ante se mortem appropinquantem, post se judicium incertum. 3. Ad terram prosternent, id est, sepulchrum, ut esca vermium fiat. 4. Non relinquent lapidem super lapidem, quia omnibus suis bonis temporalibus, imo & spiritualibus, si in malo statu est, privabitur; quæ omnia vide fusius apud Fabrum conc. 1.

VIII. Ex occasione thematis: *Videns Jerusalem flevit super illam*: potest ostendi, quod Christus quadruplicis generis lacrymas effuderit in vita. 1. In infantia lacrymas naturæ. 2. In morte, & resurrectione Lazari lacrymas amoris. 3. In fletu super Jerusalem lacrymas admonitionis. 4. In cruce, dum offerendo satisfactionem suam effudit lacrymas satisfactionis; ex quibus omnibus morales doctrinæ eruendæ, uti Forer. in hac Dominica ostendit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, duplicis generis lacrymas effundi ab hominibus solere. 1. Bonas, quæ vel ex devotione, aut auditione verbi divini, vel ob peccata propria aut aliena, vel compassionem cum proximo eliciuntur. 2. Malas, si ex dolo, & falso corde, aut invidia, pusillanimitate, aut desperatione, ex ira, aut immoderato luctu super mortuos funduntur; quarum ambarum utilitas vel damnum demonstretur. Vide For. l. c.

X. Ex occasione thematis: *Si cognovisses & tu*, ostendi potest, quantopere conducat ad vitam melius instituendam novissimorum consideratio juxta illud Siracidis: In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis; id quod clarius per inductionem probari potest. Vide tit. Mors, Judicium, Infernus, Beatitudo.

XI. Ex occasione thematis: *Domus mea domus orationis est*: ostendi potest, non tantum eam esse domum orationis, sed etiam reconciliationis pro pœnitentibus: Instructionis pro audientibus verbum Dei, & jubilationis, ac laudis juxta Ps. 87. In Ecclesiis benedicite Deo. Unde excitentur Auditores ad templa ob hos fines frequenter, & devote visitanda. Vide Forer. l. c.

XII. Ex occasione thematis: *Cœpit ejicere in illo & ementes, & vendentes*: ostendi potest, quomodo triplici funiculo ejici debeant garrientes in templo, quorum primus est offensa Dei, quia blasphemia, Sacrilegium, & Idololatria committitur. Secundus offensa proximi, nimirum SS. Angelorum, & reliquorum cælitum, quibus hæc irreverentia summe displicet; hominum devotorum, quibus impedimentum, & dolor creatur; parvulorum, qui graviter scandalizantur. Tertius offensa propria, per jacturam favoris divini, meritorum, & benedictiones divinæ famæ.

PRO DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

I. DUo *homines ascenderunt in templum, ut orarent*. Luc. 18. Potest ostendi, quomodo in templo sit orandum, scilicet cum quinque conditionibus a Psalmista Ps. 46. per vocem Psallite quinquies repetitam indicatis, nempe per linguam distincte, per memoriam attente, per intellectum intelligenter, per voluntatem affectuose seu devote, per corpus reverenter; ubi varii defectus contra has conditiones committi soliti enumerari, & castigari possunt. Vide tit. Oratio.

II. *Deus, gratias ago tibi*: Luc. 18. Potest gratitudo erga Deum commendari; & 1. ostendi, ob quæ beneficia debeamus gratias agere. 2. Quomodo id præstandum sit. 3. Quia fructus inde sperandus; quæ omnia facile ex tit. Gratitudo, §. 10. & seq. demonstrari possunt.

III. *Non sum sicut cæteri hominum*. Luc. 18. Ostendendum, cur nullus se aliis præferre debeat. 1. Quia alia sunt judicia Dei, quam hominum. 2. Quia de nostris nobis vitiis, & peccatis constat, non autem de aliorum, cum interiora non cognoscamus. 3. Quia ignoramus, an permansuri simus in bono, si quod habeamus. Vide titul. Superbia, & Thom. Kemp. l. 1. c. 7. & l. 3. c. 4.

IV. *Qui se exaltat, humiliabitur*. Luc. 18. Potest ostendi quam nullus homo ullam causam superbiendi ob quodcumque donum habeat; de quo vide cit. tit. §. 12. num. 1. & fusius in Instruct. 8. fol. 92.

V. *Qui se humiliat, exaltabitur*. Luc. 18. Potest humilitas commendari, & 1. ostendi, in quo consistat. 2. Rationes afferri, ob quas singulari studio exercenda sit; pro quo vide tit. Humilitas. §. 9. & 12. n. 3.

VI. *Descendit hic justificatus in domum suam*. Luc. 18. Potest vis, & efficacia contritionis commendari, & 1. quidem ostendi, in quo consistat. 2. Quam viam habeat ad hominem justificandum, Deoque reconciliandum. 3. Quantopere ob varia pericula, & casus assuefacere se debeant homines ad illam crebro eliciendam, ut per ipsam defectum confessionis suppleant. Vid. tit. Pœnitentia, & Charitas.

VII. Ex occasione thematis: *Deus gratias ago tibi*. Luc. c. 18. ostendi potest, cur gratiæ Deo devote persolvendæ. Quem in finem ob oculos poni possunt tot flumina in orbe creata, ut ab illis gratis esse discamus; nam 1. sicut omnia flumina exeunt a mari, ita omnia beneficia proveniunt a Deo. 2. Sicut omnia flumina redeunt ad mare, & quasi

cum

cum gratitudine restituunt mari aquas, ita & homo per gratitudinem Deo sua beneficia restituere debet. 3. Sicut flumina intrant mare, ut iterum fluant; ita homo gratus esse debet pro beneficiis, ut nova recipere mereatur. Pro quo conceptu vide tit. Gratitudo.

VIII. Ex eodem titulo ostendi potest, quod Deus omnia beneficia *optimo modo* contulerit, videlicet in creatione dando intelligere velut optimum essendi modum: in Redemptione totum sanguinem, & vitam profundendo, cum unica gutta suffecisset: in Eucharistia totam divinitatem, & humanitatem hominibus communicando: in Justificatione gratiam velut præstantissimum Entis genus infundendo, cum sola voluntas suffecisset: in glorificatione visionem beatificam conferendo, cum mille alios modos obsequia nostra compensandi habuisset. Unde inferatur, quod doceat etiam modo optimo gratias agere, scilicet omnes gratitudinis gradus implendo, id est, cogitatione, verbo, & opere gratias agendo, seu agnoscendo, laudando, & serviendo perfectissime. Vide tit. Gratitudo.

IX. Ex occasione thematis: *Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent*: ostendi potest, quid in templis agendum, scilicet 1. Silendum. 2. Sensus custodiendi. 3. Vigilandum, & non dormiendum. 4. Corpus debite componendum. 5. Orationi vacandum. 6. Finis officiorum divinorum expectandus. Vide Fabrum conc. 2.

X. Ex eodem themate ostendi potest, qua præparatione ad templum sit accedendum, scilicet 1. Corde contrito. 2. Cum exclusione curarum domesticarum. 3. Cum humilitate. 4. Cum bona intentione. 5. Cum debita tempestivitate. Vide Fabrum conc. 1.

XI. Ex occasione thematis: *Qui se exaltat, humiliabitur*: potest ostendi, quod neque 1. Sapiens ob sapientiam suam; nec 2. Dives ob divitias suas, etiam spirituales seu opera bona; nec 3. Fortis in dignitate, & potestate magna constitutus ob fortitudinem suam, gloriari possit, sed ob hoc solum, quod sciat, & noscat, & amet Deum. Vide tit. Humilitas.

XII. Ex occasione thematis: *Qui se humiliat, exaltabitur*: potest ostendi, quomodo humiles exaltat Deus, dando ipsis nomen, & æstimationem, apud cælestes, terrestres, & inferos; quæ omnia facile per varias S. Scripturæ, & SS. Patrum sententias historiasque probari possunt. Uti suo loco videre licet.

PRO DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

I. A*Dducunt ei surdum*. Marc. 7. Ostendi potest paucos quidem esse surdos corpore, multos autem spiritu, ac proin hos in hac concione adducendos, & curandos esse. 1. Igitur dicatur aliquos surdos esse in audiendo Deo vocare ad certum statum, quæ surditas præ cæteris periculosa est; quia hi audient quondam illud Prov. 1. Quia vocavi vos &c. 2. Alii surdi sunt in audiendo verbo divino, dum vel omnia non audiunt, vel non fructuose audiunt. 3. Alii in audienda voce Superiorum, dum non obediunt. 4. Alii ad correptiones sive voce, sive flagello factas, qui omnes proin, quomodo surditatem hanc deponere debeant, ostendatur. Vide tit. Obedientia, & tit. Verbum Dei.

II. *Adducunt ei mutum*. Marc. 7. Pariter varii muti adduci, & curari possunt. 1. Muti in templo, dum orandum est. 2. Muti in cathedra, dum concio habenda, & vitia increpanda. 3. Muti in confessionali, dum peccata explicanda. 4. Muti in veritate dicenda, quando opus est ad propriam vel alienam correctionem. Vide tit. Mendacium, tit. Confessio, tit. Acceptio personarum.

III. *Solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte*. Marci 7. Potest ostendi, quam necessarium sit modus recte loquendi, & in quo consistat, de quo vide tit. Lingua.

IV. *Deprecabantur eum, ut imponat illi manum*. Marci 7. Potest ostendi, cur Christum assidue deprecari debeamus, ut linguam nostram curet, ob varia damna, quæ ex lingua male custodita oriuntur variis personis; quæ vide tit. Lingua. §. 13. n. 5.

V. Ostendi potest, quomodo quilibet ipsemet vinculum linguæ solvere, & ut recte loquatur, efficere queat, per media tit. cit. §. 11. & §. 13. n. 7.

VI. *Bene omnia fecit*. Marc. 7. Potest doceri ars auri conficiendi, id est, bona opera; quem totum conceptum vide tit. Intentio bona, §. 11. n. 2.

VII. Ex occasione thematis: *Adducunt ei surdum & mutum*. Marc. c. 7. ostendi potest, quomodo quisque proximum suum ad Christum, ut curetur, adducere debeat, scilicet oratione, verbo, & exemplo, juxta illud S. Bernardi ep. 101. Nunc autem manent tria hæc, verbum, exemplum, oratio; major namque horum oratio, hæc namque operi & voci gratiam & efficaciam tribuit. Dei ostendatur, cur eum dicto modo adducere debeat, scilicet 1. Quia voluntas Dei & Christi id exigit. 2. Quia Christianum tanquam Fratrem id decet. 3. Quia dignitas & utilitas operis id suadet. Vide tit. Zelus, item Fabrum in Sylva them. 1.

VIII. Ex occasione thematis: *Loquebatur recte*: ostendi potest ex ipsa linguæ structura, quomodo recte loquendum sit. Nam 1. Lingua radicem in corde habet, ut corde consentiat. 2. Unica est, ut loquaris parce. 3. In ore calido est, ut spiret ædificationem & amorem. 4. In ore & humido est, ut loquaris, postquam audieris, circumspexeris, & docueris teipsum. 6. Ori quasi carceri inclusa est, septa duplici vallo dentium & labiorum, ut raro, & considerate loquaris, vide Fabrum in Sylva th. 4. & tit. Lingua.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quando tacendum sit, nempe 1. quando nullus fructus speratur. 2. Quando arcana sunt credita. 3. Quando sermo proximo est nocivus. 4. Quando beneficium alteri collatum est. 5. Quando propria causa agitur. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

X. Ex occasione thematis: *Adducunt ei surdum*:

dum: ostendi potest; quinam male sint surdi, & curatione egeant, nempe 1. qui bona consilia & correctiones non audiunt. 2. Qui verbo Dei aures occludunt. 3. Qui litigantium causas non audiunt, vel expediunt. 4. Qui veniam petentes audire nolunt.

XI. Ex occasione thematis: *Bene omnia fecit:* ostendi potest in primis hoc elogium esse omnium præstantissimum, cum juxta Ascetas summa Christiani perfectio sit, quotidiana opera bene perficere. Dein ostendatur, quid requiratur, ut bene fiant, nempe 1. ut cum bona intentione fiant. v. Ut studiose & hilariter peragantor. 2. Ut fortiter & constanter fiant. 4. Ut in gratia Dei fiant. Vide Rodriq. tr. 2. item tit. Perfectio, & Fabrum conc. 5.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Deus omnia bene faciat, id est, ad salutem hominum dirigat; idque probetur 1. ex scriptura dicente, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. 2. Ex SS. Patribus dicentibus, Deum omnia tam bene facere, ut melius non possit. 3. Ex ratione; cum enim bonitas Dei sit infinita, optima eum facere necesse est. 4. Ex experientia multarum historiarum, quæ tit. Resignatio videre licet; unde inferatur, quod hoc fundamentum singulariter conducat ad summam voluntatis suæ cum divina conformitatem, animique tranquillitatem obtinendam.

PRO DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

I. Diliges *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Luc. 10. Ostendi potest, cur Deus sit ex toto corde amandus, quia scilicet in eo tamquam fonte infinities melius reperiuntur causæ amoris ab Ethnicis assignari solitæ, videlicet pulchritudo, bonitas, similitudo, amor; quæ omnia facile ex iis, quæ in tit. Charitas & tit. Deus dicuntur, demonstrari, & probari possunt.

II. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: Luc. 10. Possunt in primis rationes demonstrari, quare proximus sit diligendus; de quibus vide tit. Dilectio Proximi, §. 13. n. 9. & §. 20. Deinde vero regula gemina dari, juxta quam hic amor exercendus est; quæ vide tit. cit. §. 1. v. Actos.

III. *Hoc fac, & vives*. Luc. 10. Potest ostendi necessitas dilectionis Dei & proximi conjungendæ, pro qua vide titul. cit. §. 3. a n. 26. Subinde possunt explicari potiora officia dilectionis proximi, prout tit. cit. §. n. 9. indicantur.

IV. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones*. Luc. 10. Possunt mali focii latronibus comparari, prout eos S. Bernardus vocavit, simulque ostendi, quanto pejores sint latronibus corpus occidentibus; de quo vide tit. Societas.

V. *Alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum*. Luc. 10. Ostendi potest, quomodo correctio & sanatio proximi exerceri, & efficacia cum suavitate conjungi debeat; de qua vide titul. Dilectio Proximi §. 3. a n. 46. & §. 12. n. 10. & §. 13. n. 11.

VI. *Et viso illo præterivit*. Luc. 10. Ostendi potest, quinam veri amici censendi sint, quod quidem colligi potest ex actibus ad veram amicitiam requisitis, quos tit. Amicitia §. 1. num. 3. & seq. indicatos vide, & pro amplificatione ac probatione, quæ subsequuntur, lege.

VII. Ex occasione thematis: *Diliges Dominum Deum tuum*. Luc. 10. declarari possunt tres præcipuæ causæ, cur Deus diligi debeat. Nimirum 1. quia *Deus* est fons omnis boni, in quo omne bonum plurius, recentius, & abundantius invenitur. 2. Quia tuus est, id est, omnia propter te & tuam utilitatem fecit. 3. Quia *Dominus* est, & continuus benefactor, te creans, conservans, protegens, nutriens, præmians, & quidem excellenti modo. Vide Fabrum in Sylva them. 2. & nos.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, in quo consistat vera dilectio, nempe in purissima intentione faciendi omnia propter beneplacitum Dei & in operatione totis viribus facta: hinc enim sponsa dixit: Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: seu in faciendo, quæ ipsi magis placent, quomodo magis placent; & quia magis placent. Vide tit. Charitas.

IX. Ex eodem themate possunt ostendi duo charitatis officia per pulsum arteriæ; ut enim hæc duplicem habet motum, unum, per quem putridum aerem repellit; alterum, per quem recentem aerem attrahit; ita charitas per unum motum creaturas a corde repellit; & per alterum ad se trahit Deum, & per illum vivit. Vide tit. cit.

X. Ex occasione thematis: *Proximum autem sicut te ipsum*: ostendi potest, quomodo quis proximum sicut seipsum diligere debeat, nimirum servando regulas a Deo & natura præscriptas: Quod tibi vis fieri, etiam alteri facias, & quod tibi non vis fieri, alteri non facias: quæ regulæ aptis instantiis sunt illustrandæ, & exemplo pulchro in append. Speculi magni ex. 12. confirmandæ sunt. Vide etiam Dilectio proximi.

XI. Ex eodem themate declarari possunt causæ, cur proximus diligendus; nempe 1. Quia est imago Dei, quidquid proximo confertur, sibi factum reputantis. 2. Quia est membrum corporis mystici seu Ecclesiæ, cujus caput Christus est. 3. Quia frater noster eodem Christi sanguine renatus & cæli cohæres. De quibus vide tit. cit.

XII. Ex eodem themate potest alia regula dari, ut scilicet diligatur proximus, sicut Christus eum dilexit, videlicet 1. *Prudenter*, præmittendo bonam intentionem diligendi eum propter Deum. 2. *Universaliter*, omnes æquali amore diligendo; pro omnibus enim mortuus est. 3. *Efficaciter*, salutem illius procurando, etiam cum sanguinis & vitæ profusione. 4. *Constanter*, cum enim dilexisset suos, in finem usque dilexit, teste S. Joanne. Vide cit. tit. Dilectio proximi.

PRO

PRO DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

I. L*Evaverunt vocem dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri*. Luc. 17. Potest luxuria lepræ comparari. 1. Quia deturpat & commaculat corpus. 2. Quia est hæreditarium peccatum, ut lepra. 3. Quia est difficillimæ curationis, ut lepra. Hinc optimum medium recursus ad Deum, juxta exemplum Salomonis Sap. 8. & ut scivi &c. Deinde ad Christum in SS. Eucharistia, nam duo hoc Sacramentum operatur in nobis. &c. Vide tit. Eucharistia, §. 3. n. 15. & ad Beatam Virginem, quæ solo olim affectu amorem castitatis instillavit. Vide tit. Luxuria.

II. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Luc. 17. Confessionis necessitas, utilitas & jucunditas demonstrari potest; simulque excusationes vel causæ absterrentes refutari. Vide tit. Confessio, §. 10. & 11.

III. *Unus autem, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum*. Luc. 17. Potest gratitudo persuaderi, & 1. Illius gradus explicari, dein motiva potiora ad eum impellentia proponi & commendari. Vide tit. Gratitudo.

IV. *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo*. Luc. 17. Potest ostendi, quantopere vitium ingrati animi displiceat Deo, & hominibus noceat; simulque unum aut alterum medium, præsertim exemplum brutorum, subministrari ad tale vitium devitandum. Vide tit. Ingratitudo.

V. *Cecidit ante faciem ejus gratias agens*. Luc. 17. Possunt fructus gratitudinis ostendi, præsertim autem, quod sit optimum & efficacissimum medium ad nova & plura beneficia impetranda, id quod testimonio S. Scripturæ, SS. Patrum exemplis, similitudine fluminum ad mare recurrentium, ut iterum fluant, & nostra ipsorum consuetudine, qui illis libentius damus, quos gratiores esse cognoscimus, probari potest. Vide tit. Gratitudo.

VI. Ex eodem themate ostendi potest: quibus potissimum grati esse debeamus; videlicet 1. Parentibus. 2. Præceptoribus, qui dederunt bene esse. 3. Benefactoribus. 4. Inimicis & persequentibus nos, quia sunt virga Patris cælestis castigantis, & dant occasionem virtutum & meritorum, uti argumentantes in disputatione. Vide cit. tit. Gratitudo & tit. Pietas in Parentes. Item Fabrum hic conc. 2.

VII. Ex occasione thematis: *Occurrerunt illi decem leprosi*. Luc. 17. potest peccatum mortale lepræ comparari. 1. Quia gravem fœtorem creat, ut lepra; hinc Angelus quondam coram peccatore transiens nasum compressit. 2. Quia fœde commaculat animam, ut lepra corpus. 3. Quia exosum est Deo & justis, sicut lepra sanis, hinc etiam separationem ab utrisque perpetuam inducit. 4. Quia difficilis est curationis, ut lepra. Vide tit. Peccatum mortale. Item Fabrum in Sylva.

VIII. Ex occasione thematis: *Ite ostendite vos Sacerdotibus*: possunt refutari excusationes, ob quas aliqui horrent se Confessariis ostendere, quarum prima est erubescentia. Secunda timor infamiæ apud confessarium incurrendæ. Tertium horror pœnitentiæ imponendæ, & reprehensionis patiendæ. Quartum desperatio emendationis. De quibus vide Fabrum in Dom. 3. Quad. conc. 6.

IX. Ex eodem themate potest ostendi, quinam non vere se ostendant Sacerdotibus, videlicet 1. Qui tantum in genere se accusant, ut hæretici solent. 2. Qui peccatum aliquod grave voluntarie omittunt. 3. Qui debitas circumstantias non exprimunt. 4. Qui sine debito dolore confitentur. Vide Fabrum in Dom. 3. Adventus conc. 7. & nos suo loco.

X. Ex eodem themate potest ostendi, quod frustra homines difficilem sibi confessionem imaginentur, cum multis ex capitibus ejus facilitas demonstrari queat. 1. Respectu expiationum ab aliis nationibus peragi solitarum. 2. Respectu tribunalis mundi. 3. Respectu damnationis æternæ. 4. Respectu vermis conscientiæ. 5. Respectu fructus ex ea percipi soliti. Vide Fabrum in Dom. 3. conc. 6.

XI. Ex occasione thematis: *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo*: ostendi possunt, & declarari ingratitudinis gradus, quorum primus est oblivisci beneficiorum. Secundus debitum sibi beneficium reputare. Tertius beneficia non Deo, sed alteri Authori adscribere. Quartus omnino illud repudiare. Quintus in injuriam benefactoris convertere, & malum pro bono rependere. Quosum proinde graduum turpitudo & indignitas ulterius demonstretur. Vide Fabrum conc. 1.

XII. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest quanta mala incurrat ingratus; nimirum 1. Malum maledictionis. 2. Malum infamiæ. 3. Malum culpæ. 4. Malum pœnæ; de quibus vide tit. Ingratitudo, & Fabrum conc. 3.

PRO DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

I. N*Emo potest duobus dominis servire*. Matth. 6. Potest ostendi, quod, cum nemo possit duobus dominis servire, per consequens etiam nemo Mundo & Deo servire simul queat. Ostendatur ergo, quanto æquius sit Deo, quam Mundo, servire, sive persona ipsa, cui serviмus, & quæ præstanda sunt, sive merces, quæ ab utroque promittitur, consideretur. Vid titul. Deus, §. 12. num. 2. & titul. Mundus, §. 9. & 10.

II. *Non potestis Deo servire & mammonæ*. Matth. 6. Ostendi potest, quam grave sint impedimentum divitiæ ad serviendum Deo, eumque in finem dici, quod mammona similis sit Ægyptiis, qui, ut Exod. c. 5. legitur, oppresserunt Israelitas laboribus, ne Deo servire & sacrificare possent. Exaggerentur ergo isti labores divitum, in divitiis acquirendis, conservandis, augendis, & ostendatur, quomodo a cultu Dei per orationem, Sacrificia, & Sacramenta usurpanda impediant, quamque adeo vere dixerit Servator, Matth. 19. difficile esse divitem in regnum cælorum ingredi. Vide pro hoc scopo plura tit. Divitiæ.

III.

III. *Nolite foliciti esse, quid manducetis.* Matth. 6. Ostendi potest, qualem solicitudinem hic vetuerit Dominus, scilicet eam, qua homo omnem fiduciam in sua industria, & viribus ponens, putat se non nisi proprio labore obtinere necessaria ad sustentationem posse; hæc enim cum Dei providentiam & fidelitatem ipso facto neget, non potest non ei summopere displicere, uti ex exemplo de duobus operariis, quorum alter noctu diuque laborans vix necessaria obtinebat, alter quotidie SS. Missæ sacrificium audiens & moderate laborans ditescebat, patet. Ostendatur ergo ulterius, quæ sit moderata & licita solicitudo, nempe ea, quæ ante omnia a Deo debitum cultum & servitium præstat, postea ordinaria media statui suo convenientia sedulo & cum quiete adhibet, & de reliquo omnem solicitudinem Deo committit, quæ omnia possunt exemplo Jacobi Patriarchæ singularem a Deo benedictionem obtinentis, ut ex c. 30. & seq. Gen. patet, confirmari. Vide tit. Spes & Fabrum conc. 9. n. 4.

IV. *Quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6. Possunt hæc verba optimis litteris sensualibus comparari; quem conceptum late explicatum vide cit. tit. Spes §. 12. n. 4.

V. *Nonne anima plus est, quam esca?* Matth. 6. Potest in primis animæ, atque exinde ipsius etiam hominis præstantia demonstrari, & ex Psalmo 8. probari, quod omnes reliquæ creaturæ ipsi velut Domino sint subjectæ. Ex quo postea inferri potest, quantam hic titulus fiduciam illi ingenerare debeat; si enim Deus aves, lilia & alias creaturas tanta eum providentia nutrit; quis credere possit, cum suam providentiam homini, propter quem hæc omnia conservat, negaturum? Ostendatur ergo, quam provide Deus omnibus animam vegetativam aut sensitivam habentibus necessarium nutrimentum concedat. Vide tit. Spes & tit. Anima.

VI. *Respicite volatilia cæli.* Matth. 6. Ostendi potest, quod vel ab avibus discere debeant homines, quomodo se gerere debeant in iis, quæ ad necessariam sustentationem pertinent 1. Moderate quærere suam sustentationem, & de reliquo se divinæ providentiæ absque inordinata solicitudine committere. 2. Contenti esse cibo & potu, quem Deus subministrat. 3. Iisdem non immoderate uti, sed quantum ad conservationem vitæ est necessarium. 4. Gratias debitas diligenter pro victu persolvere, sicut aves caniant post sumptam escam. Vide tit. Gula, & Ebrietas, & Ingratitudo.

VII. Ex occasione thematis, *Nemo potest duobus Dominis servire:* Matth. 6. Ostendi potest, cur Deo potius, quam mundo serviendum. 1. Ob potentiam & dignitatem, quæ omnes terrenos dominos infinite excellit. 2. Ob sapientiam, qua sapientissime regit subditos. 3. Ob liberalitatem, qua providet suis famulis, ejusque præmium maximum largitur.

VIII. Ex occasione thematis: *Nolite ergo soliciti esse;* ostendi potest, quæ solicitudo sit fugienda, nimirum 1. Ne soliciti simus de temporalibus cum desperatione divini auxilii; scit enim Pater, quia his omnibus indigetis. 2. Ne simus soliciti præsumptuose, putantes, quod omnia necessaria viribus propriis obtinere valeamus. Ne soliciti simus de futuro tempore, sed ad præsens attendamus, hinc dixit Christus: Nolite soliciti esse in crastinum. 4. Ut non simus soliciti cum jactura spiritualium bonorum; hinc idem Christus dixit: Quærite primum regnum Dei. Vide de his plura ad Fabrum conc. 9. lit.

IX. Ex occasione thematis: *Respicite volatilia cæli:* Ostendi potest, quid ab avibus discere debeamus, nimirum 1. Ut non nimis soliciti simus de victu, aliisque necessariis. 2. Ut cibo, potuque, quem Deus submittit, contenti simus. 3. Ut non plus sumamus e cibo & potu, quam natura exigat. Vide Fabrum conc. 4.

X. Ex eodem themate certæ aves variis personis exemplum proponi possunt. Et 1. quidem Clericis passer Canarinus cum lemmate: *Sic psallere pulchrum est,* ut discant potissimum suum munus esse; Deo psallere. 2. Reipublicæ apes, cum lemmate: *Sic vivent cives;* unde discat magistratus sine aculeo regere; subditi vero apum more obedientes esse superioribus. 3. Conjugatis turtures, cum lemmate: *Sic vivite discite sponsi,* nimirum caste & sine felle iracundiæ. 4. Juvenibus *ramum* cum lemmate: *Viridi ne credito ramo;* ut discant hilares quidem esse, sed simul cauti, ne capiantur, & ideo alieno malo sapiant. 5. Famulis & ancillis Alaudam, cum lemmate: *Sic pulcore quæritur esca;* ut discant labore in altum per mentis elevationem in Deum elevari. Vide Fabrum.

XI. Ex occasione thematis: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus:* ostendi possunt septem tituli, ob quos Deus tenetur necessaria suppeditare regnum Dei quærentibus, nimirum 1. Quia creatura est principalis, ob quam reliquæ sunt creatæ. 2. Quia homo Sanguine Christi redemptus. 3. Quia Christianus est membrum electi populi non gressibus corporis, sed morum sequens Christum. 4. Quia servus fidelis, & prudens, atque adeo super omnia bona constituendus. 5. Quia amicus, cui cum Deo omnia communia sunt. 6. Quia filius cæli hæres. 7. Quia sponsa dilecta, cui non dimidium regni, ut Esther, sed totum regnum promissum est.

XII. Ex occasione thematis: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis:* ostendi, & declarari possunt officia Patris, quæ erga nos Deus exercet. 1. Quod genuerit nos dando corpus, & animam. 2. Quod nutriat nos dando omnia necessaria corpori, & animo, præcipue cibum Corporis sui, & verbi divini, ac voluntatis suæ cum potu Sanguinis sui. 3. Quod educet nos honestissime, verbo, & exemplo nos instruens in scientia honestissima, & utilissima amandi Deum. 4. Quod defendat nos, ut nemo nocere possit, nisi volentibus. 5. Quod hæreditatem amplissimam, & perpetuo duraturam pruvideat. Unde excitandi Auditores, ut vicissim filiorum officium per tenerum amorem & timorem, per filialem fiduciam, & per-

& perfectam obedientiam exacte præstent. Vide Fabrum conc. *9.* litt. P.

PRO DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

I. ECce *defunctus efferebatur*. Luc. *7.* Potest ostendi, per quæ potissimum vitia mors hominibus acceleretur, nempe per crapulam, luxuriam, iracundiam, & acediam, id quod facile de singulis demonstrari potest ex iis, quæ de his vitiis titul. Acidia, Gula, Iracundia, Luxuria sunt dicta.

II. *Noli flere*. Luc. *7.* Ostendendum, quomodo Auditores se in morte charorum amicorum gerere debeant, nempe 1. Non immoderate turbari aut flere, cum sive ex parte providentiæ Dei hanc mortem permittentis: sive ex parte mortui jam cælo forte recepti: sive ex parte sua, qui immoderato luctu nocent corpori, animæ, fortunis famæ suæ nullas habeant causas lugendi, unde exemplum Davidis lib. 2. Reg. 12. sequendum. 2. Precibus potius, quam pompa funebri, aut fletibus succurrere. 3. Salutaria proposita concipere, illud maxime Eccl. 38. Memor esto judicii mei, quia sic erit & tuum: unde præ omnibus decernandus usus mediorum ad felicem mortem obtinendam conducentium. Vide tit. Mors, §. 12. n. 8. & Fabrum conc. *6.*

III. *Et turba civitatis cum illa*, Luc. *7.* Ostendi potest, cur mortui libenter ad sepulturam comitandi sint, nimirum quia Deo hoc obsequium valde *gratum* est, utpote qui sibi præstitum reputat, quod uni ex minimis factum est: & quia *utile* valde iis, qui comitantur, ut patet in Tobia cap. 1. & 12. & tandem valde *conveniens*, cum ipsa animalia non raro hoc officium præstitisse legantur. Dein ostendatur, quomodo comitari debeant, nempe juvando precibus & salutares cogitationes, & proposita pro nobis concipiendo. Vide titul. Mors, & Fabrum conc. 8.

IV. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*. Luc. *7.* Potest ostendi, cur mors a Deo decreta, & salutares ex causis illis doctrinas erui, de quibus vide cit. tit. Mors, §. 11. n. *9.* & Fabrum hic conc. 2.

V. *Accepit autem omnes timor*. Luc. *7.* Possunt Auditores ad Sanctum Dei timorem concipiendum excitari ob commoda, quæ ex tali timore reportant, maxime, quod sicut P. Araozium Societatis Jesu Sacerdotem innoxium in aula degere fecit, ita Idipsum cuivis homini in orbe degenti præstet. Vide tit. Timor §. *6.* n. 4. & §. 11. num. *7.* & Fabrum conc. 1.

VI. Ex occasione thematis: *Ecce defunctus efferebatur*. Luc. *7.* Possunt motiva ad expetendam mortem proponi, nimirum 1. Quia immunitatem a peccatis, tentationibus, evasione multorum laborum, hominibus præstat. 2. Quia est transitus ad meliorem vitam; nam justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 3. Quia est debitum omnibus solvendum, quis autem non optet grandi debito liberari? Vide titul. Mors.

VII. Ex eodem themate possunt proponi motiva ad timendam mortem, nimirum quia 1. Est certissima quoad substantiam. 2. Incertissima quoad tempus. 3. Acerbissima quoad præsentiam. Vide cit. tit.

VIII. Ex eodem themate possunt proponi motiva ad considerandam mortem 1. Quia facit facilem mortem, hinc Seneca ait: Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut, si ita res tulerit, possis illi obviam ire. 2. Quia facit, ut bene moriamur, uti Sanctus Augustinus advertit, dicens: Mors omnium vitiorum peremptoria est, atque adeo sicut bene vivere, ita & mori facit bene. 3. Quia a diaboli tentationibus liberat; sicut perdices, ut aucupis effugiant insidias, gleba terræ se contegunt. 4. Quia ad gaudium in morte disponit; nam, teste Sancto Cypriano, non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitat esse moriturum. Vide cit. tit.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quæ sit optima præparatio ad mortem, illa nempe, quam Christus ipse Marc. 13. indicavit, dicens: Videte, vigilate, orate, nescitis enim, quomodo tempus sit, ubi per verbum *Videte* indicatur memoria mortis; nam, teste Sancto Gregorio, sic mors ipsa, cum venerit, vincetur, si prius, quam venerit, ipsa timeatur. Per verbum *Vigilate*, id est, ut idem Sanctus ait, in conditione mortalitatis vestræ oculos figite, venienti ad vos Judici per fletus quotidie & lamenta præparate. Per verbum *Orate* indicatur, tunc maxime esse orandum, cum diabolos calcaneo insidiatur. Vide tit. cit.

X. Ex eadem occasione explicari potest alia præparatio ad mortem a Christo his verbis: *Sint lumbi vestri præcincti &c.* indicata; quorum primo indicatur mortificatio delectationis, nam cinctura est lumborum, in quibus præcipue est motus delectationis venereæ, restrictio. Secundum per lucernas ardentes indicat operum fervorem, & dilectionem. Tertium per expectationem Domini, in vigilia Juventutis, in secunda ætatis virilis, & tertia senectutis indicat.

XI. Ex occasiones ejusdem thematis possunt variæ quæstiones circa mortem proponi, & resolvi, nempe 1. Cur mors decreta a Deo. 2. Cur eamdem incertam esse voluerit. 3. Cur multi tam immatura, & quandoque repentina morte occumbant. 4. Cur justi quandoque tam acerbam mortem sustinere cogantur. 5. Cur vita hominum modo tam brevis sit. 6. Cur juxta Siracidem laudandi magis mortui, quam viventes; de quibus vide titul. Mors, §. 11. & 12. & Fabrum conc. 2. 3. & 4.

PRO DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

I. ET *ipsi observabant eum*. Luc. 14. Potest ostendi, cur judicia humana spernenda sint,

sint, quia nimirum *temere* agunt, qui ea timent, dum volunt effugere, quod nec ipse Christus potuit: *imprudenter*, dum timent a cæcis de colore judicari, cum solus Deus de internis judicare possit: & præterea tales nihil nocere possint suis judiciis&c. *noxie*, dum tales nihil bene agunt, ut Polycletes pictor ostendit, qui, dum in imagine membra juxta cujusque sensum pinxit, turpissimam imaginem fecit. Hinc merito S. Paulus 1. Cor. 4. Mihi pro minimo est &c. Vide tit. Judicium temerarium, & Thomam Kemp. l. 3. cap. 36. & 46.

II. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Luc. 14. Potest avaritiæ vitium dissuaderi, & hydropi comparari, ob effectus similes, quos producit, quosque indicatos reperies tit. Avaritia, §. 12. n. 6.

III. *Ipse vero apprehensum sanavit eum.* Luc. 14. Potest ostendi quomodo in primis contrahatur morbus hydropicus; dein varia media ad eum curandum proponi; de quibus vide cit. tit. §. 11. n. 1. 3. & §. 10. toto.

IV. *Si licet Sabbato curare?* Luc. 14. Ostendi potest, cur dies festi rite celebrari debeant, nimirum propter Deum & Sanctos, qui talibus diebus singularia beneficia, aut contulerunt, aut acceperunt; propter nos, ut Deum colere, variaque ab eo beneficia impetrare possimus: propter servos, & bruta, ut quietem habeant a laboribus. Dein ostendatur, quomodo observandi sint, nimirum mature surgendo, mature templa frequentando, mature incipiendo orare, aliaque facere, quæ illo tempore peragi debent. Vide tit. Oratio, & Fabrum hic conc. 2. & 3. ubi varii defectus diebus festis committi soliti castigantur.

V. *Cum vocatus fueris, recumbe in novissimo loco.* Luc. 14. Ostendi potest, cur ultimus locus sit appetendus; nempe quia, cum quisque se minimum debeat æstimare, *convenientissimus* est, deinde *quietissimus*, cur nemo illum eripere aut infestare velit; quia *honorificentissimus*, utpote Christo, & Sanctis proximus: & tandem quia *aptissimus* ad exaltationem, ut Christus in hodierno Evangelio ostendit. Vide plura tit. Humilitas.

VI. *Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum*: Luc. 14. Dici potest: Christum ideo toties convivia frequentasse, ut doceret modum Christiane ea frequentandi; id quod fiet. Si 1. ante convivium finis refectionis ob oculos habeatur, bona intentio formetur, oratio præmittatur. 2. In convivio temperantia, modestia, dilectio proximi exerceatur. 3. Post convivium gratiarum actio fiet, novum propositum bene propter Deum operandi concipiatur, & reliquiæ colligantur tum corporales, dando eas pauperibus; tum spirituales, id est, salubres cogitationes de meliori cibo, & convivio animæ in æternum præparando concipiatur. Vide tit. Temperantia.

VII. Ex eodem themate: *Scilicet Sabbato curare?* Luc. 14. possunt causæ, cur dies festi peculiari studio colendi sint, proponi; nimirum 1. Quia Deus & Sancti tum propter suam dignitatem, & collata nobis beneficia id exigunt. 2. Quia utilitas nostra tam quoad corpus & animam, quam rem domesticam id commendat. 3. Quia etiam famuli, & pecora ob quietem, & virium conservationem id merentur. Ostendatur dein, quam merito Deus gravissimas de transgressoribus pœnas exegerit, quales plures tit. Sanctorum cultus, & festa legi possunt, uti & apud Fabrum conc. 1.

VIII. Ex eodem themate ostendatur, quod Diabolus festis imitetur Pharaonem, qui, ne Israelitæ Deo sacrificare possent, eos laboribus opprimi jussit. Ostendatur itaque quod & Dæmon variis laboribus, & illicitis opprimere, & a Festorum cultu impedire studeat. 1. Laboribus manualibus non necessariis. 2. Lusibus immoderatis. 3. Compotationibus nimiis tam quoad quantitatem, quam durationem. 4. Saltationibus indecentibus. 5. Conversatione noxia, & immoderata. 6. Otio non necessario; quæ omnia, quousque liceant, clarius explicandum. Vide Fabrum conc. 3.

IX. Ex occasione thematis: *Cum intraret Jesus Sabbato manducare*: ostendi potest, quid circa convivia sit observandum, nimirum 1. Ut sint rara. 2. Moderata, & non nimis sumptuosa. 3. Ut sint honesta, nihilque contra decentiam agatur, aut dicatur. 4. Ut sint charitativa, nullusque vel absens, vel præsens dicteriis vel detractionibus lædatur. 5. Sint brevia, ne nobile tempus perdatur. 6. Sint pia per devotam orationem præmissam, & subjunctam. Vide Fabrum conc. 6.

X. Ex occasione thematis: *Et ipsi observabant eum*: ostendi potest, quæ sint bonæ, & malæ observationes. Et bonæ quidem sunt 1. Quando observantur aliorum virtutes pro imitatione, ut S. Antonius fecit. 2. Quando ex officio observantur aliorum mores, ut corrigantur. 3. Quando observantur aliorum opera admiranda potius, quam imitanda, ut Deus propter illa laudetur. Malæ observationes sunt 1. Si aliorum vitia cum scandalo observentur. 2. Si mores observentur, ut carpi queant. 3. Si observentur actiones, ut alii propter respectum impediantur ab iis. Quarum proinde omnium observationum commoda vel damna fusius explicentur.

XI. Ex occasione thematis: *Recumbe in novissimo loco*: potest declarari, quomodo quis possit se maximum peccatorem æstimare, nimirum 1. non per intellectum judicando se vere talem, cum certo supponere possit, plures graviores peccatores reperiri; Sed 2. practice, optando, ut ab aliis perinde, ac gravissimi peccatores tractari solent, tractetur, hoc est, contemnatur, reprehendatur, persecutiones, & odia patiatur, aliisque modis inhonoretur; Sic enim & Christus dixit, se esse opprobrium hominum, & abjectionem plebis.

XII. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest in illis S. Pauli verbis: Exinanivit semetipsum &c. totum humilitatis compendium contineri; nam 1. dum dicitur formam servi accepisse, proponitur idea humilitatis. 2. Per verba: Datum est nomen super omne nomen: ostenditur fructus humilitatis. 3. Per verba: Hoc sentite: proponitur medium efficacissimum

M 2 ad

ad humilitatem acquirendam, scilicet exemplum Christi.

PRO DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

I. HOc *est maximum, & primam mandatum*: Matth. 22. Ostendi potest, cur hoc sit mandatum maximum; de quo vide tit. Charitas, §. 11. n. 2.

II. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*. Matth. 22. Ostendi potest, artem amandi Deum esse omnium dignissimam, utilissimam, jucundissimam, & facillimam, uti ex cit. tit. Charitas facile probari potest.

III. Ex eodem themate declarari potest, ex quibus indiciis colligi possit, aliquem vere diligere Deum, nempe ea pulsu animæ, qui duplex est: unus, per quem expelluntur ex corde creaturæ velut corruptus aer: alter, per quem attrahitur magis Deus, quantæcumque difficultates, & pericula intercedant. Explicentur ergo fusius hi duo actus, & cur quisque sedulo exercendus sit ostendatur. Vide citat. titul. Charitas, & titul. Concupiscentia.

IV. Ex eodem persuaderi potest, ut omnia sua agant ex amore Dei, ut dicere possint cum S. Augustino: Amor meus pondus meum: hoc feror, quocumque feror. Explicentur deinde commoda, quæ ex hac intentione reportabuntur, scilicet per illam actionea perfectius, jucundius, facilius, constantius peragantur. Vide titul. citat. Charitas, & titul. Intentio bona.

V. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Matth. 22. Ostendi potest, quomodo per amorem proximi lucrari possimus amorem Dei, Christi, Sanctorum, proximi, juxta illud Senecæ: Monstrabo tibi amatorium sine herba, sine medicamento, sine ullius veneficæ carmine; si vis amari, ama. Vide tit. Dilectio proximi, §. 13. n. 2.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo quisque proximum ut seipsum diligere debeat; de quo vide tit. cit. §. 12. n. 1. simulque unum, vel alterum medium offerri ad hanc dilectionem prompte constanterque exercendam; qualia cit. tit. §. 21. præscribuntur.

VIII. Ex occasione thematis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Matth. 22. ostendi potest 1. quid sit Deum toto corde diligere, scilicet præter ipsum nullam creaturam in cor admittere; nam dilectus tuus, inquit Thomas Kemp. talis est naturæ, ut non velit alienum admittere, sed solus vult cor tuum habere. 2. Quid sit ex tota anima diligere, scilicet omnes potentias animæ externas, & internas applicare ad id, quod ipsi summe placet. 3. Quid sit ea tota virtute amare, nempe vires suas omnes contendere ad ipsum amandum. 4. Quid sit ex tota fortitudine amare, scilicet dicendo cum S. Paulo: Quis me separabit a charitate Dei? Vide tit. Charitas. Item Fabrum conc. 4.

VIII. Ex eodem themate ostendi possunt motiva præcipua ad diligendum Deum, scilicet ea ipsa, quibus Ethnici amorem excitari docent. Et 1. quidem *Bonitas*, quæ infinita in Deo est, juxta illud: Ostendam omne bonum tibi. 2. *Pulchritudo*: atqui in Deum desiderant Angeli prospicere. 3. *Similitudo*: atqui homo creatus est ad imaginem Dei. 4. *Amor*: atqui sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum, & cum eo omnia, daret. Vide plura tit. cit.

IX. Ex eodem themate declarari possunt indicia charitatis, quorum primum est, semper cogitare de dilectio. Secundum, semper cum illo conversari velle. Tertium, illi soli placere velle. Quartum unum cum illo velle, & nolle. Quintum, paratum esse pro, & cum illo omnia pati. Sextum, etiam imaginem ipsius, aliaque ad ipsum pertinentia, propter ipsum amare. Vide tit. cit.

X. Ex eodem themate explicari potest mandatum Dei Lev. 6. datum: *Ignis semper in altari meo ardebit*: & 1. quidem probari, quam convenienter charitas igni comparetur, quia semper sursum tendit, purificat, illuminat, calefacit, & omnia superat, ut ignis. 2. Quomodo nutriendus sit hic ignis; scilicet subdendo ligna, seu considerationem frequentem motivorum priori numero indicatorum, & beneficiorum tam communium, quam specialium, a Deo acceptorum. Vide titul. cit.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, cur & quomodo Christus diligendus sit; quem in finem narrari potest, quod Regi Tygrani cum sua uxore a Rege Cyro capta contigit, quod scilicet, cum Cyrus aliquando quæreret, quid pro uxore redimenda dare vellet, ipse respondit, se vitam & sanguinem pro ejus redemptione offerre; quæ responsio adeo Cyro placuit, ut utrumque dimitteret. Cum autem in via a Tygrane uxor quæreret, quomodo illi humanitas Cyri placuerit, responderit ille, se ad hoc quæsitum respondere non posse, eo quod ab illo momento, quo vitam & sanguinem pro illius redemptione obtulit, ad nullum alium quam ad ipsum oculos converterit. Quanto magis ergo erga Christum hoc observandum, qui vitam actu pro nobis dedit.

XII. Ex eodem themate ostendi possunt motiva ad proximum diligendum, scilicet 1. ea parte Dei mandatum, beneplacitum, promissio. 2. Ex parte proximi titulus similitudinis quoad naturam fraternitatis, quoad Christi Sanguinem, & gratiam commembri propter corpus Ecclesiæ. 3. Ea parte nostra propter necessitatem, utilitatem, & jucunditatem. Qui triplex funiculus vehementer sane nos obstringit ad fraternam dilectionem summo studio exercendam. Vide tit. Dilectio proximi.

PRO DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

I. ECce *offerebat ei Paralyticum jacentem in lecto*. Matth. 9. Possunt peccatores inveterati huic Paralytico comparari ex affectibus similibus, & inde quam gravis, noxius,

xlus, & prope incurabilis morbus sit talis consuetudo, ostendi. Dein potest ostendi, quo medio tales peccatores liberari debeant a sua paralysi, nempe *surgendo* ad orationem, & continuam gratiæ divinæ implorationem: *tollendo lectum*, id est contrarias vitiis virtutes exercendo, sicut Paralyticus lectum portabat, a quo ipse prius portabatur; *vadendo in domum suam*, id est, recedendo a Diabolo, & ad Christum, unde discesserat, redeundo, cum firmo proposito numquam amplius ipsum deserendi. Vide tit. Consuetudo §. 9. & Fabrum hic conc. 2. n. 2.

II. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata.* Matth. 9. Possunt proponi tituli, ob quos merito quivis peccator sperare potest sibi condonatum iri peccata, si ad Christum confugiat, quorum primus est *misericordia Dei*; de qua vide titulum Dei misericordia §. 2. & 3. & §. 4. num. 15. Secundus *Fidelitas Dei* promittentis toties veniam petentibus; de quo vide titul. Pœnitentia. Tertius *Bonitas divina*, & *Amor Dei* erga homines; de quibus vide tit. Deus §. 2. n. 37. seq. & titul. Spes §. 11. n. 2.

III. *Hic blasphemat.* Matth. 9. Potest blasphemiæ gravitas ostendi, & unum, alterumve medium contra eam proponi, & commendari; de qua materia vide tit. Blasphemia.

IV. Ex ejusdem thematis occasione potest illud remedium proponi, quod in eodem titulo indicatur.

V. *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matth. 9. Potest ostendi, quomodo se quisque circa cogitationes gerere debeat. Nempe sicut janitor civitatis se gerit cum peregrinis adventantibus, ita ut 1. portas sensuum diligenter custodiat, & clausas habeat. 2. Si apertæ hæ portæ esse debeant, neminem intromittat, priusquam examinet, quo tendet, quid facere velit in civitate; ita enim suadet Thomas Kempensis lib. 3. cap. 11. Non omnis affectio, quæ videtur bona, statim est tenenda. 3. Ut, si contra voluntatem se intrusit peregrinus, mox eum indignatione, & violentia expellat; quæ omnia facile cogitationibus malis applicari possunt, & inde inferri, quantam laudem, amorem, & præmium ex tali fidelitate talis homo apud Deum sit reportaturus. Vide tit. Tentatio, & Thom. Kemp. lib. 3.

VI. Ex ejusdem thematis occasione potest ostendi, cur Deus etiam bonos homines malis cogitationibus vexari permittat, nimirum ob tres causas, quarum primam Sanctus Paulus 2. Cor. 12. indicavit, dicens: Ne magnitudo revelationum extollat. Secundum Sanctus Gregorius assignavit, dum Hugonem ejusmodi cogitationibus vexatum bono animo esse jussit, dicens, istiusmodi tribulationibus velut igne aurum, id est, homines justos probari. Tertium Christus ipse S. Birgittæ indicavit, dicens: Hæc est vera æquitas, ut, quemadmodum tu aliquando me invito vanis mundi rebus te oblectasti, ita nunc quoque in vita cum illis confligere cogaris. Unde duo colligenda, 1. non esse signum inimicitiæ, sed amicitiæ, talibus cogitationibus contra voluntatem cruciari, uti pulchre libellus de imit. lib. 3. cap. 6. ostendit: Non ideo totum perditum &c. 2. non nocere sensum, si desit consensus, imo tanto esse ampliorem meriti occasionem, quanto molestiores sunt cogitationes. Hinc Sanctus Bernardus capit. 19. de interna domo: Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam, habebit & coronam; non nocet sensus, si desit consensus; imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Vide titul. Tentatio & Thom. Kemp. citat. capitul. 6. Non te conturbent &c.

VII. Ex occasione thematis: *Venit in civitatem suam.* Matt. 9. Potest ostendi 1. Quæ civitas Christi? Nimirum illa, in qua viget fides viva Christi, singularis fiducia in Christum, servatur charitas & coocordia tantopere a Christo commendata, verbum Christi libenter auditur, zelus honoris Dei per frequentationem Templorum reperitur. 2. Ostendi potest, quam præstans sit hoc elogium, quamque adeo magnum honorem ab hominibus, copiosam benedictionem a Deo, & constantem protectionem a Christo sperare possit. Vide Fabrum conc. cit. & in Sylva th. 1. & 2.

VIII. Ex occasione thematis: *Offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto*: possunt huic Paralytico convenienter animæ purgantes comparari. 1. Quia seipsas movere non possunt, id est, liberare ab hac pœna. 2. Quia in duro lecto jacent, scilicet in igne, quem aliqui eumdem cum igne infernali putant. 3. Quia graviter torquentur, ita ut juxta aliquos minima pœna sit gravior omnibus cruciatibus hujus mundi. Excitentur proin Auditores, ut offerant eas Christo tum per SS. Missæ Sacrificium, tum per Sacr. Communionem, & ardentes preces. Vide Fabrum conc. 2. litt. P.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quinam tali gravi Paralysi laborent. Scilicet 1. Magistratus, ac Parentes non punientes vitia subditorum, & liberorum. 2. Euclones, eleemosynam dare recusantes. 3. Negligentes cultum, & officia divina. 4. Otiosi, laborare & quæ officii sui sunt, præstare negligentes, qui omnes proin ad Christum adducantur, & quomodo per ipsius verba, & exempla curari debeant, ostendatur. Vide Fabrum loc. cit.

X. Ex occasione thematis: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* potest solatium afferri iis, qui variis cogitationibus contra voluntatem vexantur. Et 1. quidem cogitationibus contra fidem. 2. Contra castitatem. 3. Contra charitatem per suspiciones, & judicia temeraria. 4. Contra Religionem Deo debitam per distractiones in orationibus. Pro quibus proin omnibus apta media præscribantur.

XI. Ex occasione thematis: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua:* possunt ad spem erigi, qui 1. timent, ut peccata ob multitudinem, & gravitatem remittantur a Christo Judice. 2. Qui timent, ut rite ea confessi sint, aut confiteantur. 3. Qui timent, ut ea ob consuetudinem malam vitare non possint. Quare ostendatur, quomodo hos timores expellere possint, ad quem finem Blosius de consolatione pusillanimium, aut pars 4. Bibliothecæ meæ domesticæ servire poterit.

XII. Ex occasione thematis: *Videntes autem tur-*

turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum: ostendi potest, quomodo timentibus Deum bene sit 1. *Ante mortem*, juxta testimonium Tobiæ: Multa bona habebimus, si timuerimus Deum. Et juxta David: Non est inopia timentibus eum. 2. *In morte*, juxta testimonium Siracidis cap. 1. Timenti Dominum bene erit in extremis. 3. *Post mortem;* nam, ut Sanctus Paulus 1. Timoth. cap. 4. ait, pietas (seu ut alii interpretantur, timor Dei) ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & in futuro. Vide etiam Fabrum conc. 7.

PRO DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

I. *Venit ad nuptias*, Matt. 22. Potest beatitudo æterna nuptiis comparari. 1. Quia sicut in nuptiis omnia lætitiam spirant, & optimis epulis satiantur hospites: ita & in cælis est *omnis boni præsentia*, juxta illud Psalm. 16. Satiabor &c. & Psalm. 35. Inebriabuntur &c. 2. Sicut in nuptiis omne, quod tristitiam creare, & lætitiam turbare posset, longissime arcetur; ita & in cælis est *omnis mali absentia*, juxta illud Isai. 49. Non esurient&c. & Apoc. 21. Et absterget &c. 3. Sicut in nuptiis est gratissima amicorum societas, omnesque splendida, & nuptiali veste vestiti sunt; ita & in cælis omnes veste gloriæ ornati, jucundissime inter se sociabuntur. 4. Sicut nuptiæ diutius plerumque, quam alia convivia aut conventus, durant, ita & in cælis beatitudo in æternum durabit, juxta testimonium Christi Joan. 16. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Vide tit. Beatitudo.

II. *Vidit hominem non vestitum veste nuptiali*. Matt. 22. Ostendi potest, quænam sit vestis nuptialis, sine qua nullus ad cælestes nuptias intromittetur, nempe charitas, id quod ex effectibus vestis colligi potest. Nam 1. sicut vestis operit multitudinem peccatorum, teste Sancto Jacobo cap. 5. 2. Sicut vestis protegit a cæli injuriis; ita & charitas a tribulationibus, quia aquæ multæ non possunt extinguere charitatem. Cantic. 8. 3. Sicut vestis hominem ornat, & dignitatem ejus indicat, ita & charitas, quia quantitas (& dignitas) cujusque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet, teste Sancto Bernardo. 4. Sicut nemo ad nuptias sine veste nuptiali admittitur; ita nec sine charitate ad nuptias cælestes: nam, ut Sanctus Gregorius homil. 15. super illud Evangel. *Domine si tu sustulisti &c.* ait, in quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regni appropinquat. Excitentur ergo Auditores ad vestem hanc omni conatu procurandam, simulque, qua ratione eam obtinere possint, ostendatur. Vide tit. Charitas.

III. *Ecce prandium meum paratum est*. Matth. 22. Potest ostendi, quam pretiosum, fructuosum, & jucundum prandium in SS. Eucharistia præparaverit Christus. Inferatur subinde, quam grandis ingratitudo sit eorum, qui ad tale prandium venire recusant, sive amor, & benevolentia invitantis: sive necessitas, & utilitas invitati: sive ipsius prandii præstantia, & dulcedo consideretur. Vide tit. Eucharistia.

IV. *At ille obmutuit*. Matth. 22. Ostendi potest, quod in hac quidem vita variæ excusationes a peccatoribus afferantur, quibus more Adami foliis ficus se operientis peccata sua minuere, & excusare conantur, sed quæ in altera vita nihil valebunt. Earum 1. est: Dæmon decepit me; sed licet solicitare, & latrare is possit, mordere tamen non potest, nisi volentem. 2. Quod proximus causam dederit ad lapsum, sed occasio hominem fragilem non facit, sed qualis quisque sit, ostendit. 3. Quod Consuetudo impulerit; sed nihil impossibile apud Deum; hinc Sanctus Augustinus, Sancta Magdalena, Sanctus Paulus, & alii, eamdem feliciter superaverunt. 4. Quod passionum vehementia prostraverit; sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Gen. 4. Vide plura tit. Consuetudo, & titul. Concupiscentia, & Fabrum hic conc. 5.

V. *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores*. Matt. 22. Potest ostendi gravitas infernalium suppliciorum, simulque excitari Auditores ut memoriam, & timorem inferni exemplo Sancti Francisci Borgiæ præmittant velut prodromum ad omnia loca, in quibus occasio peccandi, vel patiendi ipsi offerri potest, Vide tit. Infernus.

VI. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Matth. 22. Ostendi potest causa, cur tam pauci electi sint ex Christianis, & dici, id ideo plerumque fieri, quod viva fide non credant ea, quæ de inferni suppliciis Catholica fides doceat, alioqui sane stultissimos fore, si pergerent tam graviter peccare. Ostendatur ergo per varias authoritates, omnia verissima esse, ut vel sic salubrem timorem inferni concipiant, & per eundem a peccatis absterreantur, juxta illud Ecclesiastici: In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis. Vide cit. tit. & Fabr. conc. 2. in Dom. 20.

VII. Ex occasione thematis: *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo*. Matth. 22. ostendi potest, quomodo Deus cum anima fideli nuptias contrahat, quamque admirandæ sint hæ nuptiæ. 1. Si dignitas sponsi, & ignobilitas sponsæ consideretur. 2. Si dos sponsæ spectetur. 3. Si nexus indissolubilitas attendatur. 4. Si proles generandæ considerentur. 5. Si conjunctio utriusque in communione pensetur. Unde inferatur, quam fideliter sponsa sponso adhærere debeat, quamque grave crimen sit, si velut adultera ab eo discedat. Vide Fabrum in Sylva them. 1. n. 3.

VIII. Ex occasione thematis: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, ostendi potest 1. Quam pauci sint electi, etiam ex Catholicis. 2. Unde colligere quis possit se esse electum, videlicet si habeat vestem nuptialem charitatis divinæ. 3. Quantas gratias Deo debeamus, quod ex tam multis nos elegerit. Vide Fabrum conc. 1.

IX.

IX. Ex eodem themate ostendi possunt variis modis, quibus Deus suos electos vocare solet, nimirum 1. per scripturas & libros. 2. Per concionatores, & confessarios. 3. Per exempla hominum Sanctorum. 4. Per beneficia, & prosperitates. 5. Per internas inspirationes. Unde ostendatur, quomodo his vocationibus respondere debeamus. Vide Fabrum conc. 6.

X. Ex occasione thematis: *At ille obmutuit:* ostendi potest 1. Quam juste peccator mortalia committens gravissima infarni pœna puniatur. 2. Quam juste etiam æternum sit illud supplicium, quæ duo capita sat difficulter capere possunt. Vide tit. Æternitas, & Peccatum mortale. Item Fabrum conc. 4.

XI. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, cur vocationi quisque suæ prompte & studiose respondere debeat; Nimirum 1. Propter vocantem. 2. Propter vocatum. 3. Propter finem & statum, ad quem vocatur. 4. Propter modum, quo vocat, idque non semel, sed sæpius. 5. Propter pœnam neglectæ vocationis. Vide tit. Vocatio & Fabrum conc. 8. lit. D.

XII. Ex occasione thematis: *Ibi erit fletus, & stridor dentium:* potest ostendi, quam justas & graves causas habituri sint damnati hujus fletus, & stridoris, videlicet 1. Quia ibi invenient omnis boni absentiam. 2. Omnis mali præsentiam. 3. Omnis pœnæ indesinentiam; de quibus vide tit. Infernus & Fabrum conc. 2.

PRO DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

I. ERat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur. Jo. 4. Potest ostendi, cur morbi a Deo permittantur; nempe ob triplicem manifestationem. 1. Ut manifestetur malitia, & gravitas peccati, per quod ejusmodi mala sunt invecta, atque adeo odium erga illud concipiatur. 2. Ut manifestetur virtus & profectus eorum, qui tales morbos patiuntur; hinc S. Paulus 2. Cor. 12. dixit: Libenter igitur gloriabor &c. propter quod complaceo &c. 3. Ut manifestetur gloria Dei tum per potentiam, tum per misericordiam, tum per justitiam ostensam; hic Christus Jo. 11. dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem &c. Excitentur ergo Auditores, ut ob hos fines studeant patienter suos morbos sufferre; pro quo scopo vide plura toto tit. de Patientia, & Fabrum hic conc. 1. tit. cit.

II. *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.* Jo. 4. Commendari potest usus Eucharistiæ duplicis generis hominibus, qui mori incipiunt. 1. Illis, qui sunt in occasionibus graviter peccandi; aut jam actu peccarunt, & sunt in periculo mortis æternæ per malam consuetudinem incurrendæ, quibus hoc Sacramentum summe necessarium & utile est. 2. Illis, qui in agone constituti sunt, ut illud per modum viatici sumant, memores verborum ab Angelo ad Eliam dictorum 3. Reg. 9. *Surge, & comede, grandis enim* (id est, difficilis, & periculosa) *tibi restat via.* Vide tit. Eucharistia, & Fabrum conc. 3.

III. Ex eodem themate possunt Auditores excitari ad Unctionem extremam libenter, & reverenter suo tempore suscipiendam. Et 1. quidem ostendatur, quam graves tentationes & pugnæ cum morbo, morte, peccatis præteritis, & dæmonibus sint subeundæ, quamque adeo prompte suscipi debeat Unctio, qua Christus, & Ecclesia ungunt infirmum, ut fortiter certare possit. 2. Proponantur, & refutentur efficaciter rationes, quæ frequenter absterrent infirmos, quo minus hoc Sacramentum suscipere velint. Vide tit. Unctio extrema, & Faber conc. 7.

IV. *Rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus.* Jo. 4. Ostendi potest, qualem curam Paterfamilias habere debeat erga domesticos suos, juxta illud Apostoli 1. Tim. 5. Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet &c. demonstretur ergo, quomodo in primis *animæ* curam habere debeat, ut instruatur in virtutibus, moribus, scientiis: dein *corporis*, ut habeat necessaria in victu, vestitu, habitatione; & si sanitas læsa est, etiam pro ejusdem recuperatione. Ostendatur autem, quam gravis obligatio illis incumbat, hanc curam suscipiendi; de qua vide tit. Educatio, & Fabrum conc. 5.

V. *Et credidit ipse, & domus ejus tota.* Joan. 4. Potest exempli boni efficacia demonstrari ex Reguli hujus facto; qui quia credidit in Christum, mox etiam tota domus credidit. Ostendatur ergo, quomodo quivis Paterfamilias, si domesticos in oratione devotos, in labore impigros, in moribus obsequentes habere voluerit, id melius, citiusque obtinere non possit, quam si exemplo præerat. Vide tit. Exemplum, & Fabrum conc. 8. n. 4.

VI. *Credidit homo sermoni, quem dicit ei Jesus, & ibat.* Jo. 4. Ostendi potest, fidem solam non sufficere ad salutem, sed etiam opera charitatis jungenda esse, sicut iste Regulus non tantum credidit filium suum sanatum esse, sed etiam ivit ad eum videndum, & cum gaudio tamquam sanum amplexandum; qua de materia vide tit. Fides; & passim Controversistas.

VII. Ex occasione thematis: *Reliquit eum febris.* Joan. 4. potest peccatum veniale febri comparari; 1. Quia pulchritudinem animæ imminuit ut febris, ideoque etiam minus amabilem facit. 2. Quia valde debilitat hominem. 3. Quia varios paroxismos inquietudinis conscientiæ causat. 4. Quia appetitum ad spirituales animæ cibos aufert. 5. Quia gravius malum affert, quam sint omnia naturalia mundi mala. 6. Quia disponit ad mortem spiritualem, seu peccata mortalia. Inferatur proinde, quantopere detestandum, & fugiendum sit. Vide tit. Peccatum veniale.

VIII. Ex occasione ejusdem thematis possunt proponi media ad febrem spiritualem curandam, quorum primum est procuratio sudoris, per quem intelligitur usus frequentis contritionis, & confessionis. 2. Sumptio medicinæ, per quam intelligitur ipsa Eucharistia, quæ, teste S. Bernardo, sensum minuit in minimis, & in gravioribus omnino tollit consensum. 3. Evomitio materiæ febrim causantis,

tis, id eſt, concupiſcentiæ, juxta illud Thomæ Kemp. Deſine concupiſcere, & deſines male habere. 4. Jejunium ſpirituale, ſeu generoſa victoria, qua ſæpius abſtinetur ab ejuſmodi peccatis. De quibus vide tit. cit.

IX. Ex eodem themate poſſunt aliquæ perutiles quæſtiones circa peccata venialia reſolvi. 1. Triplicis generis peccata a Theologis aſſignari. *Maxima*, quæ in ſe mortalia ſunt, ſed ob defectum plenæ advertentiæ venialia reputantur. *Media*, quæ in ſe venialia ſunt, & deliberate committuntur. *Minima*, quæ ex fragilitate, & cum ſemiplena advertentia committuntur. 2. Quouſque venialia peccata vitari queant. 3. Quomodo peccata venialia ad mortalia diſponant. 4. Cur peccata venialia a virtutis affectis ſpecialiter vitanda ſint. Quas omnes quæſtiones a nobis reſolutas vide.

X. Ex occaſione thematis: *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur:* poteſt oſtendi, & probari veritas communis axiomatis: Ægrum corpus parit bonas cogitationes. Nam prima cogitatio eſt, qua cognoſcuntur fructus peccati ex morbi doloribus. Secunda cogitatio eſt, qua inferni pœnæ in memoriam revocantur. Tertia eſt, qua vanitas rerum mundanarum cognoſcitur. Quarta, qua B. V. & Sanctorum patrocinium neceſſarium cognoſcitur. Quinta eſt, qua melioris vitæ inſtituendæ propoſita concipiuntur; quæ omnia facile fuſius deduci poſſunt.

XI. Ex eodem themate morborum commoda, & fructus explicari poſſunt, quia videlicet per eos Deus glorificatur, uti Chriſtus de morbo Lazari dixit. 2. Quia purificat, & perficit ipſum ægrotum. 3. Quia ædificat proximum, tum per viſas ægri virtutes, tum per varias cogitationes ingeſtas. De quibus vide Fabrum conc. 1.

XII. Ex eodem themate oſtendi poteſt, quomodo infirmi ſe tempore morbi gerere debeant, ut optatum fructum ex eo referant. Oſtendatur ergo 1. Quid initio morbi. 2. Quid durante morbo. 3. Quid poſt morbum obſervare debeant, uti fuſius in prima parte Bibl. Man. domeſticæ tract. 1. oſtenditur.

PRO DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

I. *Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis*. Matth. 18. Poteſt ſeveritas judicii ex tribus proprietatibus judicis demonſtrari; quia ſcilicet, eſt infallibilis propter ſapientiam: infugibilis propter potentiam: inflexibilis propter juſtitiam. De quibus vide plura tit. Judicium, & apud Fabrum conc. 6.

II. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. Matth. 18. Oſtendi poteſt, quam miſericors ſit Deus, qui ad tam paucas voces ſerio prolatas omne debitum dimittit. Deinde vero quam æquum ſit, ut omnia reddere ſtudeamus per pœnitentiam magno cum fervore ſuſceptam, uti multi Sancti fecerunt. Vide tit. Pœnitentia, & tit. Dei Miſericordia.

III. *Redde, quod debes*. Matth. 18. Oſtendi poteſt, quod hæc verba omni fere ſtatui conveniant, nempe Clericis, judicibus, hoſpitibus, & mercatoribus, opificibus, dominis, ſervis. Demonſtretur ſubinde, quem fructum ex tali redditione reportaturi ſint, ſcilicet, ut de ipſis verificetur illud Pſalm. 105. Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam omni tempore. Vide plura tit. Juſtitia.

IV. *Nonne ergo, & te oportuit miſereri conſervi tui?* Matth. 18. Poteſt oſtendi, quam æquum ſit, ut quivis homo inimico ſuo ignoſcat, ſi meminerit, quod ipſe quotidie dicat in oratione Dominica: Et dimitte &c. Demonſtretur ergo, quam diſpar ſit offenſarum conditio, ſive perſonæ offenſæ dignitas, ſive offenſarum gravitas, ſive earumdem frequentia attendatur. Vide titul. Dilectio Inimici.

V. *Iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus*. Matth. 18. Poteſt oſtendi, quam multos offendat is, qui vindictam de proximo capit; quamque adeo merito graves pœnas timere debeat. Vide cit. tit.

VI. *Et debitum dimiſit ei*. Matth. 18. Poſſunt oſtendi fructus copioſi, qui ex dilectione inimici reportantur, & tum ſelectis SS. Patrum ſententiis, tum aptis hiſtoriis probari; de quibus vide cit. tit.

VII. Ex occaſione thematis: *Redde quod debes*. Matth. 18. oſtendi poteſt, in his tribus verbis omnem ſubſtantiam rationis Deo olim reddendæ conſiſtere, ut ſcilicet 1. Reddamus Deo, quod debemus, honorem, amorem, & obedientiam. 2. Proximo dilectionem, ſubventionem, & concordiam. 3. Nobis ipſis fugam peccati, operum bonorum exercitium, perſeverantiam in iſtis.

VIII. Ex eodem themate poteſt juſtitiæ amor commendari ex triplici capite. 1. Quia Deus ſumme eam requirit, teſte Michæa: Indicabo tibi, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te, utique facere judicium, & juſtitiam. 2. Quia bonum Reipublicæ, cujus pars ſumus, juſtitiam ſumme exigit; nam, teſte S. Auguſtino, juſtitia ſola Reſpublica ſuſtentatur. 3. Quia ad bonum noſtrum privatum augendum ſumme conducit, teſte Salomone dicente: Si juſtitiam quis diligit, hujus labores magnas habent virtutes. Vide tit. Juſtit.

IX. Ex occaſione thematis: *Cœpit rationem ponere cum ſervis:* poteſt oſtendi, quam rigida ſit ratio, quam Chriſtus in particulari judicio a nobis exiget. 1. Quia erit *exactiſſima* de omnibus etiam minimis cogitationibus, verbis & operibus. 2. Quia erit *ſeveriſſima*, nihil impunitum relinquens. 3. Quia erit *immutabilis*; nam quidquid in ea concluſum fuerit, ratum manebit in æternum. Unde Auditores ad ſalutarem timorem hujus judicii excitandi, ut dicant ſcilicet cum Jobo; Verebar omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti.

X. Ex eodem themate ſuadendus ſerius, & ſedulus uſus quotidianus examinis conſcientiæ. 1. Quia conducit ad rigidum examen Judicii particularis effugiendum, aut leniendum. Si enim noſmetipſos dijudicaremus, non utique judi-

Judicaremur. 2. Quia hoc examen est officina præstantissimarum virtutum, quæ in eo exercentur. 3. Quia conscientiam tranquillat, summamque adeo jucunditatem animo conciliat. Vide tit. Examen conscientiæ. Et Fabrum Dom. 4. post Pent.

XI. Ex eodem themate ostendi potest aliud medium ad judicii divini rigorem moderandum, quod ipse Christus indicavit dicens: Nolite judicare, & non judicabimini: cujus medii efficaciam expertus est Monachus ille, qui cætero non admodum Religiosus, in morte lætum valde se ostendit, eo quod peccata sua ob hanc causam ab Angelis deleta fuisse intellexisset. Ostendatur ergo, quomodo hoc medium practicandum sit, scilicet per consilium S. Bernardi dicentis: Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum: & sequere monitum Apostoli, dicentis: Nonne de iis, qui foris sunt. vos judicatis.

XII. Ex occasione thematis: *Non exibis hinc donec solvas novissimum quadrantem*: potest hæc sententia animabus purgantibus applicari, & inde Auditores excitari ad solvendum pro ipso propter tres rationes; quarum prima est, quod hac ratione ipsum Christum etiam redimamus, reputantem sibi factum, quod aliis facimus. Secunda, quia sic eamdem liberationem olim sperare poterimus. Tertia, quia ipsas animas, imo omnes Sanctos, quorum accidentalis gloria per hanc liberationem non modice promovetur, plurimum nobis obligabimus ad varias gratias impetrandas. Vide tit. Misericordia erga Defunctos. Item Fabrum in Sylva them. 5.

PRO DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

I. MAgister, *scimus quia verax es*. Matth. 22. Potest adulationis vitium diffuderi, & canicidis adulatores comparari. 1. Quia ut illi canibus, ita hi hominibus insidiantur. 2. Quia ut illi laqueum suum tegunt, ita hi suas fraudes. 3. Quia ut illi interitum canum, ita hi exitium eorum, quibus adulantur, quærunt. Vide tit. Adulatio, & Fabrum hic conc. 1.

II. *Non enim respicis personam hominum*. Matth. 22. Dici potest optandum esse, ut de omnibus hoc dici posset; nihil enim esse communius & nocentius acceptione personarum, id quod in tribunali utroque, sacro, & profano, maxime videre est. Vide tit. Acceptio Personarum.

III. *Cujus est imago hæc?* Matth. 22. Ostendi potest, quam vere homo sit imago Dei, sive potentiæ hominis, maxime memoria, intellectus, & voluntas; sive finis, ob quem creatus est, scilicet ut cognoscat, & amet Deum, consideretur. Inferatur subinde, quam gravis culpæ reus fiat homo, si hac imagine abutatur ad offensam Dei, eamque per varia vitia inhonoret, & commaculet. Vide tit. Anima, & Peccatum.

IV. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Matth. 22. Ostendi potest, quam copiosos fructus sperare possint ii, qui per justitiam suum cuique tribuunt; quamque adeo verum sit, quod Sap. 8. dicitur: Si quis justitiam diligit, labores hujus magnas habent virtutes; quas vide tit. Justitia.

V. *Reddite, quæ sunt Dei, Deo*. Matt. 22. Ostendi potest, quomodo ante omnia Deo, quod suum est tribuere debeamus, scilicet duplicem cultum, *generalem*, qui consistit in optima vita, & est cultus Deo gratissimus, amplissimus, & perpetuus: & *particularem*, qui in eo consistit, ut exercitia, quæ ad Dei cultum immediate pertinent, qualia sunt Oratio, Missæ auditio, Sacramentorum susceptio, Concionum auditio, & similia, cum magna devotione, reverentia, & constantia peragantur. Dein demonstretur, quis fructus ex hoc cultu sperari possit, scilicet ille, quem Ecclesia in hymno corporis Christi indicat, dum canit: *Sic nos tu visita, sicut te colimus*. Unde merito visitatio, & benedictio in bonis fortunæ (puta divitiis, fama) gratiæ, & gloriæ speranda. Vide titul. Oratio & titul. Deus.

VI. *Cujus est imago hæc?* Matth. 22. Potest imaginum cultus commendari. Et 1. quidem ostendi, in quo consistat hic cultus, seu, qua intentione, & modo colendæ, & honorandæ sint Sanctorum imagines. 2. Quod hic cultus non tantum licitus, sed etiam a Scriptura, & commendatus, & continua Ecclesiæ praxi sit receptus. 3. Qui fructus ex eo sperari possint, nempe Sanctorum benevolentia ob honorem sibi in imagine exhibitum: memoria illustrium exemplorum ab iis relictorum, & excitatio ad imitationem: excitatio variorum affectuum repræsentationi convenientium: si enim ideo turpium imaginum aspectus prohibetur; ne mala desideria concipiantur, quidni ob contrarium effectum honestarum, & piarum imaginum aspectus, & cultus suadeatur & permittatur? Vide tit. Sanctorum cultus, & Fabrum hic conc. 8.

VII. Ex occasione thematis: *Cujus est imago hæc?* Matth. 22. potest ostendi in primis breviter, quam vere dicatur homo imago Dei, scilicet, ut, quemadmodum Pater cælestis cognoscendo seipsum generat Filium, & postea uterque se mutuo amando spirat Spiritum Sanctum; ita & homo per cognitionem, & amorem Dei eidem assimiletur, & sic beatus, & perfectus evadat. Vide tit. Anima, & Fabrum conc. 6.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, cur cor hominis, ut Psalmista ait, singillatim sit factum, scilicet 1. triangulare est factum, ut disceret homo, quemadmodum vas triangulare a nullo globo perfecte impleri potest; ita & hominis cor a toto mundi globo impleri non posse, sed a solo Deo Trino, & Uno: capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, replere non potest. 2. Supra latum, & apertum creavit, ut innueret, ad Deum, & cælestia amanda, & cupienda semper patulum, & apertum esse deberet. 3. Infra acuminatum creavit, ut ostenderet illud terrena bona nonnisi in puncto, quantum Dei voluntas, & necessitas permittit, tangere, & usurpare

pore debere, ut juxta Pauli monitum: Mundo utantur quasi non utantur.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo imago hominis renovari debeat. Scilicet 1. eam abluendo per aquam calidam poenitentiæ. 2. Colores novos variarum virtutum apponendo. 3. Cortinam custodiæ sensuum, & cordis prætendendo, ne iterum facile deturpetur.

X. Ex eodem themate ostendi potest, peccatores esse gravissimos Iconoclastes. 1. Quia imaginem Dei confringunt per blasphemias negando ei divinitatem. 2. Quia luto immundarum voluptatum commaculant. 3. Quia igne iracundiæ, eam comburere conantur; de quibus vide tit. Blasphemia, Luxuria, Ira.

XI. Ex occasione thematis: *Quid me tentatis Hypocritæ?* Ostendi potest, quinam male tentent Deum; nimirum 1. qui sine omni reverentia Deum adorant; hi enim ejus bonitatem tentant. 2. Qui Deo diffidunt; hi enim ejus providentiam tentant. 3. Qui peccata peccatis addunt; hi enim ejus longanimitatem tentant. 4. Qui per miraculum aliquid petunt; hi enim potentiam tentant. 5. Qui peccant quasi Deus non videret; hi enim sapientiam Dei tentant. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

XII. Ex eodem themate suaderi potest, ut omnes Auditores a seipsis frequenter quærant: Cujus est hæc imago? id est, quam personam geris in spectaculo exhibendo toti mundo, & Angelis? Itaque considerandum, quid loqui deceat talem personam; quomodo vestita, id est, quibus virtutibus ornata esse debeat, & hæc omnia a Christo, velut Comico, qua verbis, qua exemplis instruentes inquiri.

PRO DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Matth. 9. Ostendi potest, cur defunctis succurrendum sit, pro quo sine una, vel altera ratio ex iis, quæ tit. 17. proponuntur, afferatur & amplificetur. Dein praxis solida eisdem succurrendi ostendatur, prout in cit. tit. indicatur.

II. Ex eodem themate possunt motiva, quæ supra, infra, extra, & intra nos habemus ad animas juvandas, proponi, & sic causarum impellentium copia magis excitari Auditores ad opem illis crebro, & ferventer ferendam; pro quo scopo vide cit. tit.

III. *Et deridebant eum.* Matth. 9. Potest dici, quod iis, qui succurrere volunt animabus, idem fere contingat, quod Christo dum & ipsi scilicet deridemur ab iis, qui aut nullum Purgatorium credunt, ut hæretici; aut iis, qui putant, charitatem incipere a seipso, atque adeo opera pro se offerenda esse: aut iis, qui putant, pro peccatoribus magis orandum esse: aut iis denique, qui putant Deum in justitia sua impediendum non esse, maxime cum ipsæ etiam animæ satisfacere justitiæ divinæ cupiant. Refutentur ergo hi omnes, & quam frivolæ sint hæ rationes, & excusationes, ostendatur; pro quo scopo vide tit. cit.

IV. *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus salva ero.* Matth. 9. Ostendatur, quæ causa sit, cur multi Christiani non tantum lingua tangentes, sed etiam sumentes Christum, non tamen sanentur, nimirum 1. quia cum exigua fiducia, & desiderio ad SS. Eucharistiam accedunt, non credentes Christum posse sanare suos morbos. 2. Quia non reverenter eum tangunt. 3. Quia non tangunt Christum, id est, non cooperantur ad feriam curationem. Vide hæc fusius explicata tit. Eucharistia.

V. *Non est mortua puella, sed dormit.* Matth. 9. Potest mors somno comparari, quia sopiuntur omnes potentiæ corporis, cessat tempus, & occasio merendi, quiescit homo a laboribus, amici deferunt &c. Ostendatur dein, quod ad mortem sicut ad somnum præparare se quisque debeat. Et 1. examen conscientiæ facere, gratias agendo Deo pro beneficiis, & peccatorum veniam per contritionem, vel confessionem procurando. 2. Sumere per sanguinem Christi in SS. Eucharistia sumptum. 3. Exuere se vestibus, id est, dispositionem facere de bonis suis. 4. Preces nocturnas, id est, ad mortem pie obeundam accommodatas, recitare. Vide tit. Mors.

VI. *Puella, tibi dico, surge.* Matth. 9. Ostendi potest, quomodo peccator curari possit, nimirum 1. clamando per occultas inspirationes, lectiones pias, exhortationes privatas, conciones publicas, ut surgat. 2. Tenendo manum ejus, & elevando a statu peccati ad statum gratiæ. 3. Jubendo ei dari cibum SS. Eucharistiæ, & voluntatis Dei, per quem confortetur, ut vivere ulterius possit. Vide tit. Poenitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Filia mea modo defuncta est: veni, impone manum tuam.* Matth. 9. potest ostendi, quomodo opus misericordiæ spiritualis animabus purgantibus præstitæ suo modo omnia misericordiæ corporalis opera præstantiori modo contineat, atque adeo merito sperari queat, quod lætissimum illud. Venite benedicti, auditurus sit, qui ea exercet. Vide tit. Misericordia erga defunctos.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod patronis animarum, si cor ipsum oleo misericordiæ erga Defunctos repletum fuerit, dici merito queat: Vade, vende creditori tuo; nam tales vere satisfaciunt debito, quod Deo, proximo, sibi ipsis debent; uti fusius videre est.

IX. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, animas purgandas esse agrum illum, de quo S. Augustinus dixit: Foecundus est ager pauperum, cito reddet donantibus fructum; nam reddunt fructum trigesimum in hac vita, dum defendunt a malis, & plurima bona impetrant: sexagesimum in morte, & judicio, dum adstant, & defendunt; & centesimum copiosæ gloriæ post mortem, ob genus præstantissimum misericordiæ. Vide tit. cit.

Ex occasione thematis: *Exiit fama hæc in universam terram:* ostendi potest vanitas inanis gloriæ. 1. Quia Deo eripit suam gloriam, quam

quam non vult alteri dare. 2. Quia dæmonum ludibrio exponitur, quibus se similem facit. 3. Quia ab hominibus æstimatur, & laudatur mendaciter. 4. Quia perdit omnem fructum laborum suorum, & audire cogitur. Recepisti mercedem tuam. Vide tit. Vana gloria, & Fabrum them. 2.

XI. Ex occasione thematis ostendi potest, cum omnes horreamus mortuos, ideoque, quamprimum possumus, ex domo deportemus, quantopere peccatum mortale horrere debeamus, quod est mors animæ. 1. Quia separat hominem a Deo, qui est vita ipsius. 2. Quia separat etiam ab amicis cælestibus. 3. Quia privat omnibus bonis meritorum. 4. Quia inhabilem facit ad operationes bonas. 5. Quia fœtere facit gravissime coram Deo, & hominibus. 6. Quia summe deformem facit animam. Vide tit. Peccatum mortale.

XII. Ex occasione thematis: *Et deridebant eum:* ostendi potest, cur judicia, & derisiones hominum spernendæ sint, nimirum 1. quia qui hæc inordinate timent, temere agunt, dum putant se humana judicia effugere posse, quod nemo hactenus potuit, ne ipse quidem Christus. 2. Quia stulte agunt, dum cæcum de coloribus judicantem attendunt, aut sonum foliorum in arboribus anserum sibilos, infantum jacula timent. 3. Noxie agunt, quia sic nulla opera perfecte faciunt, quia obliquæ alienorum judiciorum regulæ ea conformare student. Vide eod. tit.

PRO DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

I. E*Rit tunc tribulatio magna.* Matth. 24. Potest enarrari processus judicii per parabolam tit. Judicium indicatam applicatamque; aut certe aliquot motiva ad judicii extremi horrorem ingenerandum proponi.

II. *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* Matth. 24. Potest judicium tempestati comparari, ob terrorem & alios effectus; & ostendi, quomodo propterea ad B. V. tamquam laurum confugere debeant Auditores, ut fulmine ultimæ sententiæ non feriantur. Vide tit. cit.

III. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Matth. 24. Possunt ostendi varii montes vel asyla, ad quæ confugere possint ii, qui in Judicio supremo tuti esse cupiunt; quales vide cit. tit. n. 3. indicatos, item apud Fabrum hic conc. 5.

IV. *Tunc apparebit signum Filii hominis.* Matth. 24. Ostendatur cur crux in die judicii sit comparitura, juxta illud Ecclesiæ: Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit; nimirum 1. ad Christi gloriam, ut per hoc justior condemnatio eorum appareat, qui tantam misericordiam neglexerunt, & eorum præcipue, qui Christum persecuti sunt, sicut, cum homicida plectitur juxta cadaver occisi, inquit S. Thomas. 2. Ad justorum solatium, tunc enim omnes servi crucis, qui se crucifixo confirmaverunt in vita, accedent ad Christum Judicem cum magna fiducia, teste Thoma Kemp. l. 2. c. 12. 3. Ad terrorem reproborum; tunc enim verificabitur illud Sap. 5. Videntes turbabuntur &c. Excitentur ergo Auditores, ut nunc crucem amplectantur, ament, colant; qui enim modo libenter audiunt, & sequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Vide tit. Crux.

V. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Matth. 24. Ostendi potest, quinam judicium supremum maxime timere debeant, videlicet prægnantes, quales sunt 1. Principes & Magistratus, qui multos sub se subditos habuerunt; de illis enim verificabitur illud Sap. 6. Horrende apparebit vobis &c. 2. Qui magna talenta, & dona acceperunt; cui enim multum datum est, multum repetetur ab eo; & cum augentur dona, etiam rationes crescunt donorum, teste S. Gregorio homil. 9. 3. Qui consuetudine contracta in peccatis obduruerunt, juxta illud Isaiæ 5. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis &c. Excitentur ergo tales, ut mature sibi prospiciant, & pœnitentia judicium præveniant; cessat enim vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Vide tit. Pœnitentia, & Fabrum hic conc. 6.

VI. *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme.* Matth. 24. Potest ostendi, quod pœnitentia non sit ad mortem differenda, eo quod, sicut in hyeme sunt dies breves, grave frigus, & perpetua tempestas nivium, imbrium, ventorum &c. Ita & in morte sit breve tempus ad pœnitendum, grande frigus tepiditatis ob dolores aliaque incommoda morborum, graves tentationes ob peccata præterita, impugnationes dæmonum, timorem judicii &c. Excitentur itaque Auditores, ut ad pœnitentiam non fugiant in hyeme mortis, sed in æstate juvenilis aut virilis ætatis, ut tanto minus timoris coacipiant ob imminens judicium. Vide tit. Pœnitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret in occidentem, ita erit adventus Filii hominis.* Matth. 24. potest dies judicii fulguri comparari, 1. Quia erit repentinus & inexpectatus, ut fulgur. 2. Quia ut fulgur omnia illustrabit, & manifestabit. 3. Quia ut fulgur erit valde terribilis. Vide Fabrum in Sylva nova themat. cit.

VIII. Ex occasione thematis: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illa die:* possunt peccatores graves his prægnantibus comparari, quia habent pessimum fructum in anima, scilicet peccatum mortale, cujus gravitas colligitur 1. ex suppliciis a Deo propter illud inflictis, puta ejectione Adami ex Paradiso, diluvio, Sodomitano incendio, Ægyptiorum interitu in rubro mari. 2. Ex Passione Christi. 3. Ex cladibus quotidianis. 4. Ex mundi universi ultima vastatione. 5. Ex pœnis inferni; de quibus vide tit. Peccatum mortale, & Fabrum conc. 3.

IX. Ex occasione thematis: *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes:* possunt ostendi varii montes, ad quos tempore judicii confugere possimus, quorum primus est Christi passio. 2. Sancti cœlites. 3. Superiores, fidebitam ipsi obedientiam præstemus: tunc enim

ipsi

ipsis pro nobis respondebunt. 4. Ad inimicos, quibus libenter ignovimus; tunc enim verificabitur: Dimittite, & dimittemini. 5. Ad pauperes tam vivos, quam defunctos, quibus misericordiam libenter impendimus; tunc enim verificabitur illud Eccl. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipse exorabit te ab omni malo. Vide titul. Misericordia. Inimicorum dilectio. Obedientia.

X. Ex occasione thematis: *Videbunt Filium hominis venientem in majestate*: potest 1. ostendi, quod judicii dies sit tempestati similis futurus propter fulgur, tonitru seu sonitum tubæ, fulmen ultimæ sententiæ, dividens justos ab injustis, denigrans, seu ignobile faciens, urens non animam dumtaxat, sed & corpus. 2. Ostendi potest, quod, sicut tria media contra tempestatem adhibentur, scilicet descensus in profundum locum, perfugium ad laurum arborem, Crucem Hispanicam in pectore gestari: ita & pro tempestate Judicii adhiberi eadem conveniat, nimirum ut per humilitatem infra terram descendamus, ut Achab: ad B. Virginem tamquam Laurum recurramus: Crucem Christi in pectore habeamus; tunc enim servi crucis Christi accedent cum magna fiducia. Vide tit. Humilitas. Hyperdulia. Crux.

XI. Ex occasione thematis: *Væ autem prægnantibus in illa die*: ostendi potest, quibus maxime timendum sit judicium: nempe 1. *Potentibus*, qui potenter *tormenta patientur*. 2. Qui Christum confiteri erubescunt; hos enim & ipse erubescet, cum venerit in majestate. 3. Qui specialia dona acceperunt a Deo, & male impenderunt; cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. 4. Qui immisericordes se exhibent proximo, nam judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam. Vide tit. Judicium. Item Fabrum conc. 6.

XII. Ex occasione thematis: *Verba mea non præteribunt*: ostendi potest, quomodo hæc verba variæ personæ pro myrothecio spirituali usurpare possint. Et 1. quidem pauperes, si considerant, quid illis promiserit. 2. Laborantes perpendendo præmium laboribus promissum. 3. Infirmi. 4. Contempti, & persecutionem patientes. 5. Magni peccatores. De quibus omnibus vide convenientes titulos.

FINIS TOMI SEPTIMI.

IN-

INDEX UNIVERSALIS
RERUM MEMORABILIUM,

Et Plerorumque Scripturæ S. Locorum, quibus in hac Bibliotheca Manuali uberior fax accenditur.

(N. B.) *Numerus Romanus Tomum, Cifrarum minorum prior paginam, paragraphum aut numerum posterior indigitat.*

PRÆFATIO
AD BENEVOLUM LECTOREM.

OMISSUS ex composito erat hic Index in prima editione hujus Bibliothecæ, eo quod totus liber Index sit visus, utpote totam materiam cujusque virtutis, aut vitii, aut alterius doctrinæ in varios paragraphos ordinatissime distinctam comprehendens; sed quia per experientiam compertum est, non sufficisse hanc industriam ad res memorabiliores facili labore inveniendas visum est operæ pretium futurum, si huic difficultati tollendæ novus talium rerum Index conficeretur, non quidem tam accuratus, qualis minoribus libris, aut non tam ordinate digestis inseri solet, (sic enim nimium tomus hic accresceret) sed qualis sufficere videbatur ad prædictam difficultatem aliqua saltem ex parte tollendam. Fruere ergo, amice Lector, qualicumque hoc levamento, & vale.

A ccep-

Adul-

Alta-

Qua-

Aquæ

Ba-

Be-

Ca-

Ca-

Cha-

Com-

De-

Erat

D

Dæmon.

Ejus

V.

Quo-

Qui

Fa

Me

Sic

Per-

Ope-

Quæ-

Tune

Mi-

K

L

La-

Ma-

Mi-

Quæ-

Tunc

* * *

K

Kempis.

La-

L

La-

Ma-

Pro-

Con-

Qua

La-

L

La-

Ma-

Con-

MI-

Mal-

N

Naaman.

Ob-

Omni-

Bea-

Fu-

Fa-

Pin-

Cur

Mi-

Uti-

X 2 Exem-

Mo-

Sa-

Fa-

Pin-

Cur

Baupei

Uti-

Sa-

Sa-

Se-

Si.

Splen-

Sem-

Æqui-

Ne-

Quo-

Vi-

Vir-

Pec-

Vox

Sem-

Æqui-

Ne-

Quo-

V

Ve-

Vir-

F I N I S.



NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Concediamo licenza alla Dita *Giuseppe Remondini, e F.i*, Stampatori di Venezia di poter ristampare il Libro intitolato: *Instructissima Bibliotheca manualis Concionatoria, opera, & studio R. P. Tobiæ Lobner, S. J. Tomi 7. ristampa*, osservando gli ordini soliti in materia di stampe, e presentando le copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 7. Marzo 1782.

(*Andrea Querini Rif.*
(*Niccolò Barbarigo Rif.*
(*Girolamo Ascanio Giustinian Cav. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 35. al Num. 333.

Davidde Marchesini Seg.